COSTER, François (S.I.)
Apologia II Francisci Costeri Societatis Iesu, pro secunda parte Enchiridij sui de Sacra Scriptura contra Franciscum Gomarum... : tomus III. -- Lugduni : Apud Haered. Gulielmi Rovillii , 1604
514, [1] p., A-X12, Y6 ; 12°
Marca de imp. en port. -- Apostillas marginales
1. Gomar, François-Crítica e interpretación 2. Gomar, François -Kritika eta interpretazioa 3. Teología dogmática 4. Teologia dogmatikoa I. Título

R-6117 Ejemp. deteriorado. -- Port. muy guillotinada, afectando a parte del tít. -- Enc. perg., deteriorada. -- Encuadernado con: Tomus II, con port. propia y mismos datos de imp.

APOLOGIA PRO

FRANCISCO COSTERI SOCIETATIS IESV,

Pro Secunda parte Enchiridij sui

DE SACRA SCRIPTVRA

CONTRA

Franciscum Gomarum, Professorem Collegij Statim in Schola Leydensi.

TOMVS III.

1. *Petri* 1.


Verbum Domini manet in æternum.



LVGDVNI,

APVD HAERED. GVLIELMI RAVILLII.

M. DCIIII.



AD LECTOREM CHRISTIANVM.

DE moribus hæreticorum, déque actione cum hæreticis congrediendi, doctrinam Enchiridij mei tutatus sum superiori libello: (quem doleo tot mendis typographicis exijsse) docuique, duo illa vitia hæreticis familiaria, ab hæretico Gomaro præclarè obseruata: qui & multas simul controuersias, ipsorum more, confusè congessit, & egregiè sophistam egit. Conatus sum eius sophismata ad Aristotelis Elenchos resoluere: & similibus argumentis vitia detegere. Nunc omnium partem Anticoßeri, quæ de Scriptura sacra tractat, aggressurus, te (Christiane Lector) admonitum velim impostrarum hæreticarum: nè imprudenti simplicitate, illarum laqueis irretiaris. Speciosum est nomen Scripturæ sanctæ, diuinarum literarum, verbi Dei: omníque honore & reuerentia dignum, plenúmque maiestatis: Ideóque illo ad fraudes suas abutuntur, & nequitias suas velant, & miseros idiotas, tanquam dulci esca, ad se trahunt. At dolus est: caueto. Hominem sacrosancto nomine, non eas scripturas intelligunt, quæ verè diuinæ

..., *sacrisque Bibliis continentur: sed depravatum sensum suum, & hæreticam interpretationem. Non sunt illis scripturæ:* Primò: Hoc est corpus meum: Secundò: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum: Tertiò: In nouissimis diebus discedent quidam à fide, prohibentes nubere: Quartò: Abstinere à cibis, quos Deus creauit: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: Quintò: Filioli, custodite vos à simulachris: Sextò. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: Septimò: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum, &c. *Hæc enim omnia nos Catholici, tanquàm Dei verba docemus, amplectimur, & veneramur: qui (ipsorum sententia) literas sacras nihilis facimus, & abiicimus: nec illis fidem adhibemus. Horum igitur sacrorum verborum loco, est eis scriptura, quod illis verbis dici volunt: Primò: In Eucharistia esse figuram corporis Christi: Secundò: Episcopo ducendam vxorem: Tertiò: Vniquè indici sacerdotibus cælibatum: Quartò: Impiè prohiberi certis diebus carnium & lacticiniorum esum: Quintò: Idololatriam esse, imaginum cultum: Sextò: Spiritualem animi purgationem, non externum baptismi Sacramentum, à Christo mandari: Septimò: Omnes traditiones seu Apostolicas, seu humanas, damnari. Hoc quippe est hæreticorum omnium ingenium, vt primùm doctrinam eligant, aut comminiscantur, quam morbidus velit: tueri: deinde, eam vt venabiliorem exponant, scripturarum aliquot*

1. Tim. 3. Tit. 1. 1. Tim. 4. Act. 15. 1. Ioan. 5. Psal. 96. Ioan. 3.

centones

centones vndecunque corradant: quibus hæc sua noua commenta velent & ornent: tum si quæ sacrarum literarum loca aduersari videantur, ea excogitatis interpretationibus corrumpant: demùm, ne receptam & tot seculis confirmatam consuetudinem (quæ est optima legum interpres) & Apostolicam traditionem obijcias, contendunt nihil extra Scripturam pro diuino verbo recipiendum esse: cætera hominum fallacium esse inuenta. Esto (*inquit Caluinus*) hoc firmum axioma: Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod Lege primùm & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. *His ita à se sacrilego ausu constitutis, concludunt & confirmant impia dogmata ad genium suum, & damnant, quæcunque aduersari videntur. Nam, Primò, si qui veteres Patres cum ipsis non sentiunt, hos aiunt solùm admittendos, quatenus cum sacris literis consentiunt: id est, quatenus nihil pugnans cum ipsorum erroribus scribunt. At si quid aduersi dicant, (tametsi omnes veteres in idem consentiant) tunc sunt ipsis homines maculati næuis, & non satis illustrati veritate diuina. Cum igitur veteres omnes præclarè scripserint de Sanctorum inuocatione, de Reliquiarum honore, de inerrento Missæ sacrificio, de Apostolicarum traditionum authoritate, de libero arbitrio, déque id genus alijs, quæ hæreticorum palato non sapiunt, reformandi sunt ipsis & repurgandi ad verbum Dei: hoc est, ad Caluinica vel Lutherana somnia. Secundò, cum velint scripturas continere my-*

steria fidei omnia, atque extra eas nihil ad fidem recipiendum, sit vt nullas admittant Scripturarum interpretationes, nisi quæ eum ipsorum scriptura, hoc est, hæresi consentiant. Quicquid igitur dicant vetustissimi, doctissimi, sanctissimique Patres, his verbis Apostoli Pauli: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum, *nihil aliud (ipsorum voluntate) intelligi debet, quam, Sacerdoti matrimonium ineundum: qui secus ausit interpretari, errat, humanásque sequitur traditiones, non purum putum verbum Dei. Hinc efficitur: Tertiò: Quod passim Ecclesiæ Catholicæ objiciant, Se Dei verbum docere: nos traditiones humanas: Nos veritatem occultare, & sub scamno detinere: se eam in publicum producere: se tantùm scripturas, nos tantùm constitutiones humanas defendere:* Quartò: *Scripturam apertam esse docent & conspicuam, quæ hominum declarationibus non egeat. Si enim ab humana interpretatione accipiendus foret sacrarum literarum sensus, iam ab humana traditione penderet eius notitia. Volunt igitur cuilibet liberam esse scripturarum intelligentiam, vt hoc quisque teneat, quòd de eis sentiat. Hinc cordatus lector facilè colliget, quàm impiè Novatores isti de sacris literis statuant: Primò: Sua hæresis est ipsis scriptura: Secundò: Præter eam, nihil est admittendum: Tertiò: Ad eam reformandi Patres, omnisque Ecclesiæ ritus, dogmata, sacramenta, leges. Ex quibus sequitur: Primò: Nec ipsi Euangelio credendum esse: cum, hoc esse diuinum, nulla scriptura testetur. Hic*

laborat

laborat & sudat Hæreticus, vt contra [illegible]tum Augustinum, sine traditione, Euange[illegible] fidem ex doctrina, stylo, efficacia astruat: sed ru-stra, (vt videbis) & ridiculè, tametsi sibi placens & plaudens desudat. Siquidem his omnibus laboribus nunquàm efficiet, vt Lutherani his in-dicijs in epistola Beati Iacobi, in epistola ad He-bræos, in Apocalypsi, &c. Diuinum spiritum agnoscant: Secundò: cuilibet apertam esse viam, nouos excogitandi errores: eosque more alio-rum particulis scripturarum confirmandi, & contraria diuersis explicationibus refellen-di. Quidni enim mihi liceat, quod video licuis-se Luthero, Caluino, Bucero, cæterisque hæ-reticorum magistris? Docebo furtum nullum esse peccatum: neque mendacium. Tuebor me furto filiorum Israel, quo ipsi mandato Dei (qui peccatum non iubet) Ægyptios spolia-runt: & mendacio obstetricum, quod Deus mer-cede comprobasse videtur: Et quidni admit-tam Agar, si nolit Sara: id est, ancillam, si nolit vxor? Hoc enim castissimus Abraham fecit: Et Lutherus in suis non improbauit. Obi-ycies, contraria mandata Dei. At ego ad fi-guras confugiam, & Caluinisticis tropis partes meas tutabor. Si enim Caluino, aqua non est aqua, sed Spiritus sanctus, in Christi verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiri-tu sancto, non potest introire in regnum Dei: & corpus non est corpus, sed signum corporis Christi: cur pari iure mihi non liceat, scripturas quæ furtum & mendacium cauent; ad rapinas & periuria, aut ad alia flagitia deter-

Exod.

Gen.

Ioan.

detorquere? Hac nouos errores cudendi facultate, primum à Luthero vsurpata, vsi sunt eius posteri Anabaptistæ, cum suis fratribus Caluinistis, Svvinglianis, Bucerianis, & reliqua hæreticorum colluuie.

Hæc, (te precor Christiane Lector) seriò apud animum tuum expende, & cum pro salute tua solicitus esse debeas, ne tibi patiaris hæreticorum sophismatibus imponi. Assumunt pro axiomatis falsissima paradoxa, & his quibus concludi volunt: vt, veteres errasse, qui aliter docuerunt: mìsque mutilam, imperfectámque scripturam asserere, quod eam non omnia continere affirmemus. Quasi verò in eo consistat rei perfectio, vt omnia contineat, & non potius, vt nihil illi, ad quod institutum est, desit.

Subuersis his duobus fundamentis, nimirum, erroneam eorum doctrinam esse verbum Dei: & scripturam sacram omnia fidei dogmata complecti: corruet vniuersa machina Caluinisticæ & hæreticæ structuræ. Hoc persentiunt miseri errones: ideóque sibi ab alio Iudice, quàm à scripturæ cauent: quod hanc ad nutum suum detorquere, corrumpere, & deprauare possint: Iudicem Ecclesiam, violare non possint. Rectè admonuit Beatus Apostolus Paulus, Fòr vnàm vel alteram correptionem vitandum hæreticum: quod subuersus sit, qui eiusmodi est, & delinquat: cum sit proprio iudicio condemnatus. Certum est, (inquit Regula iuris) quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Ideircò fieri non posse existimo, quin

it. 3.

18. in 6.

aduer

aduersus mentem suam & conscientiam pugnare hæreticus Anticosterus: qui tot sæculis cor firmatam doctrinam Catholicam, atque ad diuinas literas à tot sanctissimis, doctissimisq; Patribus examinatam, aut sit abjicere, damnare, vel oppugnare. Præsertim si veteres legerit, & aliqua eruditione valeat: (de indoctis, & miserè seductis non loquor:) Viderit igitur ipse, qui doctrinam præ se ferre videtur, quo loco sit apud Deum. Si enim ex conscientia scribit, indoctus est: si ex malitia, peruersus. Vale lector Christiane, & tibi modis omnibus ab hæretica prauitate caue. Bruxellæ ipso B. Francisci, 4. Octobris.

1603.

Franciscus Costerus,
Societatis IESV
Sacerdos.

APOLO

B. Ioannes Damascenus lib. 3. de Imaginibus.

Non sustineamus nos edoceri fidem recens inuentam: quasi traditio Sanctorum Patrum reproba sit & damnata.

Tertullian. lib. de præscript. hæreticorum cap. 40.

Nec periclitor dicere ipsas quoq; scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent: cum legam, Oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent. Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet; cuius sunt partes interuertendi veritatem: qui ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis æmulatur.

* * *

APOLOGIA FRANCISCI COSTERI SOCIETATIS IESV,

Pro Secunda parte Enchiridij sui

CONTRA FRANCISCVM Gomarum Professorem Calumniatorem, in Schola Lugdensi.

EX similitudine triplicis scripturæ humanæ, seu Regiæ, quę in iudicio fidem facit, docueram in Enchiridio meo, Deum nobis triplicem modum Scripturæ, tum in veteri Iudæorum lege, tum in Ecclesia dedisse. Nam Decalogum scripsit manu sua: sacras literas dictauit Moysi & prophetis: denique Sacerdotũ cætui addixit assistentiam suam, vt in diiudicandis quæstionibus Legis non aberrarent. Ita enim scripsit in Deuteronomio: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam, & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quẽ elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicẽ qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facient quodcumque* Deuter. 17.

eumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Cunctusque populus audiens timebit. Hic apertè iubetur credere decretis summi Pontificis & Sacerdotum. Sed Hæreticus appellat ad Hebraicam veritatem: qua doctrinam nostram impugnat. Contendit enim illi populo, sicut & nobis, supremum omnium quæstionum Ecclesiasticarum Iudicem, solam esse Scripturam: nullum autem hominem, vel hominum cætum qualemcunque. Itaque in Codice Hebraico sic ad verbum legimus. *Cum mirabile fuerit à te verbum in iudicio, inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram, verba causarum intra portas tuas, & surges, & ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad Sacerdotes Leuitas, & ad Iudicem qui erit in diebus illis, & quæres, & iudicabunt tibi verbum iudicij: & facies secundum verbum quod annuntiabunt tibi de loco ipso quem elegerit Dominus, & custodies faciendo iuxta omnia quæ docebunt te. Iuxta sermonem legis quam docebunt te, & secundum iudicium quod tibi dicent, facies: non declinabis à verbo quod annuntiabunt tibi, ad dexteram vel ad sinistram. Et vir qui fecerit per superbiam ad non audiendum*

dum ad Sacerdotem stantem ibi ad ministrandum Domino Deo tuo, vel ad iudicem, & morietur vir ille, & auferes malum ex Israel, & omnis populus audiet, & timebit. Contra hæc Hæreticus.

HÆRETICVS.

Ad tertium Scripturæ modum, vt ex tua descriptione constat, non solùm confirmatio diuina: sed etiam, ac primum quidem scripto humana, necessaria est, quæ in hisce decretis non apparet.

COSTERVS.

Sicut modò, ita olim consueuerunt Iudicum sentẽtiæ ad fidem faciendam scripto dari. Cur eę non extent, causa est, quod ad nos vetera illa decreta non attineant: multò minus causarum priuatarum illius temporis decisiones.

HÆRETICVS.

Deinde si tua ratio quicquam valeret, tum iusta Magistratus politici statuta, quũ Christi firmentur authoritate, essent sacra Scriptura, non minus quam Pontificum decreta.

COSTERVS.

Leges politicę sæcularium Principum, & Pontificum decreta in eo conueniũt: quod vtraque iusta sint. obligent transgressores ad peccatum. Qui enim dixit. *Si Ecclę-*

eclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus : idem dixit per Apostolum suum. *Necessitate subditi estote, nõ solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Magnũ tamen inter vtrumque interest discrimẽ. 1. Quod Principum leges tantum circa externas hominum actiones versentur, quas præcipiũt, vel cauent: Pontifices etiã de internis decernant: hoc est, de his quæ fidei sunt, aut non sunt: quæ credenda, quæ opinanda, quæ reiicienda, quæ iusta, quæ iniusta. Proinde Principum leges si iustæ sint, non attingunt Pontificum decreta: sed pontificum est decernere: sintne Principum leges iustæ, an iniquæ. Atque hoc est, quod rectè Innocentius tertius literis suis ad Imperatorem Constantinopolitanum, duas has dignitates, Ecclesiasticam & sæcularem, cum Sole & Luna contulit. Vt.n. Luna à sole lumẽ accipit: ita iudicio sacerdotum veritas & æquitas legum probatur, aut improbatur. Hinc sequitur 2. discrimen: Quòd nemo vnquam teneatur fide credere, iusta esse omnia quę principes iubent aut cauent, tametsi parere debeat, si nihil conspiciat diuinæ legi aduersum: decreta autem Ecclesiæ certissima fide credere debeamus nihil erroris continere: *cũ ipsa sit columna & firmamentum veritatis, aduersus quam portæ inferorum nunquam prævalebunt.*

HÆRETICORUM.

Erratis ex mala versione: Hebræa enim

ha

habent. *Sacerdoti aut Iudici, vos legitis, Ex decreto Iudicis.*

COSTERVS.

Correcta Biblia legunt, *& decreto Iudicis:* vt videre est in correctionibus Sixti 5. Nõ enim diffitemur typographorum mendas, quas Concil. Tridentinum voluit emendari. At quia tibi libet Concilium istud tãtorum Patrum ridere (habet enim & musca splenem) eiusque authoritatem eleuare: (sic enim ais, *Ex quâ re liquet, quantum fidei Concilium vestrũ Tridentinũ mereatur, quod vulgatam versionem in omnibus sequendã mãdat*) addam hic verba Concilij, vt quã impiè cauillemini, omnes videant: *Insuper eadem* Sess. 4. *sacrosancta Synodus, considerans non parũ vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, vt hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat vel præsumat.* Et aliquanto post: *Decernit & statuit, vt posthac sacra Scriptura, & potissimum vetò hæc ipsa vetus & vulgata editio, quã emendatissimè im-*

Ior. Quid habes, hæretice, quod ridea[m]? Ipsa[e]dítne ex tot versionibus vnam

vnam eligi, cui fidant, qui præter Latinam nullas alias linguas norunt? Vt enim cuique Scripturæ sensus sapit, ita eam interpretatur. Hinc tot versiones quot hæreses: Lutherani Lutheri versionem amplectuntur, Caluinistæ singuli suam obtrudunt populo: vt Anabaptistæ suam: & sicut in expositione, ita in translatione cogunt eã dicere quod volunt. His incommodis sacra Synodus Tridentina occurrere studens, elegit ex omnibus vnam, quæ & antiquitate & authoritate cæteris antecellat. Ea est ex versione B. Hieronymi, aut eius correctione, quẽ constat sanè, tũ ex ei' scriptis, tum veterũ Latiorum testimonio peritissimũ linguarum fuisse: constat item fideliter Scripturam vertisse, constat denique iam mille annis translationẽ eius per vniuersã Ecclesiam Latinam obtinuisse. De se ipse sic scribit: Sicubi in trãslatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diuersarum vrbium magistros consule: bene sibi conscius de sua fidelitate, non veretur Rabinorũ examen: quorum tamẽ iudiciũ ei nõ defuit. De quo sic B. Augustinus: *Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, ex Hebræo in Latinum diuinas Scripturas conuertit: Cuius tantum literarum laborem Hebræi fatentur esse veracem.* Et Beatus Gregorius: Quia hæc noua translatio ex Hebræo nobis, Arabicóque eloquio cuncta, prius transfudisse perhi

in teugh6.

8. Ciuit. 3.

o. me- p. 24.

perhibetur, credendum est quicquid in ea dicitur: & oportet vt verba illius nostra expositio subtilius rimetur. Eodem tempore sic scripsit B. Isidorus: *De Hebræo in Latinum eloquium tantummodò Hieronymus Presbyter sacras scripturas conuertit: cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsquequaque vtuntur, eo quod veracior est in sententijs, & clarior in verbis.* En cur concilium antiquam translationem præter cæteras elegit. Sed in ea notant hæretici omnes quamplurimos errores? At illos docti excusant catholici. Si Hebræorum testimonio veraciter à B. Hieronymo translata est, vt ait B. Augustinus, si iam vbique ante mille annos in Ecclesia recepta, & in diuinis officiis templisque lecta, cur eam magis fateamur corruptam, quã 72. interpretes, quos Iudæi variis locis corruperunt, vt Origenes & Iustinus Martyr queruntur: aut Hebraicum textum, in quo constat nonnulla deesse, & quędá mutata esse? B. Lucas inter Sale & Arphaxat interponit Cainam, cuius in Hebræo codice nulla fit mentio. Nota est grauis mutatio in Psalm. 21. Vbi enim nos legimus, *foderũt manus meas & pedes meos*, Hebręa hodie habẽt. *Quasi leo manus meæ & pedes mei*, Vbi pro כָּאֲרִי φ est, foderũt, (quomodo olim legerunt 72. interpretes) substitutũ est, כָּאֲרִי sicut leo. Itaque nõ est quod irrisor iste doctissi

li. 1. de cap. 12.

Luc. 3. nec. in Psal. 21.

ctissimam, antiquissimam, & receptissimam versionẽ toties rideat, & instar musculi inuerecundè rodat.

HÆRETICVS.

Si decretum Iudicij Israelitici non est S. Scripturæ modus, sequitur etiam nec Põtificis decretum, quia eadem penitus firmatur authoritate & sententia.

COSTERVS.

Videris ignorare, quis nomine Iudicis hoc Deuteronomij loco intelligendus veniat. Glossa, (quam semper magni facis) interpretatur: *Iudicis*, hoc est, *Pontificis*. Itaque mandatur hoc loco, vt si quæstio incidat in Ciuitatibus vel oppidis Hebræorum, de his rebus, quæ legem concernunt, quales essẽt, de homicidio, fucritne voluntariũ, an casu cõmissum, de sacrarum literarum explica-
tione, (quam lex iubet requiri de ore sacer-
dotis) de lepra, aliisque cæremonijs, atque in huius quęstionis decisione sententiæ Leuitarum, & Sacerdotum domesticorum varient, neque certi aliquid cui possit stari decernant: tunc ad Supremum Iudaici populi tribunal eatur, nimirum ad Sacerdotũ Collegium, eorumq; Præsidem, hoc est, ad summum Pontificem, aut Vicarium eius, cui ab eo potestas iudiciaria pro tempore facta esset: vt rectè annotauit Abulensis. Fieri enim potuit vt sũmus sacerdos vel vrbe abesset, vel morbo, alijsve occupationibus detineretur

retur. Hi autem sacerdotes pro officio suo, considerata lege Domini; eam quęstionem decident: quorum decisioni, & sūmi Sacerdotis, seu Iudicis eius Vicarij standū erit: quia ex promissione & assistentia diuina, ea in re neque fallētur, neque fallent. Proinde si quis superbiat, & parere recuset, morte mulctandus erit. Hic est intellectus genuinus, tam si 72. interpretum versionem, quā si latinā sequaris. Nam quod nostra habet, *ex, vel & decreto Iudicis moriatur homo ille*: nō est dissentaneum ab Hebraica veritate, quę habet, *Vel ad Iudicem, & morietur homo ille*. Nam D. Hieronymus, qui legē à se, de optimo interpretādi modo, datam sequi solet, non verbum verbo reddidit, sed sentētiam verborum: quæ ipsius iudicio hoc loco est. Et ad Iudicis officium pertinebit, vt moriatur homo ille, *Vel*, pro &, posito, more scriptūræ: vt non ignoras, si quid in ea legisti. Alioqui si ignoras, consule loca ad marginem notata: Vbi nunc *vel*, pro &, ponitur, nunc cōtra, &, pro *vel*. Itaque Iudex, de quo hic Moyses, non erat politicus, sed de numero Sacerdotum, vel summus ipse Sacerdos.

Vel, pro
Leui. 4.
23. & 2
ver. 41.
Numer
ver. 6.
Prou. 1
Et, pro
Ge. 26.
Exod. 1
Leui. 10
Ezech.
vers. 33

HÆRETICVS.

Præterea non omnia, sed quædam tantum Pontificum decreta hoc præcepto sanciuntur: ea [illegible] quæ ex sacris literis hausta, non [illegible] quæ eis assuta.

COSTE

COSTERVS.

Fatemur, non omnia his verbis firmari, quę quouis modo ab eis decernebantur, ne pares essent Nouę legis sacerdotibus: quibus & amplior diuinarum rerum notitia, per Spiritum sanctum indita est, & firmior promissa Dei assistentia. Sed affirmamus ab eis non erratum, vel male iudicatum, quoties de rebus legis decernebant. Cōstat vsque ad tempora Esdræ diuinos libros partim dispersos, partim alijs commixtos. Sacerdotum igitur officium fuit, eos libros colligere, & ab alijs scriptis, hoc est, hagiographa ab Apocalypsis discernere. Plurimi conscripti fuerunt libri: partim nomine Salomonis, quibus exorcistæ vtebantur, partim nomine Enoch, cuius mentionem facit S. Apostolus Iudas, partim Heliç, ex quo citatur à B. Paulo illud, *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, vt testatur Epiphanius, etiam ipse Hebræus. Itaque per diuinam assistentiam adiuti & directi fuere Sacerdotes: ne in hac collectione apocrypham pro diuina scriptura obtruderent. Prętereà in quæstionibus de vero sacrarum literarum sensu, nunquam ab eis erratum fuit. Non enim defuerunt ipsis de lege diuina quæstiones. Ad ipsos recurrebat Herodes, quærens de loco vbi Christus nasceretur: cui ex Michæa verè respondebant. Denique ea, quæ

& cær

& cæremoniæ, cum diuina lege pugnantes, publico decreto admitterentur: quod erat *Ordinare testamentum eius super sacrificia*, vt loquitur Dauid. Hæc si veteribus Sacerdotibus permittis, (sicut cogeris) sat nobis est pro statu & conditione legis: & vix plura tribuimus Catholicæ Ecclesiæ. Cui si detis iudicium de libris, & interpretatione sacrarum literarum, deque sacramentis & cæremoniis Legis nostræ: citò inter nos conueniet. Psalm. 49

HÆRETICVS.

Glossa ait: *Non dicitur tibi, vt obedias, nisi iuxta legem docuerint.* Et Bellarminus Iesuita: *Satis apertè S. Moyses controuersias exortas in populo Dei, ex lege Domini dijudicandas docet.* Ergo non iubentur audire Sacerdotes, nisi iuxta legem decernant. Lib. 1. de Dei cap.

COSTERVS.

Citas Bellarminum: Audi ergo eundem ad hoc tuum argumentum Brentio respondentem. *Non voluit dicere, Sta iudicio Sacerdotis, si docueris te secundùm legem. Tunc enim fuissent homines magis dubij & perplexi, quam antea: nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent ex lege Domini per se iudicare causam suam. Immò tunc non sacerdos fuisset iudex, sed ipsi: quippè qui de sententia Sacerdotis iudicaturi erant. Non [illegible] consentio est, sed promissio.* Ibid. lib. 3

Vult

Vult enim Dominus ſecurum reddere populum, qui Sacerdotis iudicio acquieſcit, quod facit, cum affirmat iudicaturum eum ſecundum legem ſuã. Hoc idem ex Hebraica lectione & diſtinctione patet: quæ ſic habet. *Venies ad Sacerdotes Leuitas & ad Iudicem, qui erit in diebus illis & quæres, & iudicabunt tibi verbum iudicij.* Ecce promiſſionem iudicij veri. Sequitur nouus verſus: *Et facies ſecũdum verbum quod annunciabunt tibi de loco ipſo quem elegerit Dominus & cuſtodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te, iuxta ſermonem legis, quam te docebunt & ſecundum iudicium quod tibi dicent, facies: non declinabis à verbo quod annunciabũt tibi ad dexteram, vel ad ſiniſtram, &c.* Non igitur datur populo libertas iudicandi Sacerdotum ſuorum iudicium, ſed obediẽdi præceptum, rectè tamen monentur Sacerdotes, vt in iudicijs ſuis legem ob oculos habeant. Sacerdotes Eccleſiæ Dei inſtruit (inquit Gloſſa) vt iudicia Eccleſiaſtica ſecundùm poteſtatem ſibi à Deo datam reuerẽter agant, & iuſtè decernant: non ad libitum ſuum, ſed ſecũdùm legis decretũ. Eodem pertinent ſimiles admonitiones: *Docete filios Iſrael omnia legitima mea. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, & facite quæ præcepit vobis: non declinabitis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Quibus mandatur Sacerdotibus, vt accuratè ea exequantur, & doceant populum quæ præcepit Dominus,

nihil

nihil legi contrarium decernant, nihil de lege demant, nulla corruptione legem deprauent, nulla aliena interpretatione ad suũ arbitrium, detorqueant: sed fideles agant interpretes legis, eámque, prout à Maioribus suis per traditionem eius sensum didicerint, populo exponant.

HÆRETICVS.

Denique cum summi Sacerdotes â veritate ad mendacium, & à vero Deo ad idololatriam interdum defecerint, non omnia eorum decreta confirmantur.

COSTERVS.

Doce prius si potes, decreto Pontificis summi, sacerdotumq; Leuiticorum, approbatam aliquando idololatriam. Fateor non defuisse impios Sacerdotes quondã & Põtifices: sed ante Christi aduentum nullum legi impium decretum. B. Cyprianus rectè notauit, Christum, quoties eorũ mores carpsit, semper à nomine sacerdotũ abstinuisse: ad Dei reuerentiam, ad cuius sacrificia hoc nomen refertur, & ne cathedram & doctrinã reprehendere videretur. Fuerint itaq; idolorum cultores, at non idololatriæ doctores: viuant Pontifices nostri pessimè, & idolis thus immolent cũ Marcellino, nõ patietur tamen Deus, vt falsa doceant. Lib. 4. epi.

HÆRETICVS.

Quòd ex Matth. 23. adducis, *super Cathedram*

dram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite. nihil ad rem: quoniam non de vllis Pontificum decretis, sed de singulorum Scribarum & Pharisæorum doctrina loquitur.

COSTERVS.

Non de singulorum Scribarum & Pharisæorum doctrina loquitur, sed de sacerdotum decretis. 1. Quia apertè mentionē facit sedentium in Cathedra: quasi dicat, audite eos ex Cathedra docentes. Immò ex Cathedra infert, obediendum esse: Sedent, ait, in Cathedra, proinde audite, & obedite. 2. Quia iubet seruanda & facienda omnia, quæ ex Cathedra dicunt: vt sciant eos docendo & præcipiendo non errare, neque contra Dei legem quicquam decernere. 3. Quia priuatas Scribarum & Pharisæorum deuteroses alibi sine Cathedræ mentione, improbauit, & tanquam diuinæ legi contrarias damnauit: vt, quod priuata auaritia moti populum hortati fuerint ad largas eleemosynas in vsum templi erogãdas, parentesque hac ratione honore & sustentatione priuandos. Id enim non ex cathedra legimus cõstitutũ, sed auaritia paulatim introductum & vsurpatum: quia propter diuinam promissionē, qui in cathedra Moysis sedent, *ea quæ in lege habentur docent*, ait Theophylactus. ET. Chrysostomus: *Quamuis essent nequam, principatum eis confirmauit.*

miauit. Vt vel post increpationem edixerit, facite, quæcunque illi vobis esse facienda confirmant: non enim sua, sed quæ per Moysen Deus imperauit, prædicant: Illos propter legem Moysi venerandos autumet. In Moysi, inquit, *Cathedra sederunt. Ita qui à moribus eorum fide non potuit ipsos dignos esse testari, à sede ac ejus doctrina id facit.* Notanda est autem Cathedra Moysis: nempe potestas & authoritas quam Moysi Deus contulit, docendi & præcipiendi, leges condendi, legem interpretandi, & dubia soluendi. Hęc enim omnia ad Cathedram Moysis pertinebant, & à Moyse ad Sacerdotes veteris legis per successionem transmissa erant. Sicut Pontifex Romanus sedens in Cathedra Beati Petri, eadem authoritate pollet, qua Beatus Petrus.

HÆRETICVS.

Temerè desudas, vt primum Scripturæ modum in nouo Testamento haberi demonstres.

COSTERVS.

Nec desudo, neque temerè. Orthodoxam enim Catholicæ Ecclesiæ fidem proponere, sudore caret: cum ea sit clara, dilucida, illuminans. Quam non temerè in Euchiridio laborauerim, vestra Synagoga mihi testis est: quæ metu, ne per libellum meum à se ad nos plures deficiant, (sicut Dei beneficio non pauci defecerunt, & dubij plures in fide confirmati sunt) sibi hanc prouinciam, non sine mercede, de-

mandarunt, vt Enchiridij mei doctrinam Catholicam impugnes. Sudabis porrò temerè, per Dei gratiam, qui mihi ad singula respondenti (ita enim apud me statui, si vita comes fuerit) & tua sophismata resoluenti, suo fauore, non deerit. Fortè sudare tibi erit, vt euadas: Ego sudorem nullum timeo, qui nihil hactenus noui, quod non ex lactinis Caluini, & aliorum hæreticorum hauseris, in tuis inueni scriptis.

HÆRETICVS.

Ais quidem, *Cùm gloria domus secundæ, hoc est, Ecclesiæ, non sit minor gloria domus primæ, nimirum Synagogæ: debebit Ecclesia hac in re non esse synagoga inferior, habebitque manum sponsi sui, & genuinam scripturam.* Verùm, inquam, id minimè consequitur: quia falsa gloriæ definitione niteris. Quippe Christianæ Ecclesiæ gloria, vt in nouo Testamento ab Apostolo, sic in veteri à Propheta, non scripturæ modò, sed Christi exhibitione, Gentium omnium ad regnum Christi vocatione, & spiritualium donorum copia, delineatur.

COSTERVS.

Sophistam agis. Ego dixi, Ecclesiæ gloriam ne in hac quidem parte debere cedere gloriæ Synagogæ: tu inde ineptè colligis, me Ecclesiæ gloriam hac scriptura definire. Si quis dicat, Regi splendidioribus vestibus vtendum esse, quam nobilibus suis: rectè ne inde efficies, totum splendorem

dorem Regium consistere in vestium splendore? Agnosce fallaciam consequentis: & desine, quæso, in posterum sophisticari. Ego porro sic meam ratiocinationem instituo: Ecclesiæ gloria omnibus in rebus antecedere debet gloriam Synagogæ, præsertim in his quæ diuina sunt: Magna fuit Synagogæ gloria, Scripturam habuisse digito Dei exaratam: Igitur magna gloria carere non debuit Ecclesia.

HÆRETICVS

Nec secus euinces iis testimoniis, quibus maximè confidis. Nam primum eorum quatuor Ierem. 34. 33. 2. Cor. 3. 3. Ioan. 2. 27. Ioan. 6. 45 omnino aliena sunt. Quandoquidem Scripturæ vox in quæstione nostra propriè de Scriptura externa intelligitur: vt ex initio exordij & similitudinis abs te propositæ apparet: contra verò in argumento tuo, & hisce locis non propriè, sed metaphoricè, & tantùm similitudine quadam vsurpatur.

COSTERVS.

Ego Scripturam generatim accipio, pro eo quod exaratum est, & foris docet: quomodo B. Gregorius & post eum Damascenus & alij, historias Sanctorum in tabulis pictas, appellant Scripturam Idiotarum. Sicut enim legendo discimus: ita videndo cognoscimus. Diuina igitur Scriptura primi modi, quam per se ipse scripsit, vera est scriptura: non externa, sed interna: Lib. 9. 9. lib. 1 imag.

neque tamen in animis solis hærens, sed foris se prodens, vt ab omnibus legatur, & cognoscatur. *Epistola estis Christi*, (inquit Apostolus) *ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Simile est quod ex prophetia Ieremię dicit idem: *Hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vnusquisque proximum, & vnusquisque fratrem suum, dicens, cognosce Dominum: quoniam omnes scient me, à minore vsque ad maiorem eorum.* Hoc est, erunt omnes θεοδίδακτοι, à Deo docti: vt ex hoc loco affirmat Christus. Nihil igitur istud ad rem, hæretice? Sunt, vt ais, aliena? Ego ex dignitate Ecclesiæ præ Synagoga docere volo, Christi sponsam Ecclesiam non carere scriptura primi modi, exarata digito Dei viui. Nonne hoc efficaciter scripturis iam dictis probaui? Non loquor de Scriptura tantum chartacea, sed de Scriptura diuina, & quæ conuenit Deo. Hanc ille sic inscripsit menti & cordi Ecclesiæ, vt ab omnibus passim legatur: nequam quisque ad Deum cognoscendum alia institutione indiget, quam istius Scripturæ lectione. Sicut enim qui in pictura videt Christum, flagellis cædi, spinis coronari, & cruci affigi, non opus habet vt de his à quibuslibet verbis instruatur,

2. Cor. 3.

Ier. 31. 33. 34.

Ioan. 6.

ſtruatur, cum oculis clarius rem ipſam videat, quam eam tu illi verbis explicare queas: ita qui diuinam Scripturam in corde Eccleſiæ impreſſam legerit, facilè intelliget quid illi de Deo, diuiniſque myſteriis credendum ſit. Quæres, quomodo, quod in corde inſcriptum eſt, foris legatur? an fortè inuehitur corda, quod ſolius eſt Dei? Nequaquàm, ſed ſicut ex abundantia cordis os loquitur: ita Eccleſia, quæ corde credit, profitetur foris variis modis: tum verbis, tum cæremoniis, tum aliis factis. Si quis Caluiniſta ad nos veniat Bruxellam, videátque ſumma veneratione Miſſas celebrari, Chriſti corpus adorari, imagines honorari, Sanctos inuocari, pro defunctis orari, ſacratiſſimam Euchariſtiam ſolenni proceſſione circumferri, & blaſphemas Caluiniſtarum voces non tolerari: is leget ſcripturam cordis, & agnoſcet hîc non Caluiniſmum ſeruari, ſed veterem Catholicam religionẽ. Quid ſi idem ille peragret Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Indiam, aliáſque prouincias & terras Catholicas, atque in his omnibus eadem videat: nonne is apertè Dei ſcripturam in Eccleſia leget? Hæretice, ſudas, mihi crede, nec vides effugium: ideo de Metaphora quereris, vt aliquid dixiſſe videaris.

HÆRETICVS.

Præterea ſit. [illegible] Eccleſiarũ & Chriſtiano

stianorum notitia, & fides per charitatem efficax, sacra Scriptura dici non potest. Quia nec propriè scriptura omnino est, nec etiam (quum deprauari potuerit) fidei norma: vt omnibus constat. Atqui hæc inscripta cordibus, exempla Christi & vnctio, hæc sunt singularum Ecclesiarum & Christianorum notitia, & fides per charitatem efficax: vt liquet ex locorum circumstantiis: & orthodoxorum Patrum consensu declaratur. Quare nihil hæc loca ad rem propositam conducunt.

COSTERVS.

Priorem partem propositionis tuæ nego. Iam enim docui in Bruxellensi nostra Catholica ciuitate, aliisque Catholici orbis partibus, legi diuinam scripturam in cordibus scriptam. Altera pars vera est: sed consequutio sophistica. Sic enim argumētaris: Singularum Ecclesiarum & Christianorum notitia, & fides per charitatem efficax, non potest esse fidei norma: cum deprauari possit. Ergo nihil hæc loca ad rem propositam conducunt, hoc est: Ergo Scriptura cordi Ecclesiæ totius exarata, non potest esse fidei norma, & verbum Dei. Agnoscis ne sophisma consequentis? Singuli non possunt nauem mouere: ergo neque simul omnes. Deus Spiritus sui præsentiam Ecclesiæ addixit, non singulis vel locis, vel personis.

HÆRE

HÆRETICVS.

Deinde, si de Sacra Scriptura agerent, tum sanè non tres tantum, vt initio definis, sed quinque effingendi essent sacræ Scripturæ modi: tres vnius generis, & externæ scripturæ: duo alterius, & internæ. Nempe extraordinarius, & immediatus, vt in Prophetis, Apostolis, Euangelistis: & ordinarius, ac mediatus: vt in reliquis fidelibus.

COSTERVS.

Hic mihi sudandum, vt te intelligam. Obscuritas argumentum est perplexitatis. Nescio quos quinque modos veiis. Sint Deo centum, & mille scribendi modi: id instituto meo nihil obest. Ego contendo Ecclesiæ datas esse diuinas literas, digito Dei cordibus fidelium inscriptas: iuxta Ieremiæ vaticinium: de mediatis aut immediatis, tribus, vel quinque modis, non sum sollicitus: dummodo tres à me initio propositi maneant.

HÆRETICVS.

Primus, quem statuis, Scripturæ modus abest penitus à nouo Testamento.

COSTERVS.

Solam admittitis externam scripturam, quam omnium controuersiarum iudicem constituitis: neque aliud diuinum verbum agnoscitis in corde Ecclesiæ scriptum. Mentitus est ergò Deus qui se scripturum ait legem in cordibus nostris. Et vnde tu nosti aliò esse diuinum verbum in

membrana ab Apostolis scriptum? Vnde scis has ipsas Scripturas Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, & Paulinas, aliásque epistolas, esse eas ipsas, quas illi dictante Spiritu sancto scripserunt: non autem suppositicias? Vbi hæc scripta inuenis, nisi in corde Ecclesiæ? In controuersiis de Scripturarum intellectu, quis decernet veritatem? Cur Caluinistarum explicatio sanior est, quam Anabaptistarum? Cur Catholicorum, quam Arianorum, Macedonianorum, de diuinitate filij Dei, & Spiritus sancti: & Nestorianorum, de vnica persona Christi? Pleráque creditis, quæ neque scripta sunt, neque ex Scriptura necessariò colliguntur: velut, de perpetua virginitate matris Dei MARIÆ, aduersus Heluidium: de paruulorum baptismo, aduersus Anabaptistas: de communione mulierum, quæ in Scriptura nusquam leguntur communicasse: de cœna Domini ante meridiem, & à ieiunis sumenda, contra Scripturæ vsum. Hæc, & id genus plurima, vbi legistis, si nulla sit Dei Scriptura in corde Ecclesiæ? Vides quàm reddas incertam diuinam Scripturam externam, reiecta Scriptura interna? Ego (inquit Beatus Augustinus) Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoneret. Cur requirit Ecclesiæ authoritatem? Propter internum Dei verbum: quod eam, per Spiritum sanctum, docet omnem veritatem.

HÆRE

HÆRETICVS.

Prætereà veteris Testamenti Ecclesia interna illa (quam vocas) scriptura minimè caruit: cum & prophetiæ, & fidei dono excelluerint plurimi.

COSTERVS.

Non dubium quin sancti Patres veteris Testamenti legem Dei gestarint in cordibus suis: vtpote, qui per fidem, & diuinam gratiam, ad nouum Testamentum pertinebant. De quibus B. Apostolus multis ad Hebræos. At quia Deus per Prophetã nouo Testamento peculiare aliquid promittit, quo vetus Lex carebat: consideranda sunt verba Prophetę *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus vestris in die illa, qua apprehendi manum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum inscribam eam,* & cætera, quæ superiùs allata sunt. Quibus significatur aliquid noui (dicit B. Chrysostom.) quod nobis præ veteribus concessum est. Hæc autem sunt. 1. Insignis copia gratiarũ in animis Christianorum, quantam veteres non fuerunt consecuti: ad facilè, & sine magno

Hebr.

Hier.

Homil. ad He

magno labore, ea quæ Dominus mãdauit, perficienda. 2. Clara & aperta notitia Dei: quæ olim multis vmbris velabatur, vt eã pauci etiá prophetæ assequerentur. Nouerãt enim omnes Deũ vnũ & venturũ Messiam, atque per eum esse populum seruitute liberandum: at neque conditionem Messiæ, neque modum liberationis, plenè quisquam de Prophetis, aut Sãctis cognouit. 3. Hanc Dei, & mysteriorum Messiæ claram notitiam, non fore priuatam & penes aliquos tãtum repositam, sed omnibus palam & manifestam, vsqueadeò vt etiam pueri ab incunabilis eam nossent: tum ex parentum institutione, tum ex publicis concionibus, tum ex cæremoniis & quotidianis exercitiis. Illud in Ecclesia fieri, quis non videat: hîc enim infantes norunt & Christum, & eius matrem S. MARIAM, & eius passionem, crucem, & mortem, & eius sacramẽta, &c. Habuerint ergo Prophetæ Christum in cordibus suis: tamẽ neque clarè, neque omnia norant: neque publica erat notitia, quę ab omnibus legi poterat. Hìc obserua, in terris hæreticorum, hanc Hieremiæ prophetiam locum non habere, in tanta nouarum religionum varietate. Vnitas, est Ecclesiæ signum: varietas, hæreseos: sicut Patres notarunt. Quoties apud me questi sunt homines, de diuersitate doctrinarũ? Quoties audiui: Quõdam vnica erat fides, nunc tot fides, quot prædicantes, immò, subindè quot personæ

in

in familia: aliud credit maritus, vxor aliud; filius aut ancilla aliud, iste est Lutheranus, ista Caluinista, filius Catholicus, ancilla Anabaptista. Heu inquiunt, quo nos conuertemus? Singuli ad se trahunt: à singulis dicitur, hic est Christus: vbi ergo promissio Dei, *Non docebit vnusquisque fratrem suum. Cognosce Dominum: omnes enim cognoscēt me, à maiore vsque ad minorem*? En fructum hæreseos, infringere Testamentum Dei.

HÆRETICVS.

Alterum petitum est ex 2. Corinth. 3. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris: quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus.* Qua sententia nihil alienius afferri potuit. Docet enim Apostolus Corinthios sibi esse instar duplicis epistolæ commendatitiæ. Nam Corinthiorum animis inscripta Pauli ministerio fides, erat epistola Christi, qua Paulum Corinthiis commendabat: eiusque fidei iucunda in Pauli & sociorum memoria, fuit instar epistolæ apud alios.

COSTERVS.

Non est ita aliena, vt clamas, hæretice. *Vos estis*, inquit, *epistola Christi, ministrata à nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis: sed in tabulis cordis carnalibus. Hic*, (inquit Chrysostomus) *eos appellat epistolam Christi, tanquam qui legem Dei habeāt descriptā in cordibus, propterea quod, quæ Deus voluit esse nota, eum omnibus, tum vo-* Homil. 2. ad Co

bis, ea descripta sunt in cordibus vestris: nos porrò præparauimus vos ad excipiendas literas: quemadmodum Moyses lapides ac tabulas cœlæ adornauit, sic nos apparauimus animos vestros eosq; dicit ministrata à nobis: quamquàm in hoc pares erant: siquidem illæ à Deo descriptæ sunt, & hæ literæ à Spiritu Dei. Vbi igitur differentia? Inscripta non attramento, sed gratia à Spiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quantum autem interest inter spiritum, & attramentum, item inter lapideam tabulam, & carneam: tantum est discriminis inter hæc & illa. Eusebius ante illum sic ait: Moyses in tabulis inanimatis, Christus autē in mentibus vita præditis perfecta noui Testamēti dogmata descripsit. Necdum aduertis, hæretice, scripturam primi generis in Ecclesia, quæ succesſerit tabulis Moysis?

em 5. d.c.8.

HÆRETICVS.

Est autem, inquis, *scriptura hæc, Ecclesiæ Catholicæ consensus, & Christianorum omnium doctrina.* Verùm cùm Ecclesia Catholica per vastum terrarum orbem sit diffusa, consensum illius Conciliorū definitis sententia. Sed quia hæc rariora sunt, nec omnes ab iis controuersiæ deciduntur: maiori compendio ad Pontificis Romani iudicium astringitis.

COSTERVS.

Vniuersam doctrinam Christianam Spiritus sanctus commisit Ecclesiæ. Huius autem Ecclesiæ cum varia sint membra, & Christianæ fidei multæ partes: pro sua sapienti bonitate, singulis suam notitiã temperauit Deus. Populo commisit communia, non solùm fidei articulos, qui ante baptismum ab adultis sciri debent: sed alia quoque dogmata fidei, de Sacramentis, de Sacrificio, de Sanctis, de Defunctis, deque aliis mysteriis, quæ passim in Ecclesia traduntur & vsurpantur. Prælatis dedit scientiæ clauem, quam Christus Apostolis promisit ante mortem: *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Horum est ergo plura nosse, vt doctorum populi, & obscuriorum quæstionum causas & solutiones, cum fuerit opus tradere. Vbi igitur quæstio exoritur de his, quæ à Christiano populo per vniuersum orbem exercentur, cuiusmodi sunt controuersiæ, quæ ab hæreticis moueri solent: vt hodie, sintne inuocãdi sancti, sitne Sacrificium Missæ offerendũ, sitne pro defunctis orandum, sintne colendæ Christi & Sanctorum imagines, sitne adorãdus Christus in Eucharistia, sintne vota à Monachis seruanda: debeantne ab Episcopis consecrari sacerdotes Ioan.

cerdotes & Ecclesiæ ministri? & id genus reliqua, quæ nostri mouent: Item olim, sitne Christus idem Deus cum Patre & Spiritus Sanctus idē Deus cum vtroque: sitne Christi vna persona, an duæ, &c. Ad harū quæstionū solutionē nō est magnoperè laborandū. Inspiciantur tantum characteres Spiritus Sancti, per vniuersam Ecclesiam scripti, hoc est, quid hactenus vbique hac in re vsurparint Christiani, & erit clara resolutio. Si quæstio sit altior, & vulgi captū excedat, vt, de voce hypostasis, de qua D. Hieronymus consulebat Damasum, de vocabulo homoousij, consubstantialis, de transubstantiatione, & id genus aliis: consulendi sunt Episcopi, quorum est, secretiora nosse mysteria, &, quid hactenus de his in Ecclesia creditum & doctū fuerit, scire. Si porrò ab his dubitetur, eorúmque varient sententiæ, sicut olim de rebaptizādis iis, quos hæretici baptizauerant: consulenda est B. Petri Sedes, ad quā à Maioribus nostris grauiores causæ deferri solent: quod ei à Christo dictū sit, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hæc enim Romana Sedes semper & nouit, & incorruptam cōseruauit Apostolicam doctrinam. Sicut veteres omnes testantur, & hæreticus iste non ignorat. Non igitur astringimus Christianę religionis dogmata ad Pōtificis Romani solius iudicium: sed ea per vniuersam Ecclesiam scripta docemus, in

du

dubiis tantum dicimus Beati Petri Sedem consulendam.

HÆRETICVS.

Eos solùm agnoscitis pro veris Christianis, & Ecclesiæ Catholicæ membris, qui Ecclesiæ Romanæ quasi matri, & Pontifici quasi capiti, & certissimæ orthodoxi cõsensus normæ in omnibus obtemperant.

COSTERVS.

Et quidem rectissimè. *Non enim habebit Deum Patrem* (ait D. Cyprianus) *qui Ecclesiam non habuerit matrẽ.* Extra ouile Christi, non sunt oues Christi. Quæ non pascũtur à Petro, non admittuntur à Christo. Vt extra arcam Noë omnes passi sunt diluuium: ita extra hanc Ecclesiam nemo saluatur. Ecclesia vna est: si hæc non sit Romana, quænam est, Caluinisticane? At illa vix ex ouo prodiit. Sine vobis, & ante vos, multi ad cælos ascenderunt: vos cum nouo vestro cœtu peribitis.

HÆRETICVS.

Atque hinc splendida illa Romanæ Ecclesiæ encomia.

COSTERVS.

Hæreticus transitum facit ad veterum sanctissimorum Patrum irrisionem. Ne mireris, hæreticus est, hostis Romanæ Sedis, quæ capita hæreticorum serpentum conterere solet, omnem captat irridendi occasionem. Sed in apophthegmatibus Diogenis Cynici, Asini rictu, dentibus, & auribus irridentur ouios quosque, & non curantur.

HÆRE

HÆRETICVS.

Sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium fidelium & magistra.

COSTERVS.

Verba agnosco Concilij secũdi Lugdunensis Generalis: qui præter 160. Prælatos minores & viros doctissimos, aderant 500. Episcopi, adeoque ipse Romanus Pontifex Gregorius 10. & Græcorum Imperator, Michael Palæologus, cũ legatis Græcorũ & Tartatorum, anno Domini 1274. Neq; nouum est istud Encomium Romanæ Ecclesiæ, vt mater dicatur fidelium. Sic enim etiam ipsam appellauit S. Zepherinus Papa, qui martyriũ pro fide subiuit anno Domini 221. cũ Ecclesiã 18. annos rexisset: *Ad hanc* (inquit) *Apostolicam Sedem ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est & concurrendum, quasi ad matrem: vt eius vberibus nutriantur, authoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur: quia non potest, nec debet mater oblinisci filium suum.* S. Athanasius Alexandrinus Patriarcha, vir sanctissimus, & in Scripturis doctissimus, his verbis scripsit ad B. Liberium Papam: *Beatissime pater, quia semper antecessores nostri & nos, à vestra Apostolica sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus: præfatam Apostolicam & summam appetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium*

lium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt. Ad eam quoque, quaſi ad matrem recurrimus: vt eius vberibus nutriamur: quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum. Sic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos. Poſt nonnulla: *Tu prophanorum hæreſium, & impietatum, atque omnium infeſtantium depoſitor, vt princeps & dictor, caput omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis.* Diſce hîc primò Romanam Sedem ante 1300. annos, hoc nomen matris omnium fidelium & agnouiſſe & vſurpaſſe. Secundò, A Patribus, vt matrem agnitam & ſumma veneratione inuocatam. Tertiò, Ab ea ordinationes & dogmata etiam primis Patriarchis dari conſueuiſſe. Quartò, Romano Pontifici omnes eſſe commiſſos. Quintò, Eam eſſe principem, & doctricem, & caput orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei, quam D. Ambroſius profitetur ſe in omnibus ſequi velle. Et de S. Malachia Archiepiſcopo Hyberniæ, miraculis claro, ſcripſit Sanctus Bernardus: *Quod Apoſtolicas ſanctiones, ac decreta ſanctorum Patrum, præcipuque conſuetudines ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in cunctis Eccleſiis ſtatuebat.* Nimirum, quia in Romanam Sedem nullus vnquam irrepſit error. Sextò, Eandem eſſe hæreſeon omnium depoſitricem (vt ita loquar) quod ipſius ſit de doctrina iudicare, & falſa dogmata de medio tollere.

Lib. 3. de Sacram. cap.

In vita cap. 4.

HÆRE

HÆRETICVS.

Mater fidei, caput & cardo: cuius authoritate omnes reliquæ Ecclesiæ regantur fundamentum & forma Ecclesiarum: à qua omnes Ecclesiæ principium sumpserunt.

COSTERVS.

Citas duo prima capita distinctionis 22. apud Gratianum & Papam Vigilium. Primũ cap. est Nicolai 2. qui sedit annos 1159. & in Concilio Lateranensi 118. Episcoporum, Berengarij, eiusque sequacium Caluinistarum errores damnauit, eumque literis sacris ita conuicit, vt ad palinodiam redigeretur: quæ in decretorũ libris extat Hic ergo Nicolaus Papa sic habet: *Omnes siue Patriarchij cuiuslibet apices, siue Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates, instituit Romana Ecclesia: illam verò solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cælestis Imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est cælum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam: Illius certe priuilegio fungitur, illius authoritate fulcitur. Vnde non dubium: quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium*

Eccle

nsecrat cap. 42. Beren- s. ltola ad olanen-

Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur iniustus, hic est procul dubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est fidei: & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. Hîc notabis quinque. *Primum*, Patriarchatus, Metropolitanas Ecclesias, Episcopatus, & dignitates omnes à Romana Sede institui, vel institutas esse. Vtroque enim modo intelligi potest illud, *instituit*. Constat quippe, in Occidentali Ecclesia neminem ad Episcopatum euehi, citra Romani Pontificis consensum & authoritatem. Orientales Ecclesiæ & Meridionales, antequam schismate & hæresibus ab Occidente diuiderentur, Patriarcharum suorum confirmationem à Romana Ecclesia accipiebant. Hoc de Alexandrino, cui Ægyptus & vniuersa Æthiopia parebat, ex Athanasio superius audiuimus, dum ait, *prædecessores suos ab ea ordinationes cepisse*. de Antiocheno, cui (vt testatur Beatus Hieronymus) totus Oriens subiectus erat, facilè intelliget, qui epistolam Concilij Constantinopolitani ad Damasum accuratè legerit. Romani Pontificis authoritatem in Patriarcham Constantinopolitanum videbis, si factum Agapeti Papæ consideres: qui Constantinopolim veniens Antimum Patriarcham loco mouit, & Menam pro eo constituit. & tamen Iustinianus Imperator cum

a Pa
chium.

cum Theodora Augusta, sæpius apud eum, eiusque successores Siluerium & Vigilium, pro eius restitutione institerint: nihil tamen obtinuerunt. De Africanis Ecclesijs vide Stephani, & Conciliorum eius epistolam ad Damasum Papam: ex qua ego inferius aliquid. Si vocem, *instituit*, accipias in præterito, pro institutas esse, etiam hoc modo verum dicit Pontifex. Nam à Beato Petro (vt testis est Diuus Chrysostomus) habuit Ierosolyma ante omnes alias Ecclesias, primum Episcopum suum. *Quod si quis* (inquit) *percunctaretur, quomodo Iacobus sedem Ierosolymis acceperit, responderem, hunc totius orbis Magistrum præposuisse.* Hunc enim consecrauit, adhibitis socijs Iacobo & Ioanne fratribus, (vt post Anacletum, testatur Eusebius ex Clemente Alexandrino) constituens, nequis Episcopus nisi à tribus Episcopis consecrationem acciperet. Antiochænam sedem ipse præsentia sua instituit: in qua sedit annis septem. De Alexandrina, sic habet Beatus Gregorius: *Ipse* (Beatus Petrus) *decorauit sedem, in quam Euangelistam discipulum misit.* Idem, fatetur alibi Ecclesiã Africanam à Romana Ecclesia fidem accepisse. Immò Metaphrastes affirmat Beatum Petrum in Africa fuisse, & Carthaginensem Ecclesiam fundasse. Agapetus Papa scripsit, Beatum Petrum Byzantij, (quæ modò est Constantinopolis) primum Episcopum constituisse. A Romana Sede missos in Galliam, Hispaniam,

7. in

Histor.

5. Epist. ulogio Alexãd.

ndict. c. 2.

Mario. 2. Syno

Ger

Germaniam, Angliam, Poloniam, aliasque Europæ prouincias, notius est, quam vt testibus probari debeat. *Secundum*, quod in hac Nicolai Papæ epistola notabis, est: Romanam Ecclesiam à solo Christo fundatam esse: Christus enim per se suisque verbis, qui cæteros discipulos Apostolos, hoc est Legatos per Orbem misit, soli Beato Petro nomen Pastoris ouium suarum impositit: *Pasce*, inquiens, *agnos & oues meas*. Cumque Petrus Antiochiæ tanquam in primaria Syriæ Metropoli, sedem fixisset, iussus est à Christo commigrare Romam; (ait Beatus Marcellus Papa & Martyr) vt vbi sedes erat Imperij, esset etiam Sedes primaria Pontificatus. *Tertium*, quod Christus B. Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperij iura commisit. Istud hæreticorum auribus pessimè sonat: qui cum sint maiori ex parte homines prophani & sæculares, Ecclesiasticis derogant, & omne ius ciuile & Ecclesiasticum sibi arrogant, (contra diuinas literas, & Patrum decreta) non secus, ac si ipsis terreni simul & cœlestis Imperij iura commissa essent. Qua in re à suis prædicantibus fouentur: qui cum sint ferè fex vulgi, indigni, quibus nobiles viri filias suas connubio iungant, hoc vnum quærunt, vt Magnatum ineant gratiam præpostera adulatione, qua ipsi omne ius deferunt, digni vt exemplo Iudæorũ (qui abiecto Christo, Cæsarem solum regem suum clamarunt:

Ioan. 21

Epist. 1 pisc. An

eius

eius imperium euersa ciuitate, & prope modum deleta gente, experti sunt) etiam ipsi sæcularium legum seueritatem experiantur. Cæterum non vult Nicolaus Papa à Romano Pontifice vtrumque Imperium cæleste & terrenum, hoc est, Ecclesiasticum & sæculare, administrari debere: sed ei, non solum Ecclesiasticorum, verum etiam sæcularium omnium, atque Regum & Imperatorum, à Christo curam demandatam esse. Sicut præclarè Innocentius III. de peccato regis Francorum, ex Scripturis demonstrat. Sanctus Ambrosius (vt est apud Theodoretum) excommunicauit Imperatorem Theodosium. Beatus Chrysostomus minatur similem excommunicationem Imperatori, nisi legem de vitandis iuramentis obseruet. Et alibi non veretur, (post Beatum Ignatium) dicere, Regem esse Sacerdoti subiectum, atque à Sacerdote pendere. Marcellinus Papa & Martyr, irritat Regum leges, quæ contra Scripturam sacram vel sanctorum Patrum constitutiones, sancitæ fuerint. Et eius successor Marcellus martyr præscribit Maxentio Tyranno modum conuocandi Episcoporum Synodum: quę nisi de Roman. Pontificis authoritate, cogi non debeat. Multa hac de re videas in prolixa illa epistola Nicolai primi, ad Michaelē Imperatorem Constantinopoli. quem ipse, vt bonus pastor, piè monet, & docet, Præsulibus honorem habere, exemplo Constantini, qui Episcopis semper detulit. *Quartum*, quod

udiciis.
uit ille
H. stor.
7. 18.
m. 26. ad
3. ad pop.
t. 2. ad
s. les 1 pisc.
Epist. 2.

is,

is, qui Romanæ Ecclesiæ priuilegia auferre molitur, non solùm iniquus aut iniustus sit, sed etiam hæreticus: quia aduersatur diuino verbo quod Beato Petro eiusque successoribus, hoc priuilegium in Ecclesiæ vtilitatem dedit. Qui ergo non modò hoc Rom. Ecclesiæ priuilegium non agnoscit, sed B. Petri successorē ipsissimum esse Antichristum populis verbo & scriptis persuadent: quo loco apud Deum erunt? Hic Pontifex plus fidei meretur, quam tota Caluinistarum colluuies. *Quintum*, Romanam Ecclesiam esse fidei matrem. Non quod illa peperierit fidē, quam Christus solus animis indit Christianorū: sed primò, quòd ab ipsa sola sit incorrupta conseruata Catholica fides. Nemo diffiteri potest in omnes Patriarchales Ecclesias quādoque irrepsisse hæreses, religionemq; mutaram & corruptam hæreticis Patriarchis, Macedonio, Nestorio, Paulo Samosateno, Petro Gnaphæo, Dioscoro, &c. at in Roman. Ecclesia nulla fuit vnquam mutatio. Nemo vel Pontificem nominabit, qui mutationem induxerit vel tempus, quo in vrbem inducta fuerit. Adhibeant hæretici neruos omnes, excogitent & fingant, quotquot volunt, Roman. Pontifices hæreticos: neminem tamen proferre poterunt, qui dum Romæ Pontificatum administraret, fuerit hæreseos vere accusatus, vel author mutationis extiterit. Semper enim Pontifices omnes, quam fidem & religionem à

maio

maioribus acceperunt, eandem ipsi sibi commissos docuerunt, & successoribus reliquerunt. Sed hac de re (vt existimo) tractatu de Rom. Pontifice, latior erit differendi campus. Secundò: Quod ab ipsa (vt paulo superius demonstraui) cæteræ Ecclesiæ receperint fidem. Tertiò. Quod ad ipsam solam pertinuerit semper grauiores de fide quæstiones & dubitationes resoluere, & in Concilijs tum generalibus, tum particularibus resolutas confirmare. Nullum hactenus celebratum legimus Concilium, cui Romani Pontificis confirmatio authoritatem non dederit.

Venio ad alterum caput distinctionis 22. omnes dicap. 3. Cuius initium est, *Sacrosancta Romana*, descriptum ex epistola tertia Anacleti Papæ & Martyris, qui successor Beati Clementis discipuli Beati Petri, quartus post Beatum Petrum, martyrio coronatus est, anno Domini 112. cum sedisset annos 9. menses 3. dies decem. Huius tam antiqui Pontificis & sanctissimi Martyris verba quis non maximi faciat? Quem certum est ab ipso Beato Petro orthodoxam fidem, & Catholicam doctrinam accepisse (à quo se fatetur presbyterum consecratum) & his literis suis expressisse. Sic autem habent: (scribam ea potissimum, quæ hæreticus ridenda proponit.) *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro, primatum obtinuit: & eminentiam potestatis super vniuersas*

Eccle-

Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, assequuta est. Sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Et post nonnulla. *Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ: quam beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarũt.* Item, paulo post. *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, (& ipsi inter se idipsum voluerunt) vt reliquis omnibus præesset Apostolis: & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus, qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Et non sàlùm hoc in nouo Testamento est constitutum: sed etiam in veteri fuit. Vnde scriptum est: Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. Hæc verò Apostolica Sedes, cardo & caput (vt prætactum est) omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio, est constituta: & sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Sedis authoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.* Matt. 16. Psalm. 98.

Hîc rursus notabis nouem. *Primum*, Romanam Ecclesiam ab ipso Domino primatum obtinuisse. Non à Phoca, aut alio Imperatore, vt nugantur hæretici. *Secundum*, Eius potestatem extendi super vniuersas Ecclesias, & totum Christiani populi gregem: idque Christi Domini iussu. *Tertium*, hanc Ecclesiam martyrio beatorum Apostolorum Petri &

Pauli consecratam. Fuit ergo Beatus Petrus Romæ, ibique vitam finiuit: quod plerique indocti hæretici negant. *Quartum*, Discrimen potestatis inter Apostolos fuisse: vt etiamnum est inter Episcopos Apostolorum successores. *Quintum*, Beatum Petrum à Domino constitutum Apostolorum caput: vt passim à veteribus nominari solet Princeps Apostolorum. *Sextum*, Apostolos ipsos hunc eius principatum voluisse: seséque ipsi sponte submisisse. Vt hæreticorum agnoscas superbiam: qui præesse volunt omnibus, parere nulli: omnia carpere, censuram non ferre: omnia damnare & ridere, sed nolle contemni. *Septimum*, Noui & veteris testamenti similem esse formam, si supremum spectes Pontificatum. Vbi ergo sine supremo capite est congregatio, ea non est, iuxta normam Scripturæ, vera Ecclesia. *Octauum*, Apostolicam Sedem esse à Domino constitutam, nõ modò caput, sed etiam cardinem omnium Ecclesiarum. Sicut enim ostium à cardine pendet, & volvitur: à quo si remoueatur, decidet: ita Ecclesiæ omnes, vt rectè se habeant, coniungi & vniri debent cum Rom. Ecclesia: à qua quisque separat, corruit & excidit à salute: sicut ouis fit præda luporum, si ab ouili & pastore digrediatur & aberret. *Nonum*, Ab hac Sede omnes Ecclesias, Domino disponente regi? Viden. quid B. Petri discipulus de Romana Ecclesia, abhinc ferè

1300.

1500. annis scripserit? Et tu Hæretice, ista rides, & ridenda proponis? Cur non sapis, & superbum caput tuũ tam antiquæ doctrinæ nõ submittis. Sequitur Vigilius Papa, qui 16. annis Ecclesiam rexit, vsque ad annum Domini 555 Huius extat insignis epistola ad Gutherium Episcopum: cuius c. 7. sic habemus: *Nulli vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum & forma sit Ecclesiarum: à qua omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, B. tamen Petro concessum est, vt cæteris præemineret.* Vnde & Cephas vocatur, (quia caput est, & primus omnium Apostolorum) & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrẽ sancta Rom. Ecclesia eius merito Domini voce cõsecrata, & sanctorum Patrum authoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quã, tam summa Episcoporum negocia, & iudicia atq; quereæ, quã maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referẽda sunt. Nam & qui se scit aliis esse prępositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum. Ipsa námque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas: vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cuncta maiorum negocia causarum, eidem sanctæ Sedi reseruata

esse liquet, præsertim cum in his omnibus, eius semper sit expectandum consultum: cuius tramiti si quis obuiare tentauerit, sacerdotum causas se, non sine honoris sui periculo, apud eandem sanctam Sedem nouerit redditurum.

Hîc etiam notabis octo. *Primum*, Hunc Pontificem præcessisse Beatum Gregorium, annos 40. & Phocam, amplius 50. Cum igitur Caluino Gregorius fuerit in ordine legitimorum Pontificum postremus: non erit iste ex ordine verorum Pontificum Roman. remouendus. *Secundum*, Multa hîc reperi, quæ ex S. Anacleti decretis superiùs recitata fuerunt, vt videant hæretici, quomodo semper maiorum suorum vestigiis, processerit Ecclesia. *Tertium*, Rom. Ecclesiam esse fundamentum Ecclesiarum. Sic enim iste Pontifex rectè Christi verba, Beato Petro dicta, contra hæreticorum prauam expositionem accepit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Siquidem super fidem, quæ nunquam defuit, aut defutura est, in sede Romana fundata est à Christo Catholica Ecclesia. *Super Apostolicam petram* (ait Beatus Damasus) *Christus vniuersalem construxit Ecclesiam: cui Episcoporum summa iudicia, atque maiorum causæ reseruatæ sunt atque solidatæ*. Qui igitur huic fundamento non nititur, decidet cum hæreticis. *Quartum*, Eandem esse formam omnium Ecclesiarum. Siquidem ab hac Sede habemus decreta, & pias ordinationes,

auth. 16.

Epistol. 3.

nes,

nes, quibus Reſpubl. Chriſtianæ conſeruantur. *Quintum*, Omnes Eccleſias ab ea ſumpſiſſe principium: vt ſuperius à nobis expoſitum eſt. *Sextum*, Quod nulli, vel tenuiter ſcienti, vel pleniter ſapienti, de his dubium ſit. Nõ igitur hæretici noſtri quicquam vel tenuiter ſciunt, vel pleniter ſapiunt: qui, non dico, de his dubiũ mouent, ſed ea ſummis conatibus inficiantur, & Apoſtolicam Sedem, Antichriſti cathedram appellant. *Septimum*, Ad hanc Sedem omnes grauiores Eccleſiæ quæſtiones referri: Nunquam enim aliquid contra orthodoxam doctrinam & fidem reſoluit: neque à Chriſto Eccleſiæ ſponſo reſoluere permittetur, ne ab illa Sede proficiſcatur error, cuius fides & doctrina eſt norma Eccleſiarum. *Octauum*, Alios quidem Epiſcopos in partem ſollicitudinis eſſe vocatos, non in plenitudinem poteſtatis. Vide hæretice, quid ante mille annos de Romanæ Sedis eminentia ſcripſerint Rom. Pontifices: & illi quidem, quos Caluinus veſter agnoſcit Pontifices. Si lapſi fuerunt in re tanti momenti: ſi nimiam ſibi arrogarunt authoritatem: ſi mentiti ſunt: cur nemo tantæ audaciæ & arrogantiæ obuiam iuit? Cur ſiluerunt omnes? Immo, cur ipſorum decreta, tanquam diuina oracula admiſerunt: in ſacros canonum libros retulerunt: & publicè in ſcholis prælegendo ſtudioſis propoſuerunt? Non enim vnus Vigilius eiuſmodi ſcripſit: ſed ante eum, ad

vnum omnes. Vide grauiora in Epistolis Iulij I. qui sedit anno Domini 342. & Orientales Episcopos seuerè coarguit. *Miror*, inquit, *vos tam audaces esse, & tam impudenter egisse, & terminos ac iura B. Petri Apostolorum Principis inuasisse. Sui enim iuris erat, vt ab vno eius Sanctæ Sedis authoritate, nullus deberet aut Concilia celebrare: aut Episcopos ad Synodum conuocare: aut damnare eos: aut propriis pellere sedibus.* Paulò post. *His taliter consideratis atque discretis, tanquam omnium curam gerentes, propter Sedis propriæ dignitatem, suscipimus eos in communionem, singulique; cum suis; authoritate huius sanctæ Sedis, rebus, proprias reddimus Ecclesias. Quoniam huic sanctæ Sedi: propter prauorũ hominũ insidias, ipso Domino instituente, & sanctis Apostolis, eorúmque successoribus per singula Concilia corroborantibus, hoc semper licuit, licebitq; Domino auxiliante, in perpetuum.* Nota. 1. Eos, qui ab aliis dãnati, & de sedibus suis pulsi erant, per Rom. Pontificem restitui. 2. Hanc potestatẽ à Domino Rom. Ecclesiæ collatam: & ab Apostolis, eorúmque successoribus corroboratam. 3. Eandẽ authoritatem in perpetuũ Ecclesiæ Rom. perseueraturã. Sanè hactenus in ea perdurauit: quicquid obganniuerint hæretici: & in finem, ex Christi promissione, perdurabit, vel inuitis hæreticis qui crepando perire possunt: Rom. autem Sedem euertere non possunt. Cum Africani Episcopi à nõnullis improbis sacerdotibus vexarentur, & suis sedibus pellerentur, Stephanus,

Mauri

Mauritaniæ Archiepiscopus, conuocatis Episcopis tria celebrauit Concilia, & eorum communibus litteris, his verbis Rom. Pontificem S. Damasum interpellauit: *Notum facimus vestræ Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positis quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deiciunt gradu, vel deicere moliuntur: cum vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negociorum, in honore Beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam: inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura & sollicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare: quam releuare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid horum, quamuis in remotis vel longinquo positis, ageretur Prouincijs: non prius tractandũ, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum: vt eius authoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum, firmetur.* Notabis hic 1. Ea quæ de Romana Sede Pontifices omnes toties inculcarunt, etiam ab aliis Episcopis agnita fuisse; & magna veneratione suscepta. Docent hæc Mauritana ista Concilia: & ante illa, Beatus Athanasius, cum Synodo Alexandrina Episcoporum Ægypti, ad Liberium Pontificem: & postea sanctus Ioannes Chrysostomus, cum 40. Episcopis, & cum Constantinopolitano,

qui Beati Innocentij Pontificis, contra pseudosynodum Theophili, opem imploraruant. *Nota 2.* Authoritate Rom. Sedis confirmandum esse, quicquid de Rebus, vbiuis locorum, etiam in remotis prouinciis, pronunciatur. *Nota 3.* Honoris titulos, quos Rom. Pontifici deferunt. Sic enim auspicantur epistolam: *Beatissimo Domino & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum, Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Conciliis Africanæ Prouinciæ.* Et in fine. *Deus creator omnium conseruet longæuum Apostolatum vestrum, ad stabilitatem Ecclesiarum sanctarum, & orthodoxæ fidei: Vósque pastorem bonum, qui pro spiritualibus ouibus vestram ponitis animam, atque baculo pastorali lupos rapaces expellitis, omnibúsque oppressis auxilium fertis. Quod & istis, & omnibus vos semper facere optamus, sanctissime Papa,* &c. Longè alio initio inchoarent, & alio fine clauderent hæretici suas ad Roman. Pontificem literas. Sed quia hæretici, ideo Rom. Sedis iurati & nati hostes. Ad hæc rescripsit sanctissimus Papa Damasus, in hæc verba: *Oportet iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum Domini diuinam præceptionem, nos, qui supra domum eius, hoc est vniuersalem Ecclesiam Catholicam, Episcopale gerimus ministerium, sollicite vigilare: ne de sa-*

iftol. 3.

cris

eris eius muneribus, id est, Apostolicis viris, Apostolorumque successoribus, atque ministris, nobis dormitantibus valeat supprimi: atque iniussè, nobisque inconsultis damnari. Scitis, fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim (sicut diuinum pronunciat verbum veraciter) *Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt: & tibi claues regni cælorum commissi, atque ligare & soluere potestatem, quæ in cælis sunt, & quæ in terris promulgaui. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximèque discipulorum meorum, existis vt Princeps & doctor Orthodoxæ & immaculatæ fidei. Cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur: & omnes huius sanctæ sedis Præsules eius vices gesserunt, gerunt, & gerent,* &c. Hic est ille Damasus, cuius se clientem nominat Beatus Hieronymus, & ad quem sic scripsit: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicumque tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Videa hæreticę vt omnes conueniant. Hie-

ronymus scriptione libertimus, nec ipsi pepercisset Damaso, si quid supra veritatem locutus esset: vtpotè hæreticorum malleus, & osor errorum.

HÆRETICVS.

De qua re memorabilis arrogantiæ est Calixti Papæ decretum. *Non decet*, inquit, *à capite membra discedere: iuxta scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus vos conuenit deuiare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem Patris sui, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia.*

COSTERVS.

Agnosco ad Benedictum Episcopum, verba Calixti Papæ & Martyris: qui in Cathedra Beati Petri sedit Romę, decimus septimus à Beato Petro anno Domini 214. Sed addenda erant, quæ sequuntur: *Cuius caput vt prædictum est Romana existit Ecclesia. Quicquid ergo sine discretione iustitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi nulla ratio permittit.* Notabis hic quinque. *Primum*, Temporibus huius Pontificis, hoc est ante annos 1400. nulli fuisse dubium, Apostolicam sedem matrem esse omnium Ecclesiarum. Quid ergo moderni Nouatores,

tores, post 14. secula, dubium mouent? *Secundum*, Ab huius Sedis regulis deuiandum non esse. Matris enim est, filio regulas præscribere viuendi & cognoscendi. *Tertium*, Perficiendam esse à nobis voluntatem matris nostræ Ecclesiæ, sicut filius Dei perfecit voluntatem patris sui. Qui enim noluerit Ecclesiam matrem, non habebit Deum Patrem. *Quartum*, huius Ecclesiæ Catholicæ caput existere Romanam Ecclesiam: quemadmodum & ante hunc, & post hunc, omnes Rom. Pontifices affirmarũt, & sacri Doctores agnouerunt. *Quintum*, Irritum esse quicquid contra Rom. Ecclesiæ disciplinam fuerit actũ. Hæc sub initiũ Ecclesiæ scripsit sanctissim⁹ Pontifex & constantissimus martyr Christi: cui his 1400. annis nemo catholicus contradixit. Quàm ergo memorabilis arrogantiæ est, hic contemptibilis pulex hæreticus: qui in summum Ecclesiæ verticem audet insilire? dignus profectò qui pulicum more digitis teratur, & vnguibus comprimatur.

HÆRETICVS.

Huc etiam perrinent Pontificiæ dignitatis elogia: *Voluntariam Canonũ Papalium violationem esse sacrilegium, imò blasphemiam in Spiritum sanctum: cuius nutu & gratia Canones editi sunt.*

COSTERVS.

Verba sunt Damasi Papæ: *Violatores Canonũ voluntarij grauiter à sanctis Patribus iudicantur* 25. quæst. cap. 5.

dantur, & à Sãcto spiritu (instinctu cuius ac dono dictati sunt) damnantur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videtur, qui contra eosdem sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter, (vt præmissum est) aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctum: quia, vt iam prælibatum est, contra eum agit, cuius natu & gratia sãcti Canones editi sũt. Notabis. 1. Sacros canones instinctu & dono Spiritus sancti dictatos esse. Vt tertium genus Scripturæ diuinæ habeamus, de quo superiùs, & latiùs inferiùs. *Nota.* 2. Damnari à sanctis
p. 3. Patribus, horum canonum violatores voluntarios. Viderint igitur hæretici, quodnam sit post hanc damnationem de ipsis sumendum supplicium: qui non solùm canones violant, sed & rident, & spernunt. *Nota.* 3. Blasphemari Spiritum sanctum à Canonum spontaneis transgressoribus. Atqui blasphemia hæc neque in hoc sæculo dimittitur, neque in futuro. Meritò igitur sibi metuere debent blasphemi hæretici, hoc damnationis fulmine, à supremo Christi Vicario, tam seueriter icti. Irrideant modò, vt libet, sed risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupabit.

Cæterùm quod citas ca. Si quis, 17. quæst. 4. fortè erratum est abs te. Sed cap. *Nemini* eadem causa, sic habet: Nicolaus, eius nominis

minis primus. *Nemini est de Sedis Apostolicæ iudicio iudicare permissum, aut illius sententiam retractare, propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in Beato Petro Apostolo diuinitus collatum.* Hic Pontifex duo, quæ à maioribus suis acceperat decernit. 1. Non esse à quoquam vel iudicandam, vel retractandam Apostolicæ Sedis sententiam, vtpote supremi Tribunalis Ecclesiæ Dei. 2. Hunc primatum Ecclesiæ illi à Christo collatum : quod superiùs iam sæpius à vetustissimis Pontificibus audiuimus.

En hæretice, septem pontifices Romanos ridendos exposuisti : Anacletum, Calixtum, Damasum, Martyres, Vigilium, Nicolaum, primum, Nicolaum secundum, Gregorium decimum, qui ab Apostolorum temporibus, diuersis sæculis eadem prorsus docuerunt, & Christiano orbi commendauerunt, quorum sententiæ cæteri Pontifices, & omnium Ecclesiarum Episcopi astipulati sunt, & subscripserunt. Cur igitur tu, cum tuis Symmistis, non sic cum ratione & conscientia ratiocinaris ? Doctrinam Catholicorum de Romanæ Sedis primatu, videmus ab ipsis Ecclesiæ primordiis, ad hæc vsque tempora, in Ecclesia viguisse, Romanos pontifices omnes eam tradidisse, cæterosque Episcopos Catholicos vbique terrarum agnouisse & suscepisse. Et ab vniuersa Ecclesia Romanam Sedem pro Ecclesiarum matre, magistra, & fundamento, & summo

ſummo vertice, ſemper magna veneratione celebratam eſſe: Igitur nos miſelli errare poſſumus, qui contra omnes antiquos & ſanctiſſimos Patres, eam impugnamus. Veriſſima & ſalutaris collectio: quam tibi conſcientia quidem tua dictat, ſed hæretica peruicacia detrectat, vt Salomonis prouerbium verum ſit: *ſapientior ſibi videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. Quia ſtultus in tenebris ambulat.* Reliqua huius capitis, quia ad ſequentes tractatus remittis, nos eò etiam differemus. Vbi conaberis nodum in ſcirpo quærere, hoc eſt, Concilium legitimũ, quod non ſit à Rom. Sede confirmatum.

CIRCA CAPVT II.

De Scriptura primi generis.

HÆRETICVS.

NOn de eo diſputatur, An ſingularis & diuina Apoſtolorum ſcientia eorundem literis antecellat: ſed, An communis Eccleſiæ conſenſus, & Romani Pontificis ſenſus, illis præſtent, nec ne?

COSTERVS.

Quæſtionis ſtatus hic eſt. Sitne idẽ Spiritus ille veritatis, qui in die Pentecoſtes ſan

sanctis Apostolis, cæterísque Christianis, eodẽ loco cõgregatis, cœlitus demissus est vt eos omnem doceret veritatem, & cum ipsis in æternum maneret, (iuxta Christi promissionem) etiamnum in Ecclesia: an aliquando euanuerit, & Ecclesiam deseruerit? Catholici affirmant, hactenus ex eo tempore in Ecclesia perseuerasse, & (iuxta Christi mittentis verbum) in finem vsque seculi perseueraturum: eamdemque veritatem, quam tunc Apostolos, primosque Christianos, hoc est, primitiuam illam Ecclesiam docuit, in posteris conseruasse, & conseruaturum. Atque hanc esse scripturam illam diuinam, per Ieremiam prædictam, quæ iam propemodum 1600. annis incorrupta, inuariata, & illæsa in corde eiusdem Ecclesiæ perdurat, & palam ab omnibus (sicut superiùs dictum est) legitur. Hæretici negant, Christumque faciunt mendacem, qui suis promissis non steterit: & Spiritum sanctum arguunt leuitatis, qui ab Ecclesia recesserit. Quæ enim Christus Apostolis promisit, & primis Christianis exhibuit, non pro prima illa ætate dicta sunt & data, cum exiguus esset numerus Christianorum: sed pro toto tempore Ecclesiæ, nempe vsque ad sæculi finem.

Ioann. 14

Ierem. 31

HÆRETICVS.

Inauditam priscis temporibus in Ecclesia Dei consensus Ecclesiæ authoritatẽ definis: quum non solum Scripturam appellas, verùm etiam diuinis Apostolorum literis, insigni blasphemia præfers.

COSTE

COSTERVS.

Simile quid Kemnitius: *Insignis omnino audacia est, authoritati & maiestati Scripturæ Canonicæ aliquid æquare.* Sed nulla blasphemia, verbum Dei cum verbo Dei cõferre: hoc est, Non scriptũ cum scripto. Patres, Ioannis Euangeliũ præferunt reliquis tribus: quòd Ioannes, instar Aquilę, sublimius volet, & Christi diuinitatem clariùs loquatur. Nulla tamen cæterorum iniuria, vel leuissima blasphemia. Veritas omnibus est æqualis, & dictio diuina. Quid igitur mirũ, si Scriptura, Dei spiritu in corde Ecclesiæ exarata, aliquibus priuilegiis scriptas in mẽbrana literas præcedat? Hæc enim immediatè à Deo scripta est, illæ mediatè per Apostolos: hæc digito Dei, illę atramẽto & calamo: hæc prius, illæ posteriùs, &c. Neque est inaudita priscis temporibus in Ecclesia Dei hæc authoritas, nisi vestræ Synagogæ: quæ nec Ecclesiæ nomẽ meretur, neque prisca vidit tẽpora, nuper, & post me nata. Siquidem veteres propemodum omnes duplicis verbi diuini meminerunt: scripti & traditi, sicuti (ne frustra longior sim) in Bellarmino nostro (quem videris nonnunquam inspicere) inuenire potes. Is enim verba tibi proferet antiquissimorum doctorum, Dionysij Areopagitæ, Egesippi, Iustini, Irenæi, Clemẽtis Alexandrini, Origenis, aliorumque plurimorum. Itaq; neque blasphemamus, neque noua docemus.

Vtrum

Vtrumq; in vos cõpetit: qui, non sine blasphemia, spiritum veritatis ab Ecclesia excluditis, & filio Dei mendaciũ affingitis, & nouum extra Dei verbum, dogma cuditis, quod pro articulo fidei credi vultis, *nihil extra sacras litteras scriptas, fide credendum.* Hoc est Ecclesiæ nouum hæreticis antiquum: nulli Catholico notũ, hæreticis omnibus axioma: Christianis paradoxum, hæreticis Orthodoxum.

HÆRETICVS.

Cùm Ecclesia, lunæ instar, sua habeat incrementa: consensus illius in multis non semper à Deo, sed interdum ab humana cæcitate promanat.

COSTERVS.

Laboro, vt huic argumento formam, aut locum inueniã. Ita enim hæret consequens cum antecedẽte, sicut lyra cũ asino. Ecclesia sua habet incrementa: ergo illius consensus in multis non est à Deo. Ego contrariam ex eo antecedente inferrem conclusionem: Ergo illius consensus semper est à Deo. Si quis dicat: Infans corpore crescit: ergo caret anima, nonne ridebitur? potius enim dicendum esset: Ergo habet animam, siquidem sine anima, quę est incremẽti causa, crescere nequit. Ita hîc: Ecclesia sua habet incrementa, igitur viuit spiritu Dei: à quo, & per quem, vt numero membrorum, ita explicationi veritatis crescit. Siue ampla sit Ecclesia, siue contractior: semper ei

vitam

vitam & notitiam dat ſpiritus veritatis. Fortaſſis volebas eccleſiæ doctrinę varietatem obijcere, & ſic argumentum formare: Eccleſia, quæ vt luna mutatur, ſubinde doctrinam variat, & quod prius affirmauit, id poſtea negat, quod prius fide tenuit, hæc poſtea reijcit: Ergo conſenſus eius ab humana cæcitate promanat. Sed hic antecedens eſt omnibus modis negandum. Doctrinæ mutatio non eſt eccleſiæ, ſed hæreticorum Synagogæ. Semper eadem docet Mater noſtra, nunquam varia, ſemper vetera, nunquam noua: ſemper vera, nunquam falſa. Exiſtimas fortè Eccleſiam, vt membris, hoc eſt perſonis, mutatur, ita etiam anima, hoc eſt ſpiritus variari? Philoſophi docent, Beſtiarum animas per corporis membra extendi, & accedente membro, nouam etiam animæ partem accreſcere: amputato verò membro etiam ſimul animæ & vitæ portionem tolli: quod in vermiculis cernitur, ſi in partes ſecentur. Et hæc animalia, ſi multis annis viuant, (vt Corui & Aquilæ valdæ longæuæ) fieri poteſt, vt quicquid materiæ habuerunt, cum ex ouis excluderentur, id omne interierit poſt annos centum, & totum corpus noua materia compactum ſit, & ſimul noua anima, quæ paulatim in partium locum ſucceſſit, quæ cum deperditis materiæ partibus, deperditæ fuerint. Si iuxta hanc rationem putas etiam cum eccleſia fieri, vt in primis quidē Chriſtia

ſtianis fuerit genuinus & ſyncerus ſpiritus veritatis, qui paulatim cum perſonis pẽrierit: neceſſe erit, ſingulis ſęculis nouum Eccleſiæ ſpiritum cum corporibus tribui, cum maior Chriſtianorum pars ad centeſimum annum non ſuperſit. Eritq; Eccleſia Heraclitio fluuio ſimilis, (vt eum vocat Plutarchus) in quem nemo bis ingredi poſſit, niſi totus mutetur. Nos docemus cum B. Paulo, Eccleſiæ corpus ſimile eſſe corpori humano, cuius anima indiuiſa eſt, & non per partes extenſa: ideoq; ſemper vna, eademque, etiamſi in viro nulla ſit fortè portio materię, quę fuerat in infãtulo recẽs nato. Sic enim Spiritus ſanctus doctor veritatis idem eſt hodie, fuitq;, & erit ſemper in Eccleſia: quem ipſa naſcente, acceperunt cum primis Chriſtianis Apoſtoli.

Lib. numin dicta. 1. Cor.

HÆRETICVS.

Quòd eccleſiæ conſenſum ſacris litteris anticuiorem facis, parum ad illius præſtantiam cõducit. Nã alioqui lex Moyſis Euãgelio vetus teſtamentum nouo, conciones Ioannis Baptiſtę Chriſti verbis, propter antiquitatem, antecellerent.

COSTERVS.

In his quæ eiuſdem ſunt generis & cõditionis, addit antiquitas dignitatem & authoritatẽ: non in ijs quę genere aut cõditione differunt. Senibus defertur honor, ſi in cæteris ſint pares: non ſeni ſeruo à iuuene libero, neque indocto veterano à iuniore prin

principe. Lex vetus erat seruilis, vmbra futurorum, & Ioannis conciones prænunciæ. Sed Christi verbum scriptum in membranis, & in corde Ecclesiæ, vnum est, idemque Christi ore prolatum: quod cùm vniuersum esset à Spiritu sancto in die Pentecostes exaratum in mentibus Christianorum, post annos duodecim, vel octo, (vt alij volunt) eius pars aliqua membranis commendata fuit.

HÆRETICVS.

Si quo quid antiquius, eò esset præstantius, tum sanè prophetia illa Ieremiæ calamo exarata de inscriptione Legis in cordibus electorum, eandem inscriptionem, hoc est, Ecclesiæ noui testamenti consensum dignitate superaret.

COSTERVS.

Ieremiæ prophetia prænuncia fuit, Scriptura interna, res promissa: illa præcessit vt vmbra, ista vt corpus, illa vt nuncius, ista vt princeps: illa vt promissio, ista vt exhibitio. Differunt igitur genere & conditione.

HÆRETICVS.

Scripturæ vox, verbum Dei diuino afflatu cõscriptum notat: vnde à materia & forma interna verbũ Dei, à forma verò externa, scriptura appellatur. Itaque si scriptionem spectes, ecclesia primo tẽpore antecessit: sin doctrinam, quæ eâ continetur, ac potissima scripturæ pars est, consideres, scriptura Ecclesiam antiquitate superat.

COSTE

COSTERVS.

Incipis mecum conuenire. Fateris, doctrinam Euangelicam, (quæ potior est pars scripturæ) tempore præcessisse scriptiones Apostolicas: immò verò Ecclesiam ipsam. Hoc posterius admitto ex parte, pro eo tempore, quo Christus Dominus verbis, Apostolos docebat, eisque doctrinam euangelicam commendabat. Tunc enim penes ipsum erat ista doctrina, & nec dum formata Ecclesia. Cæterum falsum est aliquando post Christi decessum, hanc doctrinam fuisse sine ecclesia. Vbi quæso, esse potuit, nisi in fidelibus Christianis? Qui cum multi fuerint, in die Pentecostes, afflati Spiritu sancto, (vt minimum 120. qui pro successore Iudæ suffragium tulerant; & fortè plures 500. qui Dominum rediuiuum viderant,) in eos omnes descendit spiritus veritatis: qui sacramento Confirmationis discipulos dudum viuente Christo baptizatos perfecit, & Ecclesię ędificium absoluit. Simul igitur cum Ecclesia, & in ipsa Ecclesia, perfecta est doctrina Euangelica. Illam porrò doctrinã, vt ante scriptionem Apostolorum, scriptura dici posset, alicubi scriptam esse oportuit. Vbi quęso, tunc scripta fuit, nisi in mentibus fidelium, hoc est, in corde ecclesiæ? Ex ea enim scriptura, ab Ecclesiæ membris, id est, ab Apostolis & Euangelistis, pars aliqua doctrinæ illius, pro re nata, est commẽdata chartis. Nemo enim sibi manu sumpsit, vniuersam Christianam

Actor. 2

1. Cor. 15

doctrinam

doctrinam libris commendandi: sed Matthæus Hæbræis suis, hæbraicè, Lucas Græcis, Græcè, Marcus Latinis, Latinè, (vt, non sine ratione, pleriq; volunt) breuem historiã vitæ Christi conscripserunt. B. Ioannes à reditu ex Pathmo, (vt iunt Athanasius & Epiphanius) hoc est, post annum ætatis suæ 90. euangelium scripsit: ad hæreles Cerinthi & Ebionitarum euertendas, qui Christi diuinitatem non admittebant. Epistolæ ab Apostolis, partim ad diuersas ecclesias & personas, partim ad omnes Christianos, datæ fuerunt: ad contentiones sedandas, aut hæreses, quę insurgebant, reprimẽdas. Nullum scripturæ librũ vides, qui methodo aliqua, (vt oportebat) doctrinam Christianã tractet, nullũ ex eius authoribus legis, qui vniuersam hanc tractationẽ prę se ferat, aut profiteatur. Cùm enim nõ ignorarent Apostoli hanc scripturã pleniſſimè in ecclesiæ corde per Spiritum sanctũ conscriptã esse, atq; ad finem vsq; sæculorũ conseruatũ iri, indicarunt eam scriptionem superuacaneã.

synopſi 51.

HÆRETICVS.

Ecclesia non propterea scripturam dignitate antecedit, quia ei testimoniũ dat: alioquin Ioãnes Baptista, & mulier Samaritana, & miracula Christi, quæ ei testimoniũ tulerunt, eidem Christo antecellerent.

COSTERVS.

Absit, vt dicamus, ab Ecclesia Scripturæ authoritatem dari. Eam enim habet à Deo, authore & dictatore, cuius est verbum,

&

& infallibilis fidei norma. Sed dicimus à Dei verbo non scripto, nos non tantum, vt à cõmuni teste, inducí: sed vt à diuina veritate, cogi, vt has literas scriptas fide Catholica credamus esse Dei verbũ. Testimonio hominũ nemo cogitur ad fidem, sed inducitur. Itaq; qui Ioanni aut Samaritanæ, testibus Christi, de Christo non credebant, non propterea in fidẽ peccabant: quia illis fidem non habebant, quorum testimonium non erat Dei verbum. At si non credas, 4. Euangelia nostra esse verbum Dei, iam peccas in fidem: & vt infidelis, non credis Deo. Quare obsecro? Quia verbo Dei non credis, quod tibi dicit hæc 4. euangelia esse Dei verbum. Hoc porrò verbum, *Hæc 4. euangelia sunt Dei verbum*, vbi scriptũ est: nonne in corde Ecclesiæ, nusquam n. in bibliis inuenies. Si B. Paul. vel quispiã Apostolorum, euãgelij secundùm Matthæum mentionem faceret, ex eoq; certas sententias referret: sicut Christus & Apostoli ex veteris instrumẽti libris: nonne hoc te cogeret credere, Matthæi euãgeliũ esse verbum diuinũ, q; ab alio diuino verbo testimoniũ haberet? Ideò. n. maioris authoritatis sunt apud vos scripturæ veteres ab Apost. citatę quàm libri Machabęorum, Sapientiæ, & plerique alij, quas pro vestro arbitratu reijcitis. Ita vniuersa biblia certissima fide credimus esse verbum Dei: quia hoc ipsum nobis aliud verbum Dei, non scriptum in chartis, sed in corde ecclesiæ cõmendat, & iubet. Alioqui, nisi fatearis

se

te diuino verbo cogi ad credendum, Euangelia nostra esse verbum Dei: iam non fide Catholica credis esse Dei verbum, sed humana. Vacillat ergo fides vestra: sicut recte notauit B. Basilius. Respondeo, si potes, ad hanc ratiocinationem:

de Spi. nato.

Nihil, quod extra litteras sacras traditur, est fide credendum,

Quatuor Euangelia esse Dei verbum, extra litteras sacras traditur,

Igitur 4. Euangelia esse Dei verbum, non est fide credendum.

Propositio est vobis axioma, nobis anathema: Assumptio patet ad oculum: Consequutio, necessaria & aperta in prima figura. Nos propositionē his verbis admittimus: Nihil quod extra Dei verbum traditur, est fide credendum. Cui si subiungas: Quatuor euangelia esse Dei verbum, traditur extra verbum Dei, hanc assumptionem negamus: quia Dei verbum, in Ecclesiæ corde descriptum, hæc 4. Euangelia pro Dei verbo nobis proponit. Viden', hæretice, quam nulla sit fides in vobis: qui biblia, aut scriptas literas sacras nō creditis esse verbum Dei? Frustra igitur iactatis Dei verbum, & reformationem iuxta Dei verbum: qui nullum creditis Dei verbum.

Obiectione de miraculis Christi, ignorantiam tuam prodis: qui videris nescire, Christum verbis & factis locutum: sicut nos

sermo

sermone, & nutibus. Quid enim erât Christi miracula, nisi verba clamantia, ipsum esse Christum & Deum? Miracula Christi, (ait B. Augustinus) & facta fuerunt, & verba: facta, quia per ea aliqua fiebant: verba, quia aliqua significabantur. Tract. 44 Ioan.

HÆRETICVS.

De celebri illa sententia Augustini, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas*: dicendum quidem primum, Vt vna hirundo non facit ver, sic nec Augustini verbum regulam generalem.

COSTERVS.

Audes, doctorcule hæretice, magni doctoris Orthodoxi Catholicam regulam abiicere: quam his 1200. annis probarunt omnes, reprehendit (præter hæreticos) nemo? Fateris itaque non te propterea credere Euangelio, quia te commouet Ecclesiæ authoritas: hoc est, non ideo te certa fide Catholica credere, literas sacras esse Dei verbum, quia hoc tibi mandat Ecclesia. Doce ergo, cui diuino verbo nitatur fides hæc tua, qua eas credis esse verbum Dei?

HÆRETICVS.

Nam variis modis homines conuerti, & ad fidem Euangelij commoueri, certũ est.

COSTERVS.

Variis modis ad fidem inducimur: miraculis, vitæ sanctitate, rationibus, testimoniis, &c. sed nihil fide Catholica fide credimus, nisi per verbum Dei. Hac fide credimus,

literas sacras esse verbum Dei. Quod si hoc alio Dei verbo non credis, reuerâ nõ credis, sed opinaris: sicut reliqua dogmata vestra magis ab opinione, quàm à fide pendent.

HÆRETICVS.

Quoniam singulæ Ecclesiæ, quæ autographa Apostolorum sibi missa seruabãt, non Catholicæ Ecclesiæ authoritate monebantur, sed ipsis Apostolorum literis.

COSTERVS.

Quæro, An Ecclesiæ illæ firma Catholica fide crediderint, eas literas Apostolicas esse verbum Dei? Si negas: Ergo non offensa fide Catholica, poterant illis fidẽ negare. Si affirmas: quæro, in quo verbo Dei nitebatur illa fides? Nos respondemus: In verbo Dei, cordi Ecclesiæ insculpto, Christianos illos legisse, has literas esse verbum Dei. In eo enim didicerãt, Apostolos repletos Spiritu sancto, ex Christi promissione, & Spiritus sancti præsentia, non nisi Dei verba docere, sermone & scriptis. Sicut etiamnum fideles omnes, in eodem verbo Dei scripto, agnoscunt decreta Conciliorum nihil erroris continere.

HÆRETICVS.

Reliqua verò Catholica Ecclesia re comperta illarum fidem sequebatur.

COSTERVS.

Quæro, quomodo Ecclesia Catholica cõpererit, Apostolica illa scripta esse verbum Dei? Si nõ alio Dei ve[illegible] tu vt persuasione huma

humana, & nõ Catholica fide; id credat. Fides enim Catholica nititur verbo diuino. En, qualis sit fides Caluinisticæ Ecclesiæ, humanum arbitrium, non diuina fides.

HÆRETICVS.

Tria ad generandam & fouendam fidem concurrunt: nempe, testimonium Ecclesiæ, & authoritas Dei duplex: externa, & interna. Quarum prior authoritas extra fideles, in ipsis sacris literis consistit: in quibus admiranda doctrinæ maiestas, & veritas summa, in partium consensu, & prophetiarum cum euentu conuenientia elucet, quæ auctoritates Ecclesiæ sunt fundamenta. Altera verò, & interna Dei auctoritas, est in ipsis electis flexio voluntatis, & mentis illustratio per Spiritum sanctum. Priora duo nomine Dei fidem iubent ac suadent, sed postremum solum persuadet.

COSTERVS.

Agnosco doctrinã Magistri tui Caluini: qui vult sacras literas ex se cognosci: instar lucis, quæ alia luce vt videatur nõ indiget. Et sicut lux non videtur à cæcis, sed à iolis vidẽtibus: ita scripturas nõ ab omnibus discerni, sed ab iis tantum qui illustrantur Spiritu Dei. Omissa igitur Ecclesiæ authoritate, quæ apud vos est exigui momenti; examinemus reliquas duas regulas: quarũ prior est, maiestas doctrinę, quę instar lucis cõspicua est. Quæro: Si tãta est huius lucis claritas, cur eã nõ videãt omnes? Lutherus reiicit epistolas Iacobi & Iudæ: de 2. Petri, Lib. 1. inst. cap. 7.

2. & 3. Ioannis dubitat. Cur hãc lucem vir ille (quo iudicio) magnus, videre non potuit? An fortè, quia necdum liber à superstitione Papistica? At in hac sua censura aduersabatur Catholicis. Altera regula, (vt vis) est firmior, quæ persuadet: nempe, Spiritus Dei: quo si quis sit præditus, clarè intuebitur lumen prædictum doctrinæ. Hoc ergo spiritu caruit Lutherus, cum suis Lutheranis discipulis: qui eam lucem in prædictis Epistolis non viderunt. Eodem caruerunt B. Augustinus, cum reliquis Patribus Concilij Carthaginẽsis: qui ante 1200. annos, libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, in numero sacrarum literarum habuerunt, cum omnibus posteris suis. Aut vos Caluinistæ cũ Lutheranis: (quod verius est) qui in illis lucem sacræ doctrinæ non cernitis. Necdum agnoscis, hæretice, argutiarum tuarum strophas? necdum vides ambages & circulos, per quos miseros homines traducis: vt vobiscum in circuitu ambulent, & planam rectámque non intueantur viam? Quæritur: quo Dei verbo cognoscitur Scriptura esse verbum Dei: Respondetis: seipsa, quæ instar lucis clara est. Pergo quærere: cur igitur non omnes hanc lucem videant? Dicitis: quia cæci sunt. Quæro iterum: quare veteres omnes Patres cæci? immò, cur magnus ille vir Lutherus cum suis? & cur non potius vos? Quid hîc superest, respõdere: nisi, quia carent

carent spiritu Caluini. Itaq; Caluini spiritus, id est, Caluinistica hæresis, vobis omnium norma est: eo spiritu discernitis scripturas, eo illas interpretamini, eo damnatis aliter sentientes, eo deformatis Ecclesiam, eo estis censores Patrum, eo irrisores Catholicorum, eo inuaditis Ecclesiastica bona, eo spoliatis Reges & Principes prouinciis suis, eo in sacris literis inuenitis quicquid comminisci libet: apostasiam Monachorum, sacrilegas nuptias sacerdotum, carnis libertatem ab obedientia Maiorum, maledicendi Prælatis Ecclesiasticis licentiam, & denique quicquid pro arbitrio agitis, hoc isto spiritu perficitur.

Quæ multis verbis de S. Augustini conuersione narras, vt aliquid dixisse videaris, & non silуisse: nihil ad rem faciunt. Scio enim variis modis homines ad Christianam religionem conuerti, & ad Deo credendum induci: sed cum fides soli Dei verbo innitatur, neque aliquid credi debeat, nisi quia hoc Deus dixit: quæritur, vbi & quo verbo suo dixerit Deus, Sacras literas Apostolorum manibus scriptas esse verbum suum? Si nusquam dixit, non ergo creditis: si dixit, ede verbum quo dixit.

HÆRETICVS.

Quod obiicis, Sacras literas posse truncari, torqueri, & variis explicationib. corrumpi: quamuis suo modo verum esse, non aliorum solùm, sed [illegible] etiam exẽplo ante

sæpiùs demonstratum sit: absolutè tamen, sine summa iniuria concedi non potest.

COSTERVS.

Duo dicis: Primum, mẽtiris abs te sæpius demonstratum, per me sacras literas truncatas, aut corruptas. Ego scripturis vtor, quas mihi incorruptas tradit Ecclesia. Alterum, verè dicis, literas scriptas aliquo modo corrumpi posse, sed absolutè truncari & corrumpi non posse. Sed Sycophãtaris, vt me traducas: cum asseris, me sacris literis inconstantiam obiectare. Ego affirmo, eas integras, incorruptásq; persistere: diuináque prouidentiâ neque violari, neque corrumpi posse. Hoc porrò addo: Has literas sacras id ex se, víque sua non habere: sed ex prouidentia Dei, qui eas per Ecclesiam suam illæsas conseruat: Internam autem Scripturam, in corde Ecclesiæ vi sua manere illæsam. Ideóque ad illas multi hæretici admouerunt manus, truncarunt, vitiarunt, variis expositionibus à verò sensu detorserunt. Et magnum tuum Lutherum aiunt, translatione sua circiter mille loca, partim additionibus, partim detractionibus, partim mutationibus deprauasse. Hanc autẽ Spiritus sancti internam scripturam nemo attigit, nemo deprauauit: manet vsque sui similis. Nec indiget externo conseruatore, vt prior: sed vi Spiritus, in corde Ecclesiæ inhabitantis, nec in minimo lædi potest. Hæc enim est colũna & firmamentum veritatis: tum quia

Malæus vitius.

1 Timoth. 3.

in

in veritate immobilis & fixa: tum, quia in veritate alios confirmans.

HÆRETICVS.

Quænam sacrarum literarum noui Testamenti corruptio, & peruersio maior esse possit: quàm quod illas, literam, mortuã, appellas? Etsi enim ex sese nec sensum, nec motum habeant: spiritus tamen efficacia eas non solùm conseruat, sed etiam quodammodo animat, ac viuas reddit.

COSTERVS.

Cur calumniaris in me, quod ipse dicis? Nonne ex contextu aduertis, me literam appellare mortuam, quia sensum & motũ non habet? Litera scripta se non tuetur, si trunces, non sentit, si quid demas: non reclamabit, si corrumpas. Quorum nihil sine sensu permittet viua illa scriptura, fidelium mẽtibus insculpta. Illa enim hactenus vel minimos hæreticorum errores persensit, & à se remouit. Alioqui sacræ literæ, hoc est, Dei verbum in codicibus scriptum, & vero sensu propositum, *est viuum & efficax, penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.* Hebr 4.

HÆRETICVS.

Quod cõsensum Ecclesię spiritu Dei viui scriptum, affirmas, de Apostolis & Prophetis omnino verum esse, controuersia caret: sed de ordinaria Ecclesiæ ratione non absolutè, sed ex parte tantùm dici potest.

COSTERVS.

Nõ Apostolis [illegible] Prophetis tantùm dictũ est à Domino. *Mitto vobis spiritũ veritatis, qui* Ioan. 14.

maneat vobiscum in æternũ: sed vniuersę Ecclesiæ ad finem vsque sæculi perduranti.

HÆRETICVS.

Nam in consensu Ecclesiæ quatuor gradus considerandi sunt: veritatis salutaris apprehensio, intelligentia, assensus, obedientia. Quorum duo priores communitei hominum ministerio, per sacrarum literarum lectionem vel prædicationẽ, animis auditorum inscribuntur: reliqui verò duo à Spiritu sancto promanant, qui mentem sua luce ad assensum, & cor seu voluntatem suo motu ad obedientiam adducit: quibus modis legem diuinam mentibus indere, & cordi inscribere dicitur.

rem. 31. ebr. 8.

COSTERVS.

Hic mihi rursus sudãdum est, vt videam, ad quid ista. Laboras, vt euadas. Hos quatuor gradus in singulis fidelibus agnosco: qui prius audire, apprehẽdere, intelligere debent, tũ assentiri & obedire. At de vniuersa Ecclesia nõ ita loquimur: quæ semper plena spiritu veritatis, est magistra & doctrix omniũ. Singuli qui in Magistratu sunt, aliquando adoleuerunt, corpore creuerunt, literas didicerunt: sed de Magistratu nũquam sic loquimur: quod adolescat, quod crescat, quod literis det operã: constat enim viris prouectis, prudentibus, doctis. Ita Ecclesia Catholica, habet quidẽ inter mẽbra sua pueros, rudiores, indoctos: verùm ipsa neque [illegible]ses est, neque eorum

igno

ignorans, quæ ad fidei & Christianæ legis doctrinam pertinent. Semper est columna & firmamentum veritatis, per spiritum veritatis, qui habitat in ea. Hanc doctrinam singuli ab incunabulis didicerunt: & à Spiritu sancto donũ fidei perceperũt. Quod donum, sicut in singulis per eundem Spiritum sanctum scriptum est, & conseruatur: ita in vniuersa Ecclesia facit doctrinæ consensum, & fidei vnitatem, quæ est interna scriptura in mẽtibus Christianorum.

HÆRETICVS.

Deinde verò quòd ais, sensum Ecclesiæ truncari, & torqueri non posse, sed sui per omnia similem perseuerare: id male ex antecedente concludis, & falsò pronũtias.

COSTERVS.

Optimè concludo, & verè pronuncio. Sicut enim homo viuus non patitur sibi membrum truncari, quod sensu percipiat quamlibet læsionem: ita Ecclesia, quæ spiritu veritatis viuit, statim aduertit & sentit, simulatque fides vel in minimo læditur. Videbis id in singulis Ecclesiæ temporibus, etiam in iis rebus, quæ leues & minoris momẽti esse videbantur. Veluti, in Paschatis celebratione. 14. Luna in vocula ἐμισάνσι, in rebaptizandis illis, quos hæretici tinxerant, &c. Itaque quia viuit, sentit, & non patitur se lædi, torqueri, truncari.

ἐμισάν

HÆRE

HÆRETICVS.

Nam si, quicquid spiritu Dei viui inscriptum est cordibus, sui per omnia simile permaneret: fidei & charitas Christianorũ, quæ eiusmodi sunt, turbari & lædi non possent. Quod tamen sacræ litteræ, & deploranda multorum experientia clarissimè refellunt.

COSTERVS.

Iterum sophisticaris fallaciâ consequentis. Ego de scriptura locutus sum, in corde Ecclesiæ, digito Dei exarata. Tu inde transis ad singulos fideles. Si dicam: hæc arbor totis decem annis viruit: rectene inferes, Ergo nulli eius rami aruerunt? Item: Scaldis semper attingit Antuerpiam, & Rhenus mœnia Coloniæ: ergo singulæ eorum fluminum guttæ, vel vndæ? Quod toti corpori Ecclesiæ promisit Christus, illo singula membra carere possunt. Itaque tota Ecclesia neque interire, neque errare, neque à Christo aliena esse potest: singuli tamen fideles possunt.

HÆRETICVS.

Deinde, non eundem semper consẽsum Ecclesiæ permanere, sed humana imbecillitate, duobus modis infringi, & vitiari posse, res ipsa testatur.

COSTERVS.

Si Ecclesia sonaret politicum tantũ hominũ cætum, quomodo eam hæretici passim omnes semper acceperũt, neque aliud in Synagogis suis agnoscunt: faterer, variis de causis cõsensu animorũ violari, immò

mò vniuersam répub. immutari posse. Sicut nũc ex monarchia mutatur in democratiam, ex hac in Aristocratiam, ex illa in mixtam, &c. & nunc hoc sentire, nunc illud: nunc ex Municipio fieri ciuitatem, tum Emporium, deinde metropolim, denique redigi in pagum, aut Castellum. Hæ sunt mutationes humanæ. At cum Ecclesiæ nomine intelligenda veniat talis hominum congregatio, in qua Spiritus sanctus primatum tenet, quam (vt anima corpus) regit, conseruat, dirigit, inhabitat: non erit cætus prorsus humanus, sed diuinus, cuius vt membra & corpus sint homines, vita tamen & spiritus seu anima (quæ est potior viuentis pars) est Deus ipse Spiritus sanctus: à quo cõseruatur hoc corpus Ecclesiæ, ne erroribus dissoluatur, vel hæreses admittat.

HÆRETICVS.

Primùm, ratione partium: quemadmodum ex Ecclesiarum Galaticarum & Corinthiarum exemplis viuentibus adhuc Apostolis, apparet &c.

COSTERVS.

Singulæ partes interire, & erroribus peruerti possunt: at non tota Ecclesia. Peruerterit Mahumetus Asiã, Hussius Bohemiã, Lutherus Germaniam, Caluinus Angliam, vos Caluinistæ Hollandiam: at perseuerat Ecclesia in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Belgio, &c. Transiit in Indiam, Iaponiam, Cinas, Brasiliam, Mexicum, Peru, &c.

Hęret in plurimis Catholicis, apud prouincias Turcicas & Hæreticas. Nouit Dominus qui sint eius. Cæterum non aduertis sophisma, de quo paulò ante? Singula mẽbra interire possunt: Ergo simul totum corpus. Singulæ guttæ vel vndæ relinquũt Coloniám: Ergo totus Rhenus.

HÆRETICVS.

Deinde, ratione totius: Quia Ecclesia & ante Christum vniuersa, & post Christum nonnulla Concilia vniuersalia, errare potuisse, & errasse postea, pluribus demonstrabitur.

COSTERVS.

Neq; docebis, ante Christum, vniuersam errasse, hoc est, periisse Ecclesiã: semper enim superfuerunt fideles, & pij viri, nunc plures, nunc pauciores: neq; demõstrabis Concilia Generalia contra fidem, aut doctrinam Christianam quicquam decreuisse. Id si feceris, dabo manus, & tu palmam feres. Fateor multa Concilia errores vestros damnasse, quos Caluinistæ pro fidei articulis colunt: vt quæ Iconoclastas, Sacramentarios, Sacrilegos monachos, Apostatas, & id genus portenta, de Ecclesia eiiciunt: At quod orthodoxum est, nullum prorsus legitimum Conciliũ his 1600. annis damnauit, aut reiecit.

HÆRETICVS.

Quod obijcis, *Sacras literas non omnia continere religionis mysteria, quia occasione*

qua

quadam, ad Iudæos aut hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, scriptæ sint, & nonnullis Ecclesijs missæ: quomodo hanc consequentiã comprobabitis?

COSTERVS.

Quia ad satisfaciendum personis & cõtrouersiis, quarum gratia scriptæ fuerunt, non erat opus omnibus fidei mysteriis, sed sufficiebant pauca, quæ ad illorum rem pertinebant. Superflua autem nec Deus facit, nec natura.

HÆRETICVS.

Si hæc ratio valeret: Moysis & prophetarum scripta, quæ Iudæorum & certorum hominum occasione olim edita sunt, ad nostram doctrinam, & perfectam institutionem nullo modo pertinerent.

COSTERVS.

Non te pudet hæretice, istius argumẽtationis? *Si propterea sacræ literæ noui Testamenti non continent omnia, quia non sunt conscriptæ ad Methodum doctrinæ Christianæ nobis tradendam, sed ex occurrentibus occasionibus: sequetur pari ratione, Moysis & Prophetarum scripta, quæ certorum hominum occasione editæ sunt, ad nostram doctrinam & perfectam institutionem non pertinere?* Proba consequentiam tuam. Sophisma est ignorantiæ Elẽchi. Concludere debebas, Ergo Moysis, & Prophetarum scripta, non omnia legis dogmata

dogmata continebant. Quod tibi libenter dedero. Tametsi enim Moyses non omnia ex hominum occasione scripserit, sed aliqua methodo, sacrificia, cæremonias, varioscque ritus legis literis mandauerit: quædam tamen sine scriptis tradidit, & Sacerdotibus commendauit.

HÆRETICVS.

Ita igitur nouum testamẽtum bona parte certis occasionibus conscriptum est, vt tamen omnia fidei mysteria complectatur, & certis hominibus aut Ecclesiis missum, vt vsu interim ex Spiritus sancti instituto ad omnes redeat.

COSTERVS.

Quænam est ista consequentia: *Moysis & Prophetarum scripta, licet ex occasione edita, ad nostram doctrinam & perfectam institutionem pertinent: Ergo nouum testamentum omnia complectitur mysteria fidei?* Necdum fateris te Sophistam? Infer potius: Ergo nouum testamentum ad nostram doctrinam, & perfectionem pertinet. Hoc enim tibi de vtroque testamento, ex Apostoli verbis, admitto. Cum *omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* Tibi videtur, *Ad nostram doctrinam & perfectam institutionem pertinere*, idem valere, quod, *continere dogmata omnia*.

2. Tim. 3.

HÆRE

HÆRETICVS.

Apostoli, quas scripserunt Epistolas, aut literas sacras, voluerunt omnibus esse communes: vt fatentur Tertullianus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Lyranus, denique Grego. Magnus, Pontifex Romanus. Quã obrem frustra & periculosè aduersus stimulum calcitras, Costere, dum noui Testamenti perfectionem & præstantiam oppugnas: & eo quidem indignius, quod ad Ecclesiæ consensum, propriam diuini verbi laudem iniquè transfers.

COSTERVS.

Quis huius hæretici non rideat ineptias: & infelicẽ discipulorũ eius non misereatur conditionẽ? Assumit, multísque verbis, (vt chartas impleat, & vt multa dixisse videatur) probat, quod nemo vnquam Catholicorum negauit: nimirũ, Sacras literas, tametsi priuatis seu personis seu Ecclesiis scriptas, omnibus Christianis communes esse. Atque hinc noua, & hactenus inaudita dialectica sua, infert tria mendacia: vt me pro blasphemo apud indoctos traducat. *Primum* est, Me contra stimulũ calcitrare. Quod in ipsum potius, quàm in me conuenire, cuiuis, qui attentè ista legerit, in procliui erit iudicare. Ego Catholicis parentibus natus, fidem catholicam ante annos septuaginta suxi cũ lacte. Catholicè educatus, multa vidi, audiui, legi,

legi, terrasque varias perlustraui: ita nihil fuit vnquam, quod animum meum ad aliam Religionem, non dico permouerit aut inclinauerit, sed ne pulsarit quidem, aut tentarit. Consideraui, omnia præclarè cum religione nostra vbique conuenire: scripta Patrum, monumenta Maiorum, sacrorum literarũ interpretationes, miracula, ritus, & quicquid vbiuis locorum obseruaui. Post aliquot annos, audio de quodam Caluino, homine infami: qui ad exemplum Lutheri, vt nomen sibi pararet nouas Scripturæ sacræ expositiones, damnatis veteribus omnibus, excogitauit: quibus ignota Maioribus dogmata, de connubio Monachorum, Sacerdotum, & Monialium, de libertate carnis à ieiuniis & delectu ciborum, ab obedientia Prælatorum, de seruitute voluntatis, de inutilitate bonorum operum, deque similium innumerorum paradoxorum insania, in orbem inuexit. Quæ, vt auribus meis noua fuerunt, & inaudita: ita ad has blasphemas voces abhoruit, & etiamnum abhorret anima mea. Contra quem ergo stimulum, ego vel calcitro, vel calcitraui? Loquar hac in re cũ B. Iob: *Numquã reprehendit me cor meum, in omni vita mea.* Si quis non credat: age, respondeat iamdudum propositis quæstionibus meis: Quis catholicã doctrinã primus, & vbi corruperit? Quo loco, ante annos cẽtũ, Caluini doctrina per omnia tradita, & obseruata fuerit? Quis Caluinista

Iob. 27.

mor

mortuus: damnationem euaserit? &c. & me, licet senem, non pigebit ad Caluini castra transfugere. Non igitur contra stimulum calcitro, neque conscientiæ meæ reluctor. Viderit hæreticus quid agat: transfuga, apostata, religionis Maiorum in qua natus & baptizatus est desertor, impugnator, irrisor. Si vnquam scripta Patrum legit, si historias vidit, si monumenta antiquitatis considerauit, denique si doctus est: affirmo, fieri nulla ratione posse, vt mente Caluinistica dogmata probet. Illa enim videt vbique tot sæculis, ab omnibus damnata, explosa, & anathemate icta, & (si verum fateri velit) ex diametro cum sacris literis pugnare: Catholicam autem doctrinam, iuxta veterum Patrum interpretationem, cum ijsdem prę clarè in omnibus conuenire. Itaque (si non est indoctus) hæreticus iste contra stimulum calcitrat, & conscientiæ suæ repugnat: quod Prædicantibus hæreticis familiare est, atq; ex liuido vultu elucet. Magna est res, conscientia. Quam Lutherus vt obrueret, nihil non egit. Hunc iuuant carnis voluptates & illecebræ, cõmessationes, ebrietates, animi distractiones, assumpta vincula sacrilegarum nuptiarum, naturalis amor prolis, inopiæ metus, in illis, qui cum fodere non valeant, & mendicare erubescant, ex Pseudoeuangelio quæstũ faciunt. Memini Bernardini Ochini, qui ex Monacho factus Caluinista, cum aute annos 50. Romæ morarer, ducta

ductaque vxore, pharmacopolam egit. Ad hunc, cùm Catholicus vir diuertisset, qui eum nuper Monachum nouerat, & frequẽs audierat, quæsisset q; Fierine posset, vt cum noua ista secta reuera sentiret, Ait: Et qui posse? sed hæc, & ibi (digitũ in concubinam & filios spurios extendens) causam mihi adferent damnationis meæ. Heu! miseros hæreticos, qui æternos gehennæ ignes eligunt, ne peccata dimittãt: & scientes, volentesque ad inferna descendunt. Caluinum in extremis, diei illi maledicentem, quo primũ literas didicerat, & Lutherum bene potum, animas efflasse narrant, tum qui aderant, tũ qui de vita & morte eorum historias ediderũt. Ille moriens, à conscientia sua oppressus, desperauit: iste nunquam mente quieta vixit: & nunc expetitur vermẽ, qui non moritur, & ignem qui non extinguitur.

Secundum mendacium, quod ex vero antecedente ineptè colligit hæreticus, est, *Me noui testamenti perfectionem & præstantiam oppugnare*: quia, nempè vniuersum testamentum nouum scriptis literis non includo. Ego verò Testamenti huius maiestatem & amplitudinem eo magis celebro, quod id affirmo præ magnitudine, & multitudine mysteriorum, paucis chartis concludi non posse. Quis Regis maiestatem magis prædicat: qui eius familiam & suppellectilem tam exilem facit, vt vna domo comprehendi possit, an qui tam copiosam, vt eam

vt eam nec multa palatia capere queant? Christi testamentum est quicquid donorũ nobis reliquit, & per mortem confirmauit, quæ nos Catholici tanta agnoscimus, vt ea omnia nec scriptis Apostolorum conprehensa sint: neque ipsis Apostolis à Christo, dum viueret, verbis explicata. *Multa,* inquit, *habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Item: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis* vel, (vt Græcis est) *quæcunque dixi vobis.* Spiritui sancto duo reseruanda erant: Vnum, genuinus intellectus verborum Christi, quæ ante mortem discipulis, alijsque dixerat, & post resurrectionem dicturus erat. Alterum, plenitudo scientiæ & doctrinę Christianæ: quam ipse, qui digitus Dei erat, Christianorum mentibus, & cordi Ecclesiæ inscriberet. Vter ergo nostrûm Testamenti præstantiam oppugnat: ille, qui illud paruo codice concludit: an ego, qui plura quàm scripta sint mysteria veneror, & agnosco? Ioan. 16. Ioan. 14.

Tertium mẽdacium: *Quod propriam diuini verbi laudem, ad Ecclesiæ consensum transferam.* hoc est, quod internam Spiritus sancti scripturã, digito Dei Ecclesiæ cordi insculptã, scriptis in membrana literis præferã. Hoc, tametsi iuxta expositionem meam mendacium non sit, iuxta verba tamen & mẽtem eius mendacium *sonat*. Ipse hæret in verbo *consensus*, tanquam in politica animorum

vnio

vnione, & externa religionis vniformitate: Ego vrgeo vocẽ scripturæ, quæ est notitia & doctrina Christiana, Ecclesię indita à Spiritu sancto, & in ea conseruata Hæc doctrina cum sit non minus verbũ Dei quam Apostolorum scripta, nullo incommodo potest cum ipsis conferri, & etiam in aliquibus anteferri: sicut superiùs de B Ioannis Euangelio diximus, quod dignitate præcedit cętera. *Patet* (ait B. Chrysostomus) *quod non omnia per epistolàm tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris, eadem verò fide digna sunt tam ista quam illa: Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius.* Et B. Basilius: *Dogmata quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus: partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recipimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent. Et nemo hìc contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum Iurium experientiam habet.* Vt Regis verbum apud subditos pondus habeat, non opus est scriptura. Si enim omnib⁹ sibi præsẽtibus quippiam mandet non minus, ne dicam magis, astringentur eius mãdato: quam si eius tantùm scripturam videant. Scriptura ad hoc valet, vt cognoscatur dixisse. Si dixisse, sine scriptura sciatur, parendum erit. Spiritus sanctus veritatis testis nobis est, ea omnia esse Dei verba, quæ in corde Ecclesiæ ipse descripsit. *Non enim à semetipso loquetur* (ait Dominus) *sed quæcunque audiet, loquetur:*

mil. 4. in Thess.

e Spiritu sancto.

f.

an. 16.

id

id est, quicquid Ecclesiam docturus est, habendum erit pro Dei verbo. Itaq; cum hæc interna Spiritus sancti scriptura nõ minus sit verbum Dei, quam literæ librorum: non minus eis tribuimus, quam literis sacris.

HÆRETICVS.

Quod à Christi promissione illa, *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*, malè ea- Ioan. 14.
ꝑ subsidium petis, nihil ad rem facit: quum hæc promissio, non ad vniuersã Ecclesiam, & perpetuum illius consensum, sed nominatim ad Apostolos referatur, quemadmodum ex orationis serie & promissionis complemento apparet.

COSTERVS.

Sic loquitur Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Et paulò Ioan. 14.
post: *Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero*, vel, *dixi vobis*. Si spiritus veritatis promittitur mansurus in æternum, Apostoli autem paucis annis vixerunt, certum est, eum spiritum veritatis, qui Ecclesiam doceat omnem veritatem, & eam faciat columnam & firmamentum veritatis, vsque ad sæculorum cõsummationem, cum ipsa perseuera-

turum.

turum. Non igitur ad ſolos Apoſtolos (vt vis) ſed ad Eccleſiam, promiſſio Chriſti refertur.

HÆRETICVS.

Etenim hæc Apoſtolorum deductio in omnem veritatem, duo complectitur: Perfectam ad euangelium omnibus Gentibus annũciandum, cognitionem, & perpetuum Spiritus ſancti in eo regimẽ: vt in docendo eſſent extra omne erroris periculum, eorumque doctrina eſſet planè diuina, & Eccleſiæ fundamentum.

COSTERVS.

Hæc duo, nempè perfectam doctrinæ Chriſtianæ cognitionem, & regimen Spiritus ſancti, vt doctrina ſit planè diuina, & extra omne erroris periculum: promiſſa eſſe non vndecim Apoſtolis tantùm, ſed eorum quoque ſucceſſoribus, Matthiæ, Barnabæ, Paulo, Timotheo, Tito, cęterisque qui in locum duodecim Apoſtolorum venerunt indicat vox, *Vt maneat vobiſcum in æternũ ſpiritum veritatis.* Illorum enim etiam erat, Gentes ad notitiã euangelij adducere, & errores cauere.

HÆRETICVS.

Deinde ſi hęc promiſſio non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad totam eccleſiã referatur, id ea fiet ratione: vt, aut ad ſingula illius membra pertineat, aut ad cuncta, ſeu ad corpus Eccleſiæ, per cuius membra veritas omnis diffuſa ſit.

COSTE

COSTERIVS.

Singula ecclesię membra Christianę doctrinæ suam habent portionẽ: rudiores Apostolicum symbolum: eaque quæ catechismis tradũtur, Doctiores & ecclesię Prælati, etiam illa quæ rudiorum captum superant. Cæterùm vniuersum Ecclesiæ corpus, quod est firmamentum & columna veritatis, possidet vniuersam doctrinam ab apostolis sibi traditam (ait Tertullianus) & omnem veritatem: vsque adeò plenè, vt nulla sit quęstio fidei, quam non resoluat. Lib. de script.

HÆRETICVS.

Vnde hanc sententiam comprobabis? An ea ratione, quod eadem Apostolorum successoribus, quę Apostolis, conuenire debeat promissio?

COSTERVS.

Partim eâ, partim promissione Ecclesiæ facta. De qua, præter alia, Christus tria dixit: *Primum, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, hoc est, Tanta firmitate eam super fidei petram constituam, vt nulla dæmonum potentia, arte, industria, sapientia, vel machinis, ad errorem decidere possit. Matth. 16.

Secundum, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Iubemur igitur ecclesiæ dictis fidẽ adhibere, si non ab eius corpore tanquam à mortua membra, resecari volumus. Matth. 18. Matth. 18.

Tertium, *Ego vobiscum sum*

omni

omnibus diebus, vsque ad consummationẽ sæculi. Quod Christianis omnibus, qui ad Ascensionem eius conuenerant, hoc est, Ecclesiæ vniuersæ, promisit. Addamus *Quartum*, ex
not. 3. B. Paulo, qui Ecclesiam nominat *columnam & firmamentum veritatis.* Retinet ergo veritatem, & fidei sinceritatem: sicut columnæ ædificium.

HÆRETICVS.

Si ita se res haberet, sequeretur omninò necessariò, nõ solùm coniunctos & vniuersos, sed etiã singulos Ecclesiæ doctores omnem à Spiritu sancto edoceri veritatem, & ab omni prorsus errore liberos esse ac tutos. Quandoquidem Christus non minus singulis Apostolis, quàm coniunctis & vniuersis liberalem hanc promissionem dedit, & re ipsa comprobauit.

COSTERVS.

Apostoli duplex munus obierunt. 1. Pastorum seu Episcoporum: in qua functione habent successores Episcopos, vt ait B. Ana
ct. 2. cletus Pontifex quartus à B. Petro. 2. Apostolorum seu Legatorum Christi: quo in munere fuerunt omnes pares honore & potestate, vt ait B. Cyprianus. Hoc Apostolicum
simplic. munus in singulis cum vita desijt. Cùm Legatorum.] gatus vel Apostolus, non ordinarium, sed extraordinarium officium sonet. Igitur vt Legati & Apostoli Christi, hoc pecubare ac ceperunt, vt pro Dei verbo habeatur, quic-

quid

quid vel dixerunt, vel scriptis mandarunt, vel sua authoritate confirmarunt: qualia sunt quæ Marcus & Lucas scripserũt. Consecutionem igitur tui argumenti nego: quia dispar est Apostolorum & Episcoporum ratio: qui tamen in eo conueniunt, vt simul in Concilio legitimè cõgregati errare nequeant. Quia spiritus veritatis manet cum eis in æternum, non viuentibus tantũ Apostolis, sed vsque ad consummationem sæculi: Nota in hoc sophismate tuo fallaciam consequentis, & ignorantiæ Elenchi. Episcopi non conueniunt cum Apostolis in priuilegio, vt singuli firmi maneant in fide, & sacras literas scribant: Ergò non in eo, vt simul congregati errare nequeant. Simile: Equus non conuenit cum homine, vt ratione vtatur: Ergò neque vt sentiat.

HÆRETICVS.

Quamuis concederetur, hanc generalem & communem esse promissionem: inde tamen quod contendis, non obtineres. Quoniam Deus diuersis modis & gradibus omnem veritatem per Spiritum sanctum docet. Apostoli vno eodémque momento à Spiritu sancto affiati, perfectè edocti, & postea perpetuò directi fuerunt. Contra reliqui ordinarij eorum successores, non vno momento, nec pari cum Apostolis, nec eadem semper mensura: sed certis tantùm gradibus, progressibus, & temporum interu[illegible]

COSTERVS.

Controuersiæ nostræ status nō est, Quomodo Spiritus sanctus in Ecclesiam veniat, an vno momento, an tanta plenitudine, qua in Apostolos delapsus est: sed, An ille Spiritus veritatis, qui die Pentecostes Apostolis, cæterisque Christianis missus est, vt Ecclesiam doceret omnem veritatem, manerétque cum ea in æternum, aliquando ab ea recesserit, & veritatem docere prætermiserit?

HÆRETICVS

Deus Ecclesiam in veritatem non vno momento, nec eodem gradu semper deducit, aut in ea pari perfectione continet: vt omnium temporum experientia, & miseranda Ecclesiæ calamitas comprobauit.

COSTERVS.

Quatuor dicam. 1. Deus in Ecclesia suæ Spiritum veritatis conseruauit. 2. Hic Spiritus sanctus omni tempore, Ecclesiam docuit omnem veritatem: neque permisit vnquam ei vel minimum errorem prævalere. 3. Licet posterioribus annis nonnulla fuerint explicatius in Ecclesia declarata, & paulatim pluribus vel omnibus nota: vt de numero librorum sacrorum, de non rebaptizandis quos hæretici, vel alij infideles baptizarant, de Paschate celebrando die Dominico, aliisque id genus: Nunquàm tamen reuocauit Ecclesia quod prius crediderat, vel postea credidit quod ante negarat. Nunquàm

quàm ab Ecclesia dicta sunt noua, sed nouè: ait Vincentius Lirinensis. Hæreticorum est, docere noua, & vetera damnare. 4. Miseranda ista, quam hæreticus deplorat, calamitas, non ex imperfecta Ecclesiæ notitia, sed ex hæreticorum malitia ortum habuit. Ante Lutherum & Caluinum vna omnium erat fides, vna Christianorum doctrina, idem sapiebant omnes, idem omnes dicebant: Nemo erat Caluini, nemo Lutheri, sed omnes Christi. At vbi lapsu stellæ in terram, hoc est, apostasia Lutheri puteus abyssi apertus est, ascendit fumus, hoc est, summa ignorantia; & eruperunt locustæ, hæretici Prædicantes: Bucerus, Zwinglius, Melanchthon, Brentius, Sneppius, Beza, Pacimontanus, Dauid Georgius, Menno, Gomarus: qui Magistrum suum Lutherum à tenebris Papistarum, pro suo quisque ingenio & facultate vindicarunt: & miserum hæresiarchã in mille partes secuerũt. Hinc miseranda calamitas, qua Ecclesiæ Catholicę nihil de fide perit: ed de suis sordibus, & mortuis atque infrugiferis membris. Hæreses enim semper ad se trahunt sordes Ecclesiæ, viuáque eius membra ad vitæ sanctitatem, & sacrarum literarum studia prouocant. Vix inuenias hęresim, cui Deus statim non obiecerit nouũ Religiosorum Ordinem: vt, tempore Arianorum, Eremitas, & Beati Basilij Cœnobitas: contra Originistas, Bene[illegible]nos: contra Berenga-

In Co torio

Apoca

rianos, Henricianos, Petro-Bruſianos, &c. Carthuſianos & Ciſtercienſes: cõtra Vbaldenſes & Albigenſes, &c. Franciſcanos & Dominicanos contra Lutheranorum ſectas Proteſtantes, Sacramentarios, Anabaptiſtas, Triteiſtas, &c. Capucinos & Ieſuitas. Itaque licet quibuſdam in prouincijs aliquid deceſſerit Eccleſiæ, alibi tamen illi plurimum accedit: tam ſi Prouincias & perſonas ſpectes, quàm ſi doctrinã & ſanctitatem. Pro obſcuris angulis Belgij, aperit Deus ampliſſima regna Iapanorum, Cinenſium, Peruanorum, &c.

HÆRETICVS.

Eccleſia non propterea columna & firmamentum veritatis appellatur, quod fidei myſteria aut omnia, aut perfectius literis ſacris complectatur, aut quod veritatem primariò fulciat.

COSTERVS.

B. Chryſoſtomus: *Hoc* (ait templum, Eccleſia) *continet fidem & prædicationem: quippè veritas Eccleſiæ & columna & firmamentũ eſt. Columna eſt orbis Eccleſia.* Sedulius, *Columna & firmamentum veritatis, id eſt, in qua nunc ſola veritas ſtat firmata, quæ ante in lege erat poſita.* Ita columna eſt veritatis: quia in veritate fixa nullum admittens errorem: firmamentum, quia, (vt ait B. Anſelmus) alios confirmans.

HÆRETICVS.

Sed partim, quod ſacras literas, ſeu *eloquia Dei* (vt Apoſtolus docet) *ſibi concredita,*

colum

columnæ appensa custodiat, & testimonio suo apud infirmos confirmet.

COSTERVS.

Itaque totis 12. annis, quando nullæ erant sacræ literæ noui Testamenti, non erat Ecclesia columna veritatis. Nam scripturæ veteris Legis, & *eloquia* illa *Dei*, quæ ex Beato Paulo citas, concredita fuerunt Synagogæ Iudæorum. De quibus sic loquitur: *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas Circumcisionis? Multum, per omnem modum: primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Prætereà columnarum est potius sustentare, propter firmitatem, quam appensum ferre. Ideò Apostoli Petrus, Iacobus, & Ioannes dicuntur columnę: quod Ecclesiam fulcirent & sustinerent. Denique hac eadem ratione Iudæi hodie quaqua versum per orbem diffusi, columnæ erunt sacrarum literarum. Sic enim prouidit Deus, teste B. Augustino, & ante eum B. Iustino martyre, vt Iudæi inter Gentes conseruarent Legis & Prophetarum scripturas, in fidei Christianæ cõfirmationem: cuius mysteria ante tot sæcula vaticiniis prophetarum prædicta sunt, & Legis ceremoniis adumbrata. Galat. Lib. 18 uit. cap. Orat. ex ad Gent

HÆRETICVS.

Partim quod [illegible]atis mysteria, quãuis non omnia quę [illegible]is literis continentur,

ea tamen quæ ad salutem necessaria sunt, pro suo modulo, fide complectatur & doceat.

COSTERVS.

Si Ecclesia non omnia quæ sacris literis continentur fide complectitur, hoc est, credit: caret igitur fide: quæ omnia complecti, & credere debet: cum sit vnica fides, Apostolo teste, & non multæ. Cæterùm si Ecclesia nobis literas sacras, tanquam sibi appensas, custodit, & suo testimonio confirmat: quî fieri potest, vt eius mysteria omnia fide non complectatur? Quænam porrò est ista Ecclesia, columna & firmamentum veritatis? Beatus Ambrosius sic de ea scripsit: Cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen, eius domus dicitur: cuius hodie rector est Damasus. Ante Caluinum, vbinam erat? Et nunc apud Caluinistas, quis eius Rector? Videat candidus lector, quid non moueat hæreticus, vt persuadeat, Nullum esse in orbe cœtum hominum, qui puram veritatem doceat sine mendacio aut falsitate. Vnde necessariò conficitur. 1. Spiritum veritatis, qui Ecclesiam in vera fide contineat, ab ea iam tot seculis abfuisse. 2. Nulli hominum conuentui, nec ipsi quidem Caluinistarum Synagogæ fidendum esse: quin erroribus & mendaciis scateat. Quò igitur se conuerteret miser homo, qui veritatem sine errore quærit?

HÆRE

HÆRETICVS.

Tertium denique quod ex Matthæo adducis testimonium, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus:* Matt. 18
id ab instituta quæstione alienum est. Primùm, quia Christus non de doctrina, sed de censura morum agit.

COSTERVS.

Non de solis peccatis morum loquitur Dominus, sed de omnibus omninò peccatis: quæ cum Deum offendant, etiam in nos committuntur. Itaque si quis hæresim foueat, nonne monendus erit? nonne deferendus Ecclesiæ? & eam si non audiat, nonne communione priuandus, & de cœtu fidelium eiiciendus? *Si quis frater* (ait Apostolus) *nominatur inter vos fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Ecce idolis seruientem Christianum (hoc est, hæreticum aut infidelem) simili censura cum reliquis peccatoribus feriendum. Nam etiam hæresis inter damnata carnis opera, ab Apostolo recensetur. 1. Cor. 5. Galat. 5.

HÆRETICVS.

Deinde, quia non de vniuersali, sed de quauis particulari Ecclesia disserit.

COSTERVS.

Si Ecclesiæ particulari in iis, quæ ipsius sunt, est obtemperandum: multo magis Ecclesiæ vniuersali. Neque rectè ex his CHRISTI [illegible] cum tuo Caluino,

colligis, ad singulas Ecclesias iudicium summarum rerũ pertinere. Quia id Christus neque dixit, neque indicauit. Sed contrarium potius à nobis colligi voluit. Asserit enim se futurum in medio eorum, qui
1.18. in suo nomine congregati fuerint. Atqui in eius nomine non conueniunt, qui de
9. in causis ad se non pertinentibus agunt, *quia non est sine culpa* (ait regula Iuris) *qui rei quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Tractent fabrilia fabri, & ne sutor vltra crepidam. Sicut igitur Mechanici opifices, si in tribubus suis fidei normam præscribant, & sacras literas exponant, non conueniunt in nomine Christi: ita priuatæ Ecclesiæ, si ea sibi arrogent, quæ sunt Ecclesiæ vniuersalis: velintque Christianis omnibus leges fidei & morum præscribere: non censebuntur in nomine Christi vel decernere, vel conuenire.

HÆRETICVS.

Quid magis pietati in Deum aduersatur, quàm à sacris illius literis, perfectionis & iudicij authoritatem detrahere: & ad Ecclesiam, quæ hunc honorem perpetuò recusauit, transferre?

COSTERVS.

Quid magis pietati in Deum aduersatur, quã spiritũ veritatis ex Ecclesia excludere: eúmque solis scriptis in membrana characteribus, contra Dei verbũ, includere:

re:& filium Dei mendacij arguere?Hic enim dixit:*Mittam vobis spiritum veritatis, qui docebit vos omnia, & manebit vobiscũ in æternum.* Nihil derogamus scripto verbo Dei: sed præter illud,suscipimus & veneramur, cum omnibus Patribus,Ecclesiæ doctoribus,aliud Dei verbum,non scriptum atramento in papyro,sed spiritu Dei in corde Ecclesiæ. Ioan.1

HÆRETICVS.

Laudatur quidem à Deo Ecclesia,& matris nomine honoratur:sed non aliter nisi quatenus Dei Patris cælestis vocem in sacris literis patefactam amplectitur,& filiis vtriusque fideliter tradit.

COSTERVS.

Quare addis de tuo,*In sacris literis patefactam*? Ego enim, etiam ante sacras literas, agnosco Matrem. Nonne erat mater primis duodecim annis,quãdo nullæ extabãt sacræ literæ noui Testamenti? Itaque non aliter agnosco matrem,nisi quatenus Dei Patris cælestis vocẽ in Dei verbo patefactam amplectitur. *Omnia*, inquit Christus, *quæ audiui à Patre nota feci vobis*, & *Spiritus sanctus docebit vos omnia*. Non ait:Scribet,aut, dictabit. Docendum tibi erit,hæretice, nihil extra sacras literas fide credendum. De quo hactenus nihil.Quæ nota sunt,probas:quæ probãda essent,vt certa proponis. Ioan.15

HÆRETICVS.

Itaq; breuiter & eleganter (vt solet) Augustinus ait: *Est autem mater Ecclesia, & vbera eius duo testamenta scripturarum diuinarum: hinc sugatur lac.*

COSTERVS.

Breuiter & eleganter (vt solet) Augustinus: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.* Eleganter etiam istud, vt solet: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.* Item: *Quæ vniuersa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Necdum intelligis, B. Augustinum etiam extra scripturam nonnulla credidisse? Proinde cum duo scripturarum diuinarum testamenta, Ecclesiæ vbera allegoricè nominat, non excludit à Christianorum fide traditum Dei verbum: ne primis duodecim annis altero vbere caruisse putetur, quando nulla erat noui Testamenti scriptura. Sed cum iam vtriusque Testamenti scripturæ extent, vult vt ab Ecclesia matre illas sumamus: atque non remoti ab ea, sed ad eius pectus illa sugamus: hoc est, non pro arbitratu nostro, sed ex eius

contra ist. c. 24

118.

5. contra atist. cap.

ex eius mente & traditione intelligamus. Scripturę verba lactis dulcedinem sapiunt, vtpote Spiritu sancto dictata: quam in nullis hominum scriptis inuenias. In singulis igitur immorari licet, & eorum maiestatem, ordinem, veritatem, suauitatem, profunditatem admirari. Hoc dum facis, nihil derogas Spiritui sancto, eiusue Scripturæ in cordibus fidelium exaratæ: sed vtriusq; Scripturæ suam tribuis, & conseruas auctoritatem.

HÆRETICVS.

Quare, cùm eam fingas Ecclesiam, quæ aliis & plenioribus, quàm vtriusque testamenti vberibus, suos nutrit alumnos, conflat, eam non veram matrem esse, sed perniciosam nouercam, Babylonem magnam: matrem scortationum & abominationum. Apoc.

COSTERVS.

Bona verba, quæso. Cur furiosa verba euomis, vt mente furente furere videaris? Ignoras, à furiis nihil cũ ratione dici? Quę nam est ista ratiocinatio: Ecclesia vera duo habet vbera: Ergo vestra Ecclesia est Nouerca, Babylõ magna, mater scortationũ & abominationum? Ego admitto antecedẽs. Sed sicut in matre nõ sola sunt vbera, verũ alia quoque membra, caput, manus, pedes, cor, &c. ita in corpore Ecclesiæ agnoscit Apostol⁹ varias partes. In tua matre, vbi est caput? vbi cor, vbi reliqua? Vbera sugitis matris vestrę: sed illa non natura, à matre nostra.

Mater: *vestra paruula est, & vbera propria non habet.* Ideóque lac verum ex illis non sugitis, sed venenũ: more araneorum, qui ex floribus venena colligunt, vnde apes mel & cerã. Ex scripturis sacris, quamdiu pectori Ecclesię nõ adhęrescunt, nihil præter errores exprimitur. Quia eas, non ad Ecclesiæ mentem, sed ad putridi corporis, cui insertæ sunt, pædorem, mulgetis. In corpore Romanæ Ecclesiæ, præter mystica hæc scripturarum vbera, agnoscimus alia mystica membra. Caput visibile: *quod* (vt
1. Cor. 12. ait Apostolus) *non potest dicere pedibus, nõ estis mihi necessarij.* Hic est Pontifex Romanus, Ecclesiæ Rector & pastor, (nam Christo, supremo & inuisibili capiti, non sunt pedes necessarij) oculi prælati: aures, confessarij: manus, dispensatores: pedes, hi qui ad in-
S. Mo- iuncta discurrunt, ait B. Gregorius. Cæ-
lib. 11. terum anima, qua hoc corpus vitã habet, & ad vitales functiones vtitur, est Spiritus sanctus: qui memoriæ impressit Dei verbum, & Apostolicas traditiones. Habes igitur in Ecclesia scripturam externam pro vberibus, internam pro memoria, & Spiritum sanctum pro vita. Caluinistica Synagoga, præter aliena vbera, caret omnibus. Heu quale monstrum acephalum? sine spiritu & vita mortuum, sine membris vitalibus, carens memoria, recens natum ex patre diabolo.

HÆRETICVS.

Et vt magis conspicua sit iudicij tui indignitas

gnitas, hęc pauca è multis, Dei decreta opponimus.

COSTERVS.

Ne de meo iudicio loquaris: sed de totius Catholici orbis fide & doctrina. Quod igitur in me dicere paras, id in vniuersum orbem dices. Et quis te miserum homuncionem constituit orbis terrarum Iudicē? *Omnes insipientes* (ait Salomon) *supra modum animæ suæ superbi sunt: inimici populi tui.* Sapient 1

HÆRETICVS.

Ad legem magis, & ad Testamentum, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, erit eis lux matutina. Isaiæ 8.

COSTERVS.

Quid istud ad rem? Fortè vis, à nemine quicquam dici posse, nisi quod lex & testimonium habet? Vis omnia lege & scripturis contineri? At hoc non dicit: sed, *Si non dixerint iuxta verbum hoc*, id est, Si quid cum lege & sacris literis pugnans docuerint: *non erit eis lux matutina*, id est, non intelligent veritatem. Absit autem vt Catholica Ecclesia alienum aliquid à diuina lege doceat.

HÆRETICVS.

Sed etiam si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus (hoc autem totum comprehensum est sacris literis) *anathema esto.* Galat. 1.

COSTERVS.

In parenthesi [illegible]ris. Neque dixit Apostolus:

postolus: Præter id quod vobis scripsimus, sed, *quod vobis euangelizauimus.* Quod alibi
ad Thessal. 2. sic exponit: *State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Ergo non solũ scriptum, sed etiam auditum Dei verbum retinendum est. Doce omnia esse scripta, & viceris.

HÆRETICVS.

Huc accedit consensus Ecclesiæ catholicæ: quæ sacras litteras canonicas, & canonem fidei ac cultus Dei, propterea appellauit, & ad illarum iudicium controuersias in Conciliis meritò dirimendas iudicauit. Canon enim summus est recti & obliqui index & iudex. Ac propterea cum sacræ litteræ sint fidei canon, iis summum in religione iudicium iustè deferendum est.

COSTERVS.

Et ista quorsum? An his concludes, nihil extra scriptas literas sacras admittendum, vel fide credendum? Sed hoc catholica ecclesia nusquam dixit. Fatetur, eas esse canonem fidei, ad illas esse collimandas doctorũ scripturas, & iuxta earum normam controuersias dirimendas: quia nihil penitus est admittendum, quod vel in minimo eis aduersetur. Inde porro non consequitur, Scripturam solam esse iudicem controuersiarum & quæstionum. Iuxta Leges est in Politicis iudicandum, sed ab homi-

ne

ne iudice. Quid enim, si de verbis Legis sit quęstio, quid si noui casus occurrãt? legib⁹ non moti? quid, si interpretes Legũ in earum sensu varient? Ita Scriptura sacra est norma fidei, & canõ Christianæ doctrinæ, vt nihil cũ ea pugnans toleretur. Sed incidunt nõ raro controuersiæ, in quibus nihil præsidij nobis Scripturæ præbent. Veluti: Cur potius Marci & Lucæ euangelia sint in sacrarũ literarũ numerũ referenda, quã Petri & Andreæ: cum hi fuerint Apostoli, illi solùm Apostolorum discipuli? Itẽ, cur admittamus epistolam B. Pauli ad Romanos, & non eam, quæ circumfertur ad Laodicenses: cum huius meminerit Apostolus alibi, illius autem nusquam? Præterea, cur Lutherus cum suis epistolam ad Hebræos reiiciat, & vos Caluinistæ de eius auctore dubitatis: cũ B. Petrus disertis verbis testetur Apostolum Paulum Hebræis scripsisse: *Sicut*, inquit, *charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis*: (nimirũ Hebræis, quibus ipse scribebat) *sicut & in omnibus epistolis loquens in ijs de his, in quibus sunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant.* Rursus, si quæstio de intellectu verborum scripturæ moueatur, vt olim de his: *Ego & Pater vnũ sumus*: & *Pater maior me est*: &, *Hi tres vnum sunt*: & hodie, *Hoc est corpus meum*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*: *Oportet Episcopum esse vnius vxoris*: in nouissimis temporibus

Coloss. 4.

2. Pet. 3.

Ioan. 10. Ioan. 14. 1. Ioan. 5. Matth. 2 Ioan. 3. 1. Timoth. 3. & 4.

discedent quidam à fide, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum, &c. quis definiet? Si dicas: Alia loca clariora reddēt lucem obscurioribus verbis: At quis definiet alia illa loca eodem, & nō alio pertinere, vel plus luminis adferre? Dēniquē ñ extra scripturam sint quæstiones, quarum Scriptura non meminit, cuiusmodi fuerunt olim (teste Beato Augustino) Sintne Infantes baptizandi? Sintne rebaptizandi ab hæriticis, aut Infidelibus baptizati? Eodem pertinere potest, Liceatne mulieribus Christi corpus in Eucharistia sumere? quod nulla scriptura definiuit. Liceatne manè ante omnē cibū nommunicare? cum Scriptura de sola vespertina cœna loquatur. Liceatne mentiri? sicut nō solùm viri sancti veteris Legis, sed etiam Angeli feciſſe videntur. Si quis contentiosè scripturas à se productas tueri velit, & ad suū sensum detorquere, (quod omnibus hæreticis in more est, teste Tertulliano) quę scriptura eū detortionis conuincet? Itaque Scriptura sit norma: Ecclesia, iudex: huius est iudiciū pronuntiare, illius iudicium intra limites diuini verbi continere: hæc fert sententiam, sed scripturæ conformem.

contra t. cap. ib. 5. t.

rę scrip. t.

Quæ ex Chrysostomo & Augustino citasti, nihil impugnāt catholicam doctrinā: quæ scripturam fatetur fidei normam, sed tamen non omnia quæ credenda sunt, cōplecti. Idem agnoscit B. Chrysostomus his verbis

verbis : *Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.* Quænam scriptura hoc dicit? Philip. ad Pop

HÆRETICVS.

Quare, quis non videat, quam absurdè sacrarum litterarum iudicium declinas?

COSTERVS.

Vt non declinat Legis iudicium, qui à Iudice cupit ex lege iudicari, ita nec ego iudicium sacrarum litterarum: ad quas Ecclesia iudex sententiam pronunciat. Declino iudicium tuum, & omnium hæreticorum: qui, instar corruptorum Iudicum leges peruertunt. Scriptura est sãcta, iusta, aqua, diuina, sed interpretatio vestra impia, iniusta, iniqua, diabolica: hanc detestamur, & abominamur, non illam. Agnoscisne versutiam tuam, hæretice? Ecclesiæ Catholicæ derogas controuersiarum iudicium, vt illud vobis arroges: prætexis Scripturam, quam solam vis Iudicem, vt in ea tu ipse sis iudex. Mouetur quæstio, Sitne sacerdoti vel monacho ducenda vxor? prouocas ad scripturam: *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.* Admittitur à nobis scriptura, vt iudicij norma. Inde tu sententiam profers, vt Iudex: Ergo licet Sacerdotibus & Monachis inire connubia: En te Iudicem scripturarum. Impium iudicium sceleratorum Iudicis, ex sancta

scriptu

ſcriptura & lege. Tu ſcripturam peruertis Hæretico intellectu, atque ex eo te conſtituis Iudicem iniquum. Lõge aliter Eccleſia Catholica, quę ex eadem ſcriptura iudiciũ tuum damnat: Si, inquis, oportet Epiſcopum vnius eſſe vxoris virũ, nulli ergo, (ex veſtro intellectu) ſacerdoti licebit vxore carere. Quod enim oportet, id eſt neceſſum, vel, ERGO B. Ioannes Euangeliſta non fuit EPISCOPUS, vel, VXOREM habuit. Viden quàm ſis Apoſtolis iniquus Iudex: dum eos prætextu verbi diuini, peruersè condẽnas? Simile eſt de Scripturis alijs, quibus nouas hereſes veſtras nomine ſecrarum literarum confirmatis, & Catholica dogmata damnatis, iudiciũ vobis arrogatis de ſenſu ſcripturarum, & ſententiam hæretici intellectus veſtri, vultis eſſe Scripturæ iudicium.

HÆRETICVS.

Sacræ literæ, vt conſtantis ſunt veritatis, ſic locorum circunſtantijs, & ſimilibus ac clarioribus ſententijs ſcriptas quam optimè interpretantur.

COSTERVS.

Totus eſt in eo Hæreticus iſte, cum ſuis ſymmiſtis, vt in quæſtionibus fidei neminẽ velint externũ Iudicem prẽter ſcripturam: Quam aſſerunt claram & facilem. Et ſi fortè aliquot locis obſcura videatur & ambigua váriaſque interpretationes admittere: alijs tamen locis clarioribus omnem ambiguitatem tolli. Itaque non opus eſſe iudicio ECCLESIÆ, vel EPISCOPORUM, qui nos genuinum

nuinum ſcripturæ ſenſum doceant : cum quiuis priuatus homo ex collatione locorum verum intellectum ſacrarum literarum perſpicuè videre per ſe poſſit. Ad hoc dicam ſex. *Primum*, Doctrinam hanc cum experientia pugnare. Cum enim omnes moderni hæretici (vt olim etiam veteres) eadem perpetuò de Scripturarum facilitate & prædicta collatione doceant: nulli tamen in earum expoſitione conueniunt. Cur non eodem modo intelliguntur hæc pauca verba, *Hoc eſt corpus meum*, à Caluiniſtis, Lutheranis, Anabaptiſtis, & cæteris? Tot Colloquia & Synodos celebrarunt, & rationes concordiæ inierunt Lutherani cum Sacramentarijs : tot factæ collationes Scripturarum, tot inſtitutæ diſputationes : cur neutri acquieuerunt Sacrarum literarum iudicio? Fortè alteruter cæci erant? sed qui? Svvingliani accuſabant Lutheranos, ſed viciſſim Lutherani Svvinglianos, & Anabaptiſtæ vtroſque. Quæ ſcriptura erit Iudex? *Secundum*, Dum detrectatur iudicium Eccleſiæ, datur iudicandi poteſtas cuiuis priuato homini. Itaque tot iudices controuerſiarum & ſcripturarum, quot capita. Miſerrima foret Reſp. cui nullus præeſſet Iudex : ſed penes vnum quemlibet eſſet iudicij arbitrium. *Non alunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata*, (ait Beatus Cyprianus) *quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos,* Li. 1. epiſt.

& ad

& ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Si enim mihi liceat, pro meo gustatu litteras sacras intelligere meumque iudicium Prædicantium, Ministrorumque iudicio anteferre (siquidem quot capita, tot sententiæ) cur mihi, pro sensu meo non liceat noua dogmata effingere? En quàm miser status Synagogarum hæreticarum: in quibus nihil certum, nihil constans, nihil perpetuum. Dicis, *Litteræ sacræ sunt constantis veritatis.* Sed inconstantium hominum est inconstans sensus. Dicis, *Similibus locis seipsas interpretantur.* At ego dicam, non esse similia loca, quæ profers. Sunt qui verba dominicæ Cœnæ conferunt cum capite sexto Ioannis, alij, nullam ibi volunt de Eucharistia fieri mentionem: quæ scriptura conuincet? Tu dicis, *Hoc est corpus meum*, intelligi posse ex simili verbo, *Petra erat Christus: Semen est verbum Dei.* At ego multis arguam dissimilitudinem: quæ scriptura me coget? Proinde rectè monet Tertullianus, cum hæreticis non esse Scripturis agendum: tum quod eorum non sint, tum quod ijs perversè vtantur. *Quid promouebis* (inquit) *exercitatissime Scripturarum: cum, si quid defenderis, negetur: è diuerso, si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentionem: nihil consequêris, nisi vilem de blasphematione laudem.* Item, *In ipso congressu firmos fatuos, infirmos capiunt, me-*

orint. 10. Matth. 13.

b. de præpt. hæret.

dios

dios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendi eos ad illam de Scripturis diſputationem. Si hæ ſunt illæ vires eorum, vti ne eas habere poſſint, diſpici debeat, cui conueniat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Elegantèr depingit hæreticorum ingenium: qui vel Scripturas reijciunt, vt, Caluiniſtæ Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, Machabæos, vel ſuo ſenſu intelligunt, vt omnes. Rectè igitur monet, vt ante omnem diſputationem diſpiciatur, quorum ſit Scriptura: an Catholicorum, an Hæreticorum. Si eas iſti à nobis mutuati ſunt, debent vtique totidem Scripturæ libros, quot agnoſcit Eccleſia, admittere, & eodem eos ſpiritu interpretari. Quandoquidem idem ille ſpiritus veritatis, qui eos per Eccleſiæ membra ſcripſit, vſque ad ſæculorũ conſummationem in Eccleſia perſeuerat. *Tertium*, Scripturas ſacras locis quibuſdam obſcurioribus, per clariora loca nonnunquam illuſtrari. Sicut quod pro connubio Sacerdotum ab Hæreticis obijci ſolet, *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, intelligi, vt à ſacerdotio excludatur bigamus, hoc eſt, qui mortua priore ſecundam duxit, non eum, qui duas ſimul habeat vxores, ex ſimili loco eiuſdem Epiſtolæ demonſtratur, vbi de viduis, quæ Eccleſiæ [illegible] etibus alebantur, dicitur, 1. Timoth. 3.

1 Timoth. 5. dicitur: *Vidua diligatur, quæ fuerit vnius viri vxor.* Constat enim, ne apud Ethinos quidem vnquam toleratum, vt vxor duos Gen. 3. & 17. 1 Timoth. 4. simul haberet maritos. Similiter, *Hoc est corpus meum*, sine tropis intelligis, ex verbis Dei Patris, *Hic est filius meus dilectus.* Præterea, quæ de prohibentibus nubere, & cibis quibusdam vesci à Deo creatis, scripsit Apostolus, non accipienda esse de petitis nuptijs monachorum, aut delectu ciborum Ecclesiæ: ex alijs verbis Apostoli, qui de viduis voto castitatis obligatis, volentibus nubere, ita dicit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* & ex Apostolorum mandato, qui in Concilio Hierosolymitano indixerunt abstinentiam ab idolothytis, sanguine, & suffocatis. Quam etiamnum obseruant Græci, decreto Concilij Tertulliani. Sic Beatus Basilius verba Christi de seruis transgredientibus mandata Domini, quorum sciens vapulabit multis, ignorans paucis: quæ nonnullis obscura videbantur, quasi nulla esset æternitas pœnarum, per alia quæ manifestius eam æternitatem loquuntur, dicit exponenda. *Quæ* (inquit) *ambiguè & obscurè in nonnullis scripturæ locis dicta videntur, per ea quæ alibi certa & indubitata habentur, declarantur.* Ex his porro eius verbis sophista hæreticus colligit per fallaciam consequentis omnia quæ obscurè dicta sunt, alibi manifestius decla

Act. 15. Canon. 67. Luc. 12. Reg. 167. ex contractis.

declarari. Itaque dico *Quartò*, Non omnia quæ obscurè in sacris literis dicta sunt, per alia loca sic declarari, vt conuincamur. Cuius ratio est varia. Prima, quod ex circunstãtijs iudicantur allata loca ad illud institutum non pertinere. Sicut in superioribus, quæ pro Scriptura primi ordinis ex secunda Corinthiorum. 3. attuli, Hæreticus tanquam aliena reiecit: quod suo iudicio ad eam rem nihil facere viderentur. Secunda, quod in opinione pertinax illud dici nolit, quod reuera dicitur. Ita Sacramentarij volunt hæc verba Christi, *Hoc est corpus meum*, conferri cum *Petra erat Christus*: & non cum istis, *Hic est filius meus dilectus*. Quia, vt est apud Beatum Gregorium, *Hæretici inquisitionibus suis non veritatem, conantur assequi, sed victores videri*. Et Beatum Athanasium, *ad verba sacrarum literarum confugiunt, in quæ ipsi solito suo more prauo sensu incurrentes, mente quæ inibi latent non aspiciunt, & ad impietatem ipsorum, quasi ad regulam, omnia dicta sacrarum literarum contorquent*. Hæreticis pertinacia est norma Scripturæ, non autem scriptura norma doctrinæ. *Quintum*, In disputationibus sacris, seu cum Hæreticis; seu cum Catholicis, ante omnia est agendum scripturis. Quo modo à Patribus olim cum Arianis, aliisque veteribus hæreticis semper est actum. In quarum sensu si cõueniatur, non erit difficilis veritatis inuentio: si dissentiatur in interpretatione, minor erit spes ostendendæ veritatis. Catholici,

Li. 8. mor. Orat. 2. in Arianos.

lici, qui ex Maiorum Patrum traditione scripturas intelligunt, facilius conueniunt: Hęretici qui nouas expositiones comminiscuntur, nullam conueniendi spem faciunt. Itaque Concilia omnia, & Sacri scriptores Catholica dogmata scripturis cõfirmarunt. Vt hæreticus ex Origene, Hilario, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, Clemente, Leone, superuacuè (vt chartas impleste videatur) demonstrat. Idem enim in Bellarmino, aliisque qui controuersias tractarunt, videre licet. Cęterũ propter hęreticorum impietatem, qui scriptam veritatem peruertunt, & sacras litteras in alienos sensus detorquẽt, quę vt non sentiũt se torqueri, vel lædi, ita per se non queruntur, neque reluctantur. Frequenter non est satis attulisse Scripturas, nisi etiam veteris Ecclesię doctrina producatur. Si in iudicio de verbis legis sit disceptatio, nonne consuetudinem adferst quam aiunt optimam esse interpretem Legis? Hinc est quod ad Concilia Generalia conueniant totius orbis Pastores: non modo vt ex doctrina sententiam suam dicant, sed etiam, vt quid in omnibus Ecclesijs, à Maioribus ad sua vsque tempora, creditum fuerit & obseruatum, attestentur. Hinc etiam Patres in more habuerunt, Hæreticos ad Ecclesias antiquas remittere, earumque cõsuetudines obseruare. Ita *a* Beatus Iræneus, *b* Origenes, *c* Tertullianus, *d* Cyprianus, *e* Epiphanius, *f* Augustinus, *g* Optatus Mileuitanus, Romanorum

a Lib. 3. cap. 4. *b* Lib. 4. cap. 45. & 63. *c* Lib periar on. De præscrip De simpli. Prælator. *d* Hæresi 27. *e* Epist. 165. *f* Lib. 2. cõtra Donatist.

norũ Pontificũ in eadem fide & doctrina ſucceſſionem recenſent: & demum monent, vt ſuarum Cathedrarum ipſi originem reddant. Hinc denique Eccleſiæ doctores & Pontifices in rebus dubiis, non minus oculos ad antiquum Eccleſiæ morem, quàm ad Scripturas conuerterunt. B. Cyprianus tribus Conciliis Africanis viſus ſibi eſt cum Dionyſio Alexandrino, aliiſq; Ægypti & Aſiæ Epiſcopis, Sacrarum literarum teſtimonio, euiciſſe hæreticorum rebaptizationem: At Stephanus Papa vetuit, quicquam ex recepta Eccleſiæ conſuetudine innouari. Vnde querela Cypriani: eum potius conſuetudini, quàm ſacris literis inhærere velle. Obtinuit tamen Stephanus, & Epiſcopos in ſuam ſententiam reduxit. Quam etiã Generale Concilium poſtea comprobauit: Sicut B. Auguſtinus multis hac de re cum Donatiſtis agit. *Sextum*, Neminem eſſe veterum Patrum Catholicorum, qui docuerit vnquam, vel ſacras literas ea omnia quæ fidem concernunt continere: vel nunquam eſſe traditionibus hæreticos, ſed ſolis ſcripturis reuincendos: vel nullam Apoſtolicis traditionibus authoritatem habendam.

HÆRETICVS.

Clemens Papa affirmauit, *Ex ipſis ſcripturis ſenſum veritatis capiendum, & ex diuinis ſcripturis integram & certam regulam veritatis petendam.* Epiſt. 3.

COSTERVS.

Qui hunc Epistolæ centunculum ex tuo sensu arripuerit, illi videri possit Sanctissimus Pontifex iubere, vt ex solis scripturis earum intentiones petatur. At alia dicit his verbis. *Relatum est nobis, quod quidam in vestris partibus commorantes, aduersantur sanæ doctrinæ: & (prout eis videtur) non secundum traditiones Patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur. Multas enim quidam (vt audiuimus) vestrarum partium, secundum ingenium hominum, ex his quæ legunt, verisimilitudines capiunt. Et ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei cum legitur: non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit: sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum & extraneum, debetis quærere: aut quoquomodo ipsum ex Scripturarum authoritate confirmare: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideò oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à Maioribus, secundum veritatem sibi traditam, seruauit: vt & ipse possit ea quæ rectè suscepit, competenter asserere. Cùm enim ex diuinis scripturis, integram quis & firmam regulam veritatis susceperit: absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione ac liberalibus studijs (ne fortè in pueritia atti-*

gis,

git, ad assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet.

Obserua Lector, hîc à B. Clemente, Apostolorum discipulo, & tertio post Beatum Petrum Romano Pontifice, quinque dici. 1. Legem Dei, hoc est, Sacras literas neque legendas, neque aliis tradendas iuxta proprij ingenij intelligentiam. Quod omnium hæreticorum est proprium, tametsi Beatus Apostolus Petrus disertè dixerit, *Prophetiam scripturæ propria interpretatione non fieri*: hoc est, à nemine suo sensu exponi debere. 2. In his literis sacris multa esse, quæ in alienum sensum trahantur. Sicut idem Apostolus de Paulinis epistolis, aliisque scripturis monuit. 3. Hos nouos sensus diuinis literis confirmandos non esse Quod illi faciunt, qui suas hæreses Scripturis stabiliunt: nouásque interpretationes suas collatione aliorum locorum comprobant. 4. Veram scripturarum intelligentiam, ab illo discendam, qui eam à Maioribus accepit. Quod Catholicos doctores facere constat. 5. Cùm ex scripturis didiceris veritatem, & in orthodoxa fide confirmatus fueris, iàm tum licere tibi etiam prophanis scientiis vti: quibus Catholicam doctrinam illustres. Quod præclarè Scholastici doctores, & ante eos plerique veteres doctissimi Patres, [illegible] aude & vtilitate præstiterunt. 2.Petr.1.

2.Petr.3.

HÆRETICVS.

E. 10. ad Leonis Papæ sententia, *In rebus obscuris ad veritatem cognoscendam, ad propheticas voces, ad Apostolicas literas, ad Euangelicas authoritates, recurrendum docet.*

COSTERVS.

Cap. 2. D. Leo aduersus impium Eutychetem sic scribit: *Quid iniquius, quã impia sapere, & sapientioribus doctioribúsque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, quum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Euãgelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere: Quam enim eruditionem de sacris noui & veteris Testamenti paginis acquisiuit: qui nec ipsius symboli initia comprehendit? & quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.* Notabis Eutychen non vituperari hoc nomine quod scripturas non legisset: eorum enim erat Monachorum Abbas, qui in conuincendis Nestorianis, à Concilio 3. Generali Constantinopolitano laudem reportarunt. Sed 1. quod doctioribus sapientioribúsque non crederet: toti nimirum Synodo Chalcedonensi 454. Patrum. 2. Quod veritatem doctrinæ Catholicæ

Actione 4.

in

in Propheticis, Apostolicis, & Euangelicis literis inuenire noluerit. 3. Quod hoc ei euenerit, quia ad semetipsum recurrit, suóque iudicio niti voluerit: cúmque noller discipulus esse veritatis, factus sit Magister erroris. Improbat igitur sanctus Pontifex præposteram eius intelligentiam scripturarum, quæ cum à Maioribus peti debuisset, ille eam à semetipso commentus fuerit. Ita idem Pontifex alibi: *Ab Euangelica, Apostolicáque doctrina ne vno quidem verbo licet discedere: aut aliter de diuinis scripturis sapere, quàm beati Apostoli & Patres nostri didicere, atque docuerunt.* Epist. 43. Item: *Frequenter in diuersarum ambiguo quæstionum titubantia fratrum corda spiritu Dei instituente solidauimus: responsionis formam vel ex sanctarum scripturarum disciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes.* Epist. 37. Simile scribit ad eundem Leonem Flauianus Patriarcha Constantinopolitanus: *Decet sequi Patres nostros, nec commutare definitionem eorum perpetuam: quorum regulam secundum sacras Scripturas esse didicimus.* Epist. 1. ad Leonem, cap. 1. Item: *Inueniuntur infirmæ fidei homines, & qui diuinas lectiones nesciunt, & secundum eas in perditionem præcipitant: dissipantes & vituperantes Patrum disciplinas, & reliquas sanctas Scripturas ad suam perditionem. Omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro fide & expositionibus, dogmatibúsque sanctorum Patrum: quatenus per omnia, & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inuiolata saluentur & custodiantur.* Cap. 2. Epist. 2. ad eundem.

HÆRETICVS.

Quam piam & grauem ſententiam ſi, vt debebas, amplectereris, non tam indignè ſacrarum literarum interpretationẽ poſtpoſita Scriptura, ex iudicio Eccleſiæ poſſimum depromendam iudicares.

COSTERVS.

Quam piam & grauem ſententiam ſi, vt debebas, amplectereris, non tam indignè iudicium tibi de ſacrarum literarum ſenſu arrogares, & Eccleſiæ Catholicæ derogares. Scit enim conſcientia tua, nobis quæſtionem non eſſe, debeátne ſacra ſcriptura norma eſſe fidei & Chriſtianæ doctrinæ: quod aſſerimus omnes. Sed iſtud controuerti. 1. Cõtineátne ſcriptura diſertè fidei dogmata omnia: vt ex ea ſola poſſint, debeántq; quæſtiones omnes de fide motæ reſolui. 2. Si de ſenſu allatæ ſcripturæ diſceptetur, cuiuſnam ſit iudicio ſtandum: tuóne, qui eam ad tuam hæreſim detorquebis, & ſenſum tuum aliis locis, quæ nouæ interpretationi tuæ idẽ dicere videbuntur, confirmabis: an verò Eccleſiæ Catholicæ, veterúmq; Patrum: quorũ iudicio neq; ſenſus tuus ſanus erit, neque alia loca ad confirmationem allata valebunt? Clemens Papa, Leo, & Iulianus iã nominati, cum Apoſtolo Petro nolunt priuatæ expoſitioni

positioni stari. Quia cum agnoscant à Nouatoribus nouas non raro explicationes excogitari, fatentur, nemini priuato homini, cuius spiritus in dubium vocari potest, illud permittendum esse, sed soli Ecclesiæ tribuendum: cum qua (ex Christi promissione) *Spiritus veritatis, qui omnem docet veritatem*, perseuerat in æternum.

HÆRETICVS.

Quod fundamenti loco substernis, id & naturæ, & scripturæ omninò aduersatur: homines enim externam faciem contemplantur, solus Deus corda intuetur.

COSTERVS.

Quod ais, me dicere, Abdita quidem esse hominibus cordium penetralia, sed ea nobis patefieri sermone, & scripto, tanquam duobus animi nunciis: Dico quidem: addo verò, Externas quoque totius Ecclesiæ actiones in cultu diuino.

HÆRETICVS.

Sed quid istud ad rem? Neutrum enim scriptura illa interna est, quam fingis: & de qua inter nos existit controuersia.

COSTERVS.

Non controuertitur, Possisne corda intueri, illicque scripturam illam sancti Spiritus legere: sed, Sitne in Ecclesiæ corde scriptura ista interna? Quod ego non fingo, sed Spiritus sanctus asserit: quem tu fictionis & mendacij arguis. Hanc scripturã ineſſe mentibus fidelium, ex verbo Dei credimus: eámque (verbis) sacramentis,

& Catholico Dei cultu prodere videmus. Nam (vt superius dixi) si quis huc Bruxellam veniat, videátque homines ante Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum prosterni, Missæ sacrificium, venerabundos audire, imaginibus honorem deferre, Sãctos orare, prõ defunctis sacra celebrare, connubia sacerdotum & Monachorum sacrilegas appellari nuptias, eáque omnia magna deuotione suscipi, quæ vos tanquã cum scripturis pugnantia dámnatis: nonne ex verbis, scriptis & cęremoniis intelliget scripturã cordis? Vos sanè etiam scripturam corde geritis hæreseos vestræ: quã verbis & actibus non obscurè aperitis, & cuiuis legendam proponitis. Si enim quis ad vos profectus, audiat blasphemias in sanctissimam Deiparam MARIAM, cęteroſq; Sanctos: in Pontificem, vobis Antichristum, in Cardinales, vniuersúmque Clerum, conuitia etiam in omnes Catholicæ Ecclesiæ ritus: contemptum Sanctissimi corporis Dominici in Eucharistia, & Sacramentorum Dei, videat nulla superesse Monasteria virorum seu fœminarum, Sacerdotes & Monachos vxorculis alligatos, aliásque nequitias Caluinisticas: nõne hæresim, quam corde scriptam geritis, foris ex actionibus leget? Hoc porrò inter vestram & Ecclesiæ scripturã interest. 1. quod hanc scripserit digitus Dei, Spiritus sanctus: illam digitus diaboli, spiritus nequam: non erit. 2. desunt Sathanę sui

Apocal. 13.

chara

characteres. 2. Quod nostra nõ solùm indelebilis sit, sed etiam inuariabilis: manet enim in Ecclesia Spiritus sanctus in æternum: nihilque patitur in fide & Christiana doctrina mutari. Vestra mutatur pro Ministrorum, imo pro priuatorum hominum vario iudicio frequenter. Id testantur diuersæ hæreses, quę ex vna eademque pullulant, & additionibus, aut demptionibus Maiorum suorum doctrinam variant. Vestra denique cum superioribus omnibus tandem interibit. Desinet memoria Lutheri, Caluini, Swinglij, Mennonis, cæterorumque hæresiarcharum: sicut Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychetis, &c. Vt enim Assur, virga furoris Domini sumptis per eum de populo Dei meritis ex peccato pœnis, tandem ipse cum suis interiit: ita vbi per vos diuinæ in nos iræ & castigationis fuerit factum satis, idem vobis expectandum erit, quod virgæ paternæ, quæ, flagellato & emendato filio, iniicitur in ignem. Arrogans enim spes vestra futuri temporis confundetur: quia dispe[rd]etur de terra memoria vestra, & peribit cum sonitu, quando magno impetu, instar ingentis lapidis molaris, cum Babylone ciuitate magna, in gehennam mittemini. Isaiæ 10. Psal. 108. Psal. 9. Apocal. 18

HÆRETICVS.

Deinde neutrum etiam certum est (si Prophetas & Apostolos exceperis) eius, quod à Deo mentibus [illegible]tum est, iudiciũ.

COSTERVS.

14. Non ſolis Apoſtolis dictum eſt à Domino, ſed vniuerſæ Eccleſiæ: *Spiritus veritatis qui omnem docebit veritatem manebit vobiſcum in æternum.* Et: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Prophetę & Apoſtoli ad cælos migrarũt, & necdum eſt ſæculi conſummatio: vbi eſt igitur promiſſus Spiritus veritatis, qui doceat omnem veritatem in æternum?

h. 28.

HÆRETICVS.

Nam cum regeneratio Eccleſiæ in huius vitæ curriculo ſit imperfecta, & caro ſpiritui reluctetur, os verò & manus ſint communia vtriuſque inſtrumenta (quæ prout alterutrum interdum eminet, ita eidem inſeruiunt) quomodo certo nobis conſtabit, vtrum ſpiritus, an carnis ſententiam proponam?

COSTERVS.

Ex continuata, & ab Apoſtolorum temporibus nunquam interrupta eadem doctrina, & fide: quam Spiritus ſanctus in Eccleſia conſeruat. Vos Eccleſiam arbitramini politicum prophanorum hominum cætum, qui nunc à carne, nunc à ſpiritu impellatur. Nos ſingulos homines agnoſcimus mutationi ſubiectos, ſed vniuerſum corpus Eccleſiæ aſſerimus (ex promiſſione Chriſti) dirigi à Spiritu ſancto. Nos credimus Eccleſiam ſanctam, propter eius ſpiritum, qui velut animã corpus, eam conſeruat, regit, eíq; vitam præbet. Si quæ

muta

mutatio in Ecclesiæ doctrina & fide cerneretur, iã locũ haberet tua ratio. Sicut ea nõ paucos homines ambiguos reddit, in sentẽtiis vestris diiudicandis. Cùm enim vident Lutherum posterioribus annis fidem suam variasse, & ad eam Caluinistas, & Anabaptistas pleraq; adiecisse, eósque multos Nouatores cum nullis horũ conuenisse: nonne meritò ambigere poterũt, qui ex omnibus, & quando spiritu, & non carne fuerint moti? At Ecclesiã nostrã, certũ est, sub Apostolis diuino impulsam spiritu. Ex eo autem tempore nullã constat in doctrina factã mutationem, aut si vobis constat: doce vbi, quando, à quo. Nihil igitur hîc loci habet vestra distinctio carnis & spiritꝰ.

HÆRETICVS.

Quapropter in hac etiam re, certior quærenda est interpretationis scripturæ, & spiritus diuini regula. Sacræ nimirum literæ: quas citra vllam controuersiam à Deo prodiisse, & iussu illius fideliter conscriptas constat.

COSTERVS.

In duobus peccas. 1. Dum à nobis arcessitis scripturæ iudicium excludi, quam nos omnium iudiciorum normam, iuxta quam tanquam ad legem diuinam, omnia iudicanda sint, asserimus. 2. Dũ illud, quod præcipuam quæstionem habet, dissimulas. Loqueris enim de Scriptura sacra, non aliter, atque si in ea nihil ineſſet, quod non omnes, qui eã legunt, intelligant, & meditãtur, eodẽ

prorſus modo & ſenſu intelligere, atque interpretari poſſent. At contrarium videmus. Quia non aliunde tot hæreſes, ſecum ipſe pugnantes, Eccleſiam variis erroribus infeſtant: quàm quod eadem Scripturæ verba pro ſuo quiſque arbitrio tractat. Lutherus ſuum ſenſum ſecutus eſt: Caluinus eũ improbat, vtitúrq; ſẽſu ſuo: Anabaptiſtæ vtrumque damnant, ſibiq; placent in ſenſu ſuo. Itaque eſto ſcriptura iudex: quis de vero ex tot ſenſibus iudiciũ feret? Collationes faciunt omnes: iiſque nõ obſtantibus nulli conueniunt.

HÆRETICVS.

Vnde Apoſtolus Paulus ait: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*: & Ioannes. *Nec cuilibet ſpiritui credite: ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint*: & Chriſtus: *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.*

1 Theſſ. 5.
1 Ioan. 4.
Ioann. 5.

COSTERVS.

His verbis diuinis arbitratur hæreticus, & perſuadet ſuis diſcipulis, non ſolùm priuatis omnibus factam poteſtatem, ſed etiã mandari, vt & ſacras literas legant, ſuoq; interpretentur iudicio: & iis ſe dogmatum Eccleſiæ, & totius fidei iudices conſtituãt. Si furi, ſicario, latroni hæc poteſtas detur in Leges ciuiles, nemo ſe reum mortis inueniet. Heu quàm iniquè tractantur ab hæreticis literæ diuinæ! *Nulli Rhetores, Philoſophi, Geometræ, Dialectici, Muſici, Aſtronomi, Medici: immò mechanici, Fabri, Lanarij, Fullones*

nes absque doctore esse possũt: (ait D. Hier.) *Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.* Omnibus enim præcipitur, probare omnia: (Q Nouatores volunt) & de vero spiritu iudicium ferre. Epist. ad Paulin.

Specimen hic habes, ingenue lector, cãdoris hæreticorum. Permittunt cuiuis, vt post 1500. annos, de dogmatibus Ecclesiæ tot sęculis incorruptis censeat, déque eorum veritate post tot annorũ probationẽ, ex suo sensu iudicet. Itaque licebit vnicuíque sententiam dicere de fidei articulis omnibus, de sacramentis, aliisque mysteriis, & de sacrarum literarum intellectu, prout ipse sapit. An hoc Christus voluit? An hoc Apostoli docuerunt? Ita eos intelligit hæreticus pro erroneo gustu suo. Quod si verum est, nihil erit certi in Ecclesia, nihil stabile, nulla veritas: quisque vt noui aliquid sapiet, ita ad id trahet scripturam, quod in Nouantibus hæreticis omnibus experimur. Itaque quod ait Apostolus: *Omnia probate, & quod bonũ est tenete,* (quod pro se, teste Tertulliano, hæretici semper adferunt) non hoc vult, quod hæreticus fingit. Nam 1. non vult semper probari, sed tandẽ probationis esse finem, cum bonum inueneris. Dominus, qui alibi dixit, *Quærite & inuenietis*, non voluit semper quæri: (ita) nec inuenias. Probamus, Lib de præscript. hæ

bamus, non ſemper guſtu noſtro, ſed etiam alieno. Deprehendimus toxicum, experientia alterius. Si menſæ accumbenti, dicatur tibi ab omnibus ſimul diſcumbentibus, hac lance continetur venenum, quod morte quorundam compertum eſt: cúne hunc cibum ore probabis? Iam 1500. annis docuit vniuerſa Eccleſia, Caluiniſtica dogmata hæreſibus ſcatere, eorũ libros & conciones inficere, & ſacrarum literarum explicationes mortem adferre: quid lectu opus eſt, & vlteriore probatione? Eadem demonſtrauit 15. ſęculis bonum ſinceræ doctrinæ, & orthodoxæ fidei: quid alia opus eſt inquiſitione? Serpentis conſilium eſt, ſemper per teipſum probare, & nunquam alterius aſſertioni acquieſcere. Dixerat primis parentibus Deus. Quacumque hora comederitis ex hoc ligno, morte moriemini: ſerpens ſuadet non eſſe contentos, ſed veritatem experiri, ederunt, & perierunt. 2. Nec dicunt Apoſtoli, Per ſcripturas probate: ſed tantùm, *probate omnia*. Et, *probate ſpiritus, an ex Deo ſint*. Non præſcribunt his locis probandi modum: quem alibi declarant. Beatus Paulus quidem: *ſi quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Non ait, præter id quod ſcripſimus vobis: ſed, præter id quod euangelizauimus: id eſt, præter id quod verbo docuimus: vel, præter id, *quod didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue*

per

per epistolam nostram. B. Ioannes verò. *Vos quod audistis ab initio, maneat in vobis.* Itaque non solum lectione sacrarum literarum dignoscitur falsum à vero, sed omnibus iis modis, quibus deprehenditur doctrinæ nouitas, & ab ea diuersitas, quam accepimus ab initio. Si quem Prædicantem audium damnare cultum Eucharistiæ, honorem imaginum, inuocationem Sanctorum, Missæ sacrificium, Sacerdotum cœlibatū, vota Monachorum, aliaque id genus, quæ hactenus accepimus, & retinemus: hunc pronuntiabo Pseudoprophetam, eúmque ex Domini mandato vitabo, & vitandum monstrabo. Si quid simile legam in libris: hos denuntiabo hæreticos, & iuxta Maiorum Pontificum decreta, & Imperatorum leges flammis exuram. Si quempiam videam demonstri imagines, vituperare Missam, vel exturbare eorum aliquod, quæ iá recensui, & quæ ab Apostolis sine interruptione per manus accepimus: hunc non verebor pronuntiare hæreticum, filium gehennæ, & instrumētum diaboli. En modum, tum probandæ veritatis, tum discernendi spiritus bonos à falsis. Quē nō docti tantū, sed rudes etiā mulierculę, & catechistici pueri obseruāt in his quæ norunt: tāquam vnctione spiritus, & orthodoxa fide instructi, atq; per fidē infusam à Deo docti. Tā enim aperta est, & manifesta, per vniuersā Ecclesiā, fides Catholica: vt nouis doctoribus nō egeamus, [illegible] eorum dogmata

1. Ioann. 2.

Vide Platin. in Leone, Gelasio, Symmacho, Hormida, Alex. 4. Cod. de hæret. & Manich. lege 6. & in Monocan. Photij. tit. 5. constit. 6. 16

ex

ex accepta doctrina Ecclesiæ diiudicemus.
erem. 31. *Non docebit vir proximum suum, dicens: Cognoscere Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Cæterùm in difficilioribus & obscuris, de rebus diuinis, atque de Scripturarum intellectu, quæstionibus, non omnibus dicitur, *omnia probate*: sed viris eruditis in sacris literis exercitatis. *Non cuiuslibet est,* (inquit Beatus Gregorius Nazianzenus) *ô viri Christiani, de Deo disputare: non* (*inquam*) *cuiuslibet. Non adeo hæc res est vilis, & eorum qui etiamnum humi serpentes terrenis studiis occupantur. Non omnium quidem est: quãdo eorum tantum est, qui inter multos habito delectu, ad tãtum munus videantur idonei: quique contemplandi acumine cæteris antecellant. Hæretici porrò eo rem deduxerunt suis quæstionibus, quas vbique seminant: vt magnum fidei nostræ mysterium exigua quædam articula esse videatur.* Hoc est, res leuis & facilis. Id enim semper fuit hæreticorum omnium ingenium, vt scripturas, claras, manifestas, & omnibus apertas dicerent. D. Hieronymus etiã agens de verbis Apostoli, *Videte, quomodo caute ambuletis, Non puto,* ait, *ἰδιότην quempiã, etsi velit ambulare cautè, posse hoc implere præceptum: quia sapientibus, non insipientibus imperatum est. Ex quo intelligimus & præcepta moralia (quæ plerique manifesta arbitrãtur, ex eo quod in 18. psal. dicitur. Mãdatũ Domini lucidũ, illumi-*

at. 33. quæ 1. de Orat.

phes. 5.

illuminans oculos) indigere *prudenti & circumspecta expositione: quia lucidum illud præceptum eorum illuminat oculos, qui insipientia derelicta, sapientiæ studijs se manciparint.*

Cæterum quod attinet ad verba Domini, *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in illis* Ioan. 5.
vitam æternam haberi. Notabis. 1. Vocem *scrutamini*, seu ἐρευνᾶτε duobus modis à veteribus exponi. Priori à B. Irenæo & Cyrillo, Lib. 4. cap. 2.
qui eam faciũt Indicatiui modi: hoc sensu, Vos quidem versamini in scripturis, eaque legitis & scrutamini, totiq; in illis estis, tanquam omnis vestra ab eis penderet salus: & cũ illæ de me loquantur, & de me testificentur, eatamen estis cæcitate, vt in eis me non videatis. Hæc expositio nihil fauet hæreticorum causę, sed eos similes demonstrat Scribis & Pharisæis, eisq; pari ratione obiectari posse, sicut olim à Beato Augustino Donatistis. Vos quotidie sacras literas euolujtis, in ijsque solis vestram salutem consistere arbitramini. Illæ tamen sunt, quę de Ecclesia sponsa Christi matre fidelium, columna & firmamento veritatis, testimonium ferunt, eam tamen vos in illis nec cernitis, nec inuenitis. Cur obsecro? nisi quia obcæcati in eam odio & liuore, sicut Pharisęi odio Christi. Altera expositio est Chrysostomi, Augustini, & aliorum quorundam, vt sit verbum Imperantis, seu exhortantis, hoc sensu: vos quidem scripturas legitis, sed velim eas vos [illegible] scrutari diligentia, hoc est, neque o[illegible] percurrere, neque Epist. 166. lib. de vnitate Eccles.

vestro

vestro eas sensu intelligere, sed ex maiorum vestrorum expositione, veram earum notitiam accipere. Illę enim tunc à vobis deprehendētur de me loqui. Iuxta hanc interpretationem videtur hoc loco à Domino præcepta scripturarum, non tā lectio, quàm inquisitio, non tamen omnibus, sed Scribis & Phariſæis, hoc est, Legisperitis: quorum vni
Luc. 10. dixit Dominus, *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* ad scripturas doctores scripturarum remittens. Ex eo autē colligere, omnibus idē mendari, est sophisma fallaciæ consequentis. Huic simile, Rex mandauit Senatoribus, vt causam Titij iudicēt: Ergo ciuibus omnibus. Hìc enim non additur illud
Marc. 13. Marci, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*: Quia quędam scripturarū mandata non omnibus dantur, neque, vt semper obseruentur. Scrutamur scripturas dūobus modis: *Vno*, vt veritatem inuestigemus: qua inuenta, cessabit scrutinium. Altero, vt spirituali earum gustu reficiamur, atque ad perficienda diuina mandata admoneamur & excitemur. Quo modo dictum est à Domi-
Iosue 1. no Iosue: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Non ait, vt de sensu eius iudices, vt interpreteris: sed vt custodias & facias. *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Nuncius & legatus Dei ad homines, Dei mentē hominibus aperiens.
Malach. 2.

Nota

Notabis 2. Cum B. Chrysostomo, hanc vocem, *putatis*. Non, inquit, habetis, sed putatis habere, vt demonstraret eos sola lectione nihil proficere, nisi fides accedat. Idem in omnes hæreticos conuenit: qui frustra scripturas lectitant, iactitant, cantillant, & nihil nisi Dei verbum cõcrepant, ijsque tanquam in salute gloriantur. At quia sine fide, & extra Ecclesiam, sine claue scientiæ: excident spe sua, & à ciuitate Ierusalem cælesti excludentur. Gestant paginam sine gladio, textum scripturæ sine vero sensu, literam occidentem, non spiritum viuificantem. Hom. 4. in Ioan.

HÆRETICVS.

Nam quod Bellarminus aduersus Scripturarum contemptores ait, *Moyses, Prophetæ, Christus ipse, Ioannes Baptista, Apostoli, vel diuina dogmata ex scripturis ipsi confirmabant, vel certè ad scripturas legendas alios hortabantur, nec vllum vnquam ad interni spiritus iudicium, scripturis neglectis, remiserunt*: id non solùm de singulis, sed etiam de communibus iudiciis, merito dici potest. De ver. Dei. lib. 1. c.

COSTERVS.

Fateor, hęc de omnib⁹ iudicijs dici debere, ne neglectis scripturis sacris, solis reuelationibus, cũ Syvenfeldianis & Libertinis, inhę

inhæreatur. Si enim quæstio moueatur ve de intellectu literarum sacrarũ, vel de mysterijs diuinis, primum omnium cõsulenda sunt sacra Biblia: à quorũ decretis ne latum quidem vnguem est recedendũ, vt quę sint norma fidei nostrę, & orthodoxę doctrinę: ideoq; in Cõcilijs omnibus semper ad manum est Bibliorũ volumẽ, ad quę, tanquam ad regulã, dicta omnia scriptaq; collimantur. Si ex his literis sacris nil certi habetur, veluti de B. Cypriani quæstione, sint ne r baptizãdi ab hęreticis baptizati, & Asianorum, de Paschę festo alijsq; id genus quàm plurimis: neque tum quidẽ recurritur ad reuelationes, sed ad antiquã Ecclesię doctrinã, & ab Apostolis receptam consuetudinẽ. In qua doctrina Spiritus sanctus sic cõscripsit omniũ quęstionũ fidei & religionis veram certamq; resolutionẽ, vt Ecclesiam earũ nihil lateat. Hoc est enim quod de eodẽ Spiritu sancto dixit Christus: *Ipse docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Non igitur existimet quispiã, in Concilijs & Ecclesiasticis decretis noui aliquid cudi, aut nouam fidem excogitari. Nihil adfertur noui, sed inquititur de antiqua fid & doctrina: nec nitũtur reuelationibus incertis, sed dogmatibus certissimis, tot sęculis in Ecclesia cõseruatis, & palam traditis. Quę dogmata si quis priuatus vel Episcop vel doctor ignorat, non tamẽ ignorat Ecclesia in Concilijs congregata: neque ignorat Apostolica Romana Sedes, ad quã tanquam

Ioan. 14.

quam ad matrem, omnibus sæculis (sicut superius audiuimus) grauiores omnes quæstiones religionis deferri solent: & ab ea, tanquam à magistra ex Dei verbo resolui. Legantur sex Decretaliumlibri, cum Clementinis, alijsq; Pontificum rescriptis atque decretis: & (nisi velis in clara luce cæcutire) admiraberis sapientissima, diuinaq; responsa.

HÆRETICVS.

Præterea cũ de vera Christi Ecclesia, vbi nam ea sit, grauissima vigeat dissensio, prius de illa re ex diligenti sacrarũ literarũ examine tanquã fundamento, certi esse debemus, prusquã Ecclesiæ iudiciũ sine errore, aut sine dubitatiõe graui audire possimus.

COSTERVS.

Miserrima sors hęreticorũ! qui post 1600 annos de vera Ecclesia disputãt: hoc est, de recta in Cęlũ via adhuc ambigunt. Necdum viderunt ciuitatem super mõtem positam. Adhuc animis hærẽt, pergant ne in via, quę ducit in gehennam. Miseri errores! cur non insequimini vestigia eorum, quos ex certissimis miraculis, constat omnibus sæculis vixisse, & iam cum Christo regnare? Illam agnoscite Ecclesiam veram, quam ipsi renuerunt. Nam extra Ecclesiam veram nulli paret in salutem aditus. Felix hęreticus, qui à recto declinat itinere, & in triuio hæret Luthe- Matth. 5.

Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum: A ſingulis vocatur, tanquam ad rectam viam: & miſellus homo mauult animi pendere, & anxius aliud iter inquirere, quàm à ſe relictum ſalutariter repetere. Felix conditio noſtra Catholicorum, qui in ſinu matris foue nur, ſecuri quieſcimus, lacte ex eius vberibus nutrimur, doctrina inſtruimur, & aduerſus hoſtes munimur. At quia ex literis ſacris vult Eccleſiæ iudicium: age, eam ex ſcripturis demonſtremus cum Beato Auguſtino, qui ſicut ſponſum Eccleſiæ Chriſtum, ita ſponſam Chriſti Eccleſiam, notis ſcripturæ monſtrat. Illa itaque eſt Eccleſia cui prædictiones Scripturæ conueniunt. Quæ cœpit Hieroſolymis, inde progreſſa in Iudæam, Samariam, & ad vltimos terræ fines occupauit omnia regna mundi: ad quam venerunt omnes Gentes: quæ dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine Iordanis vſque ad terminos orbis terrarum: cui prociderunt Æthiopes, Reges Tharſis & Inſulæ munera obtulerunt, Reges Arabum & Saba dona adduxerunt: quam adorauerunt omnes Reges terræ, & cui omnes Gentes ſeruierunt: denique in qua benedictæ fuerunt, & etiamnum benedicuntur omnes Gentes, iuxta promiſſionem Abrahæ factam: quæ Chriſto viuente in Apoſtolis cœpit, & vſque ad reditum eius ſecurum non deficiet, non vacillabit, non vanabit, nihil in doctri-

lib. 166. ad Donatiſt.

Actor. 1.

Pſal. 71.

Gen. 22.

na

na accepta mutabit, neque Spiritus sancti instructione, vita, directione, præsentiaq; sponsi sui interea vllo momento carebit. Hic cœtus hominum est Ecclesia, notis sacrarum literarum descripta. Dices, hanc esse Lutheranorum, Caluinistarum, aut Anàdaptistarum? At isti noui sunt, & nuper ex ouis suis prodierunt: neque vnquam Prouincias vllas, (ne dicam, vniuersum Orbem) nisi post hæresiarcharum eorum ortum, obtinuerunt. Quinam reges Arabum & Saba, qui Æthiopes, qui Reges Tharsis, Caliuini aut Lutheri dogmata tenuerunt? Historiæ docent, has gentes omnes coluisse Christum, venerata eius passionis loca, Hierosolymam deuotionis ergò peregrinatas, Sanctos inuocasse, eorum reliquias & imagines coluisse, frequentem Missæ sacrificium obtulisse, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum & Christianorum Matrem, magno in honore habuisse: De Lutheri, Caluini, aliorumque Nouantium insania summum silentium, & errorum detestatio. Itaque nostra est sola illa Ecclesia, in qua nihil eorum vidimus prætermissum, quæ à Deo per Patriarchas & Prophetas, postmodum à Christo Apostolis prædicta sunt & promissa. Illa sola omnia loca peruasit: illa sola constans manet, fundata super firmam petram: illa solat imperat regibus, & occupat orbem.

HÆRE

HÆRETICVS.

Propterea vera sacrarum literarum interpretatio, non ab Ecclesiæ iudicio, sed Ecclesiæ iudicium à Scriptura dependet.

COSTERVS.

Notabis tria genera hæreticorũ. Primi, agnoscunt Ecclesiam, sed error eorũ circa scripturæ interpretationem versatur: vt Ariani, Macedoniani, qui scripturas suo ingenio & sententiæ accõmodabant. Secundi nullum ex Scriptura errorem tuentur, sed Ecclesiam non agnoscũt: vt Donatistæ. Illi tum Scripturis, tum Ecclesiæ authoritate conuincebantur: his ex Scripturis Ecclesia Catholica monstrabatur. Tertij, sunt omnium deterrimi, nostri sæculi hæretici: qui & Scripturas deprauant, & Ecclesiam ignorant. His ex Scripturis dicendum. 1. Ecclesiã scriptura antiquiorem, à Deo sacras literas accepisse, nobisq; tot sæculis incorruptas conseruasse & tradidisse. 2. Vt nemo mariti mentem melius nouit vxore, cõscia omniũ secretorum: ita nemo sensum Scripturarum & verborum Dei quàm Ecclesia dilectissima sponsa Christi. 3. Non aliter à Scriptura pendere Ecclesiæ Iudicium, quàm vt certis notis in ea expressis, (vt paulò ante à me factum est) Ecclesia demonstretur.

HÆRETICVS.

Si exceperis, (verã huius temporis Ecclesiam, ex antiquæ Ecclesiæ & orthodoxo-

rum

rum Patrum comparatione, & consensu elucere: eadem manebit difficultas.

COSTERVS.

Cùm Apostolo teste, vnica sit Ecclesia: dico, eandem esse nostram & antiquam Ecclesiam: propter Spiritum sanctum, qui decedentibus singulis hominibus, idem perpetuò hunc cœtum informat, conseruat, & regit. Sicut idem Rhenus perseuerat, defluentibus singulis vndis & guttis. Ephes. 4.

HÆRETICVS.

Nam cum varij ab initio, & magno numero fuerint hæretici: quæritur perpetuò, quibus argumentis orthodoxi Patres, ab hostibus veritatis dignosci possint?

COSTERVS.

Ex constantia fidei, & orthodoxæ doctrinæ, ab Apostolis traditę. Nam qui eam innouarunt, hæretici fuerunt: qui eandem retinuerunt, Catholici. Vt enim nobis nouissimæ sunt rationes, personæ, tempora, & loca nouitatum vestrarum: ita priscis Patribus non fuerunt ignoti authores & tempora, quibus hostes Ecclesiæ nouas hæreses induxerunt. Et sicut nos Catholici sumus, qui vobis deficientibus, Maiorum retinemus fidem: ita orthodoxi Patres cẽsebantur, qui suam fidei doctrinam sine interruptione ad Apostolos deducebant. Semper enim cõtinua successio fuit certissimum argumentum Catholicæ fidei.

HÆRETICVS.

Ac tandem ad sacras literas, veræ religionis canonem, velis nolis, erit recurrendum.

COSTERVS.

Nullam vim experior, quæ me cogat Ecclesiam alia ratione, quàm qua eam superius demonstraui, in sacris literis quærere. Cùm enim ante Scripturã esset: non potuit scripturis, quæ nondum extabant, ostendi.

HÆRETICVS.

Deinde vt de Patribus orthodoxis minimè dubitemus, quum diuersos singuli ferè habuerunt nęuos, & inter se ac secum, non rarò dissenserint: quibus indiciis consensum orthodoxum aliunde rectè, quàm ex certo sacrarum literarum canone, cognoscemus?

COSTERVS.

Sic videris ratiocinari. Singuli ferè Patres suos habuere nęuos: Ergo ex solo scripturarum canone petenda est fidei doctrina. Quicquid sit de Antecedente, negatur consequutio. Tum quia præter hũc canonem, est verbum Dei, in Ecclesiæ corde descriptum: quod næuo caret: tum quia singuli Patres Ecclesiam Catholicam neque efficiunt, neque repræsentant: cui soli promissus & concessus est Spiritus veritatis. Si dicas, Episcopi singuli suos nævos habuerunt: Ergò simul omnes: sophisma erit compositionis & diuisionis. Errauerint, (vt ais) ferè singuli: at non

in

in eodem dogmate, neque simul in Concilio congregati, neque (vt hæretici) cum pertinacia. Auditis aliorum sententiis & rationibus, mutauerunt ipsi sententiam suam. Nemo impugnare conatus est, quod ab vniuersa Ecclesia definitum & seruatũ norat: vel tueri, quod ab ea sciebat damnatum. Itaque eorum errores næui erant, (vt ais) hoc est, plerúmque de rebus minoris momenti: & opiniones, cum debita submissione Ecclesiæ iudicio.

HÆRETICVS.

Occurrant diuersæ apud Patres loci alicuius interpretationes: non Patrum antiquitatem, non numerum spectant, sed rem ipsam ad sacras literas appendentes, diiudicant: & paucorum sententiam plurium iudicio, tanquam sacras literis conuenientiorem, sæpe anteponunt.

COSTERVS.

Concedo: quid inde? Fortè hinc efficere vis, etiam vobis hæreticis pro vestro iudicio licere, ex variis collationibus locorum sacras literas interpretari: & eas vestro sensui accommodare? Sequere sanctorum Patrum morem, & obtinebis. Illi difficilia & obscuriora scripturæ loca sic explicare solent, vt cum alio Dei verbo non pugnarent. Iuxta B. Pauli admonitionem: *Sine Prophetiam secundum [illegible]tionem fidei.* Hoc Rom. 12. est, (ait Diuus Au[illegible] *vt nihil extra fidei regulam loquamur, [illegible]sapiamus.* Itaque si

quam interpretationem videbant, vel alteri scripto verbo aduersari, vel Ecclesiæ traditioni, hoc est verbo Dei exarato in corde Ecclesiæ: ab ea, velut ab hæretica, & noxia, & contra rationem fidei cogitata, abstinebant. Si consentanea erat fidei, hoc est, Dei verbo scripto & tradito: eam ipsi quam commodiorem textui & scripturis iudicabant, cæteris anteferebant: Tu eandem seruato regulam, & hæreses cessabũt. Inde enim errores vestri, cæterorúmque hæreticorum, quod ad solas literas scriptas, non autem etiam ad fidem Ecclesiæ, verbúmque non scriptum (quod nequit corrumpi, vel torqueri) omnia referri vultis. Et cùm (vt rectè dicit B. Hilarius) *de intelligentia sit hæresis, non de Scriptura: & sensus, non sermo fiat crimen:* vos inanimem literam ad impios sensus traducitis, ab omni fide & veritate alienos.

l. de Trinit.

HÆRETICVS.

Bellarminus post Hieronymum & Augustinum ait: *Scripta Patrum non sunt regulæ, nec habent authoritatem obligandi.*

COSTERVS.

Quis vnquam istis contradixit? Fatemur, nullius nos Patris vel scriptis, vel decretis obligari vel cogi: quin literas sacras nobis alio liceat Catholico sensu, quam ipsorũ, interpretari: at hæreticum, & à fide Ecclesiæ alienum, [illegible]minisci intellectum: nunquam licuit, neque licebit.

Hic

Hîc tamen distingue inter singulos Patres, & omnes. Si enim Generalis Concilij decreto, (quod nobis Catholicam Ecclesiam refert) mandetur certa alicuius scripturæ expositio: nulli erit liberum eam reiicere. Veluti, quod Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, de Baptismi necessitate loquantur: &, *Hoc est corpus meũ*, de veritate & reali præsentia corporis Dominici in Eucharistia: item, *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: &, *Pasce oues meas*, de cura pastorali B. Petro, eiúsque successoribus commissa: præterea, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. de vera potestate remittendi peccata, sacerdotibus data: quod scripturæ, quæ simulachra vetant, non de imaginibus Christianorum, sed de Gentilium idolis exponi debeant: itémque quæ B. Paulus de prohibentibus nubere, & quibusuis cibis vesci, non de cœlibatu sacerdotum, & eorum qui castitatis voto obstricti sunt, neque de delectu ciborum, qui ieiunij diebus in Ecclesia indicitur, sed de erroribus veterum hæreticorum, qui nuptias & cibos, Dei creaturas damnabant: denique: *Ego & Pater vnum sumus*, &, *Hi tres vnum sunt*, de consubstantiali vnitate in sanctissima Trinitate, &c. Has enim Sacra Oecumenica Concilia communi Patrum consensu declarant genuinas esse, ab Apostolis per manus sapientũ traditas Scri-

Ioan 3. Matth. 16 Matth. 16 Ioan. 21. Ioan. 20. 1. Timoth. 4 Ioan. 10. 1. Ioan. 5.

pturæ explicationes: quas omnes Christiani suscipere debeant, & retinere.

HÆRETICVS.

Præterea, cum immẽsa sint Orthodoxorum Patrum volumina, & Græco, aut Latino sermone conscripta, &c. quomodo de Patrum omnium consensu cognoscet?

COSTERVS.

Duplicem iubemur sequi consensum Patrum. Vnum, in fide quæstionibus, si quæ extra scripturam moueantur: veluti, sintne septem Ecclesiæ sacramenta, nec plura, nec pauciora? Sintne rebaptizandi, ab hæreticis baptizati? Sitne mulieribus danda sacra Christi corporis communio? Ad hunc consensum inuestigandum, non erit opus Patrum ingentia, & pænè innumera scripta peruoluere: cum eum ex antiqua, & continuata omnium sæculorum & locorum, in quibus Patres vixerunt, & Ecclesiis præfuerunt, successione, & traditione habeamus. Alter consensus cernitur, in Scripturarum interpretatione. De quo Concilium Tridentinum his verbis: *Ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, (cuius est iudicare de vero [illegible] interpretatione scriptura-*

Sess. 4.

rum

rum sanctarum) aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat. Hic notabis. 1. Non vetari nouas & pias explicatones sacrarum literarum, in his rebus, quæ fidem aut doctrinam Christianam non concernunt: veluti, Quæ sint aquæ supra cælos positæ: Quodnam sit firmamentum, quod diuidit aquas ab aquis: Extétne adhuc paradisus terrestris: Quænam sint quatuor illa flumina, quæ ex paradiso in vniuersam terram decurrunt: Quomodo iniquitas viri sit melior, quàm mulier benefaciens, &c. In his, vt Patres variant, ita licet noui aliquid, quod fidei non aduersetur, excogitare. 2. Non prohiberi nouas interpretationes, quæ non pugnant cum sensu Ecclesiæ, aut sanctorum Patrum: tametsi à nullis vel paucis attingantur: veluti, quod Christus discipulis, propter mandatum corporis sui edendi deficientibus: dixit, *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* quis vetat sic intelligere: Scandalizamini, quod præsens iubeam corpus meum edi? quid ergo dicturi estis, quando me absentem esse, & in cælis versari scietis? nonne tunc maius patiemini scandalum, absente in cælis corpore quod manducare iubemini? Hæc interpretatio Catholica est, & fidei nostræ conformis: quæ Christi corpus iam in cælos assumptum, [illegible] terrarum Sacerdotum manibus [illegible] *sapia*, (vt loquitur

Genes. 1.

Eccles. 42.

Ioan. 6.

B. Chrysostomus) & ore Christianorum sumi 3. Ad Patrum consensum inuestigandum, non est necessum omnes eorum libros percurrere. Ad manum sunt commẽtaria scripturarum: ea inspiciat, qui eorum consensum quærit. Cæterùm quia Patrum consensus ab Ecclesiæ consensu pendet, si quis mentem & explicationem Ecclesiæ, nouit, is nihil de Patrum cõsensu dubitet.

HÆRETICVS.

Denique si ad huius temporis Ecclesiæ iudicium, in omnibus rebus dubiis confugiendum est, quomodo id fieri potest? Quũ Ecclesia per orbem diffusa, rarissimè, immò nunquam, ne in generalibus quidem Synodis millesima sui parte conueniat & pauciſsima in Conciliis definiat & declaret.

COSTERVS.

Iam antea dixi, & iterum dico. Si dubia fidei moueantur: veluti, quæ à vobis excitantur, *sitne Christi corpus reuera in Eucharistia?* sintne inuocandi Sancti? sitne imaginibus Christi & Sanctorum exhibendus honor? sitne pro defunctis orandum? cæteriſque rebus, nobis notis, à vobis cõtrouersis inspicienda est Ecclesiæ consuetudo & doctrina. Hæc enim nobis legẽdam proponit Scripturam in corde fidelium, per Spiritum sanctum exaratam. Si de consuetudine dubitatur, propter varias multorum opiniones: vt, [illegible] quæstione baptizatorũ ab hæreti[illegible] onẽt Patres, & canones

nones omnes (vt superiùs vidimus) Apostolicam Beati Petri Sedem consulere, quę ex Christi promissione hactenus semper incorruptam conseruauit, & in finem vsque conseruatura est, Apostolicam fidem & doctrinam, cui nihil vnquam noui affinxi sed integram retinuit. Minatur hæreticus, contraria se mihi ab experientia prolaturum, tractatu de summo Pontifice: quem præstolabor, & interim moneo, vt simul Romanum Pontificem nominet, quo ductore Ecclesia Romana fidei, doctrinæque Christianæ mutationē admisit, & aliter quàm sub eius prædecessore credere cœpit. Cæterùm, ex hæretico isto, qui sacris literis omnia, Ecclesiæ nihil tribuit, libet quærere: Vndenam petiturus sit solutionē quæstionis, quæ à scriptura nō pendet? Quid respondebit Beato Cypriano, ex scriptura probanti, hæreticos rebaptizandos? Quomodo Svvenkfeldium conuincet, negantem scripturas? quomodo Lutherum, reiicientem Epistolam B. Iacobi? quomodo Anabaptistas, qui infantes baptizari nolunt? Fortè producet verba Domini, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*: At hîc nihil habes, nisi perite eos, qui baptizati non fuerint. Quid, si dicam, Infantes perire, tanquam remedij incapaces: sicut, qui in vtero materno moriūtur? Multa eiusmodi adferri possent, quibus scripturarum præsidiū deficeret, nisi in decretalibus Ioan. 3.

bus deciduntur: hæc quomodo resoluent Caluinistę quorũ Ecclesia nõ plus ad certã fidem faciendam potest, quàm iudicium priuati hominis?

CIRCA CAPVT III.

De tertio genere Scripturæ.

HOc tertium Scripturæ diuinæ genus est, cuius veritatẽ Christus suo testimonio confirmat. Sicut literæ Regis ab Amanuensi quidem cõceptæ & scriptæ, sed regio sigillo munitæ. Vt enim istæ Regis mentem cotinent: ita hoc tertium genus mentem & veritatem Dei. Ad hoc pertinent ante omnia generalium Cõciliorum decreta: quibus adesse Spiritum sanctum vel ex eo patet, quod Ecclesiæ Præsules, qui singulis suas Ecclesias, & simul vniuersã Catholicam Ecclesiam repræsentant, ibi conueniant, & de dogmatibus fidei decernant. Ecclesiam porrò non posse admittere errorem in fide, ex scripturis demonstrauimus. Neque refert, adsint ne omnes totius orbis Episcopi, dummodò adsit Caput Ecclesiæ Romanus Pontifex, per se, vel Vicarios suos: sintque omnes vocati, & multi præsentes. Nam etiam politicus Magistratus, licet aliqui desint, refert Ciues: & Ciuitatis nomine conscribit decreta. Horum generalium Conciliorum authoritatem, & [illegible]uetorum infallibilem certitudi

ntudinem, multa scripturarum testi-nia confirmant. Ego præter alia, tria li Christi verba: quibus, ceu sigillis inis, obsignatur huius scripturæ veri-. Primum est, *Qui vos audit, me audit*: o monemur, Prælatorum vocem non ter, atque Christi vocem audire, eiſque em adhibere, non secus, atque Chri-to.

HÆRETICVS.

Hæc promissio non ad Concilium vllũ, ad septuaginta Discipulos facta est.

COSTERVS.

Per 72. Discipulos, qui ad Euangelium nunciandum mittebãtur, facta est Præ-is omnibus. Quorum verbis parendum non solùm quia id Christus præcepit, quia Christi vices gerunt. Audiendi em sunt, quibus in rebus Christum re-sentant: hoc est, Singuli, quando Dei verbum proponunt & docent, nosque ex authoritate regunt: simul verò vniuer-si, quando in Concilio generali de dog-matibus fidei decernũt. Hoc enim ad ipso-rum pertinere officium, docet, 1. Apostolorum exemplum: qui in hunc finem cõuenerunt, & decretum synodicum magna authoritate ediderunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis*: nihil dubij habẽtes, à Spiri- Act. 15.
tu sancto decretum, quidquid ipsi decre-uerant 2. Cõmunis ratio omnium Rerum-publicarũ: in quibus primores vice totius Reip. grauiores causas decidũt. Episcopos esse Ecclesiarum ca[illegible] sapiano in scripturis

& Patribus versatus, negauerit. Eorum est igitur in Synodis generalibus ea tractare, quæ doctrinam & mores Ecclesiæ totius concernunt.

HÆRETICVS.

Deinde non magis ad generale, quàm particulare Concilium, imò quàm ad binos, aut singulos Episcopos pertinet, quandoquidem Christus hanc promissionem non coniunctis solùm hisce discipulis, sed binis dedit.

COSTERVS.

Si binis, aut singulis, in his quæ ipsorum sunt: Ergo multo magis omnibus coniunctis. Si parendum est vni de Magistratu ergo magis vniuerso Magistratui.

HÆRETICVS.

Tertiò, promissio hæc; quatenus hoc loco intelligitur, non fuit absoluta & perpetua: sed temporalia, & ad legationem illam accommodata.

COSTERVS.

Absoluta est, & perpetua iis omnibus, qui in eodem ministerio versantur. *Pro Christo*, (ait Apostol.) *legatione fungor, tanquam Deo exhortante per nos, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Non enim minus datur Episcopis, quorum est regere Ecclesiã Dei, & Orthodoxa fide erudire, sanctísque legibus instruere & munire: quàm septuaginta

2. Cor. 5. Ephes. 6.

Actor. 20.

ginta duobus Discipulis, ad paucas Iudęorum ciuitates pro tempore missis. Nõ minus egent isti: quàm illi. Semper nobis Ecclesię Prælati Christũ referunt, ait B. Ignatius: multò magis simul in Synodo legitimè congregati. Epist. 2.

HÆRETICVS.

Quartò, cum Legatio fuerit singularis, & miraculis obsignata, ineptè omninò sãctio illius ad Ordinarium, & commune Ecclesiæ ministerium extenditur: nisi ex aliis locis idem probari possit.

COSTERVS.

Fuerit singularis & temporaria miraculisque firmata, ex ea tamen affirmamus eos omnes, qui in simili functione Ecclesiæ ministros suscipiunt & audiunt: recipere, & audire Christum, *Accepistis me*, (ait Apostolus) *sicut Christum Iesum*. Quia par est ratio (ne dicam maior) in his atque in illis. Non igitur ineptè extenditur ad Ecclesiæ ministros, qui in functionibus suis personam Christi referunt. Galat. 4.

HÆRETICVS.

Quintò hæc promissio nullam cõtra aut extra sacras literas (quod Pontifici & Cõciliis tribuunt) conficiẽdi decreta facultatem concedit, (tantum abest vt ea omnia stabiliat) sed ad verba à Christo accepta, fideliter proponenda astringit.

COSTE

sapia

COSTERVS.

Pudet ne Doctorem mentiri? Et quis tribuit Concilio vel Pontifici, vt contra sacras literas decreta conficiant? Fateor his Christi verbis authoritatem ipsis fieri extra literas sacras, de fidei dogmatibus decernendi. His enim discipulis nullæ datæ fuerunt à Christo literæ, nullaue scripta: sed verbo tantùm eis commendata. Pari modo Apostolorum successores quando in Synodos conueniunt, nihil contra Scripturas licet nonunquam extra Scriptura nihil tamen extra verbum Dei Ecclesia commendatum, docent vel constituunt. Itaque nulla vnquam noua à Catholicis religio conficitur, sed antiqua fides, & ab Apostolis per manus accepta Christi doctrina declaratur, illustratur, traditur, & contra hæreticos confirmatur.

HÆRETICVS.

Denique cùm Christus ait: *Qui vos audit, me audit*: non de vlla scriptura, sed de prædicatione Euangelij apertissimè loquitur.

COSTERVS.

Admitto, his verbis nullam Scripturarũ, vel Conciliorum mentionem fieri. At hãc promissionem, qua Christus suas vices tũc discipulis commisit, dico, non in solis discipulis istis concludi: sed ad omnes, qui simili Legatione fungũtur, extẽdi. Si enim Christus in illis docebat, & audiebatur, cur nõ etiã in omnibus, qui ex officio per Christũ commissa docent? Ista igitur est generalis

ralis promissio omnibus Prælatis facta, quando pro officio loquuntur: estque generalis doctrina omnibus Christianis data, vt in Prælatis suis Christum agnoscant, suscipiant, & audiant: in singulis quidem Dei verbum proponentem, monentem, docentem: in vniuersis verò simul fidei doctrinam explicantem.

HÆRETICVS.

Itaquequis non animaduertat, quàm turpiter huius loci sententiam peruertas, cum eum ad Conciliorum generalium authoritatem, & tertium scripturæ genus confirmandum detorques?

COSTERVS.

Nulla est detorsio, sed ad mentem Christi explicatio quando eius verba Apostolis dicta, ad eorum posteros & successores in simili causa extendimus. Hoc enim nisi fiat, multæ promissiones & diuina priuilegia Ecclesiæ peribunt. Dicemus, solis Apostolis datam ligandi, soluendi, peccata dimittendi & retinendi potestatem: quia illis solis dictum est. *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, &c.* Et, *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c,* Item illis solis commissum munus prædicandi Euangelij. Deniq;, illis solis datam & cõmissã Eucharistiã, &c. Documẽta Christi generalia fuêre: quędã Apostolorũ & Episcoporũ, qui his succedũt, alia [illegible] norum omnium, vt pro

Matth. 18

Ioan. 20.

vt pro suo quique officio illis vtantur. Notabis porrò ex dictis, candide Lector, in Caluinistarum Synagogis neminem esse vice Christi: nullum, qui pro Christo legatione fungatur, nullum Christi Vicariũ, neminem, qui certo mentem Christi declaret, neminem inquam priuatum, & de omnes quidem simul. Omnes igitur quæstiones insolutæ manebunt, cum nullus sit, qui vel vnam ex authoritate resoluat. Itaq; vnicuique licebit sentire quod sapit, cum quisque suo gustatu, non alieno gustet.

HÆRETICVS.

th.18. Alterum etiam quod producis testimonium, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tãquam ethnicus & publicanus*, non minus alienum est. Nam primum, Ecclesia hoc in loco nõ Concilia generalia denotat, sed eos, qui in Ecclesiis particularibus præsunt.

COSTERVS.

Si is, qui particularem non audit, pro Ethnico habẽdus est, & Publicano: quanto magis, qui vniuersali Ecclesiæ morẽ gerere detrectat? Particularis Ecclesia, seu Prælatus audiendus est in his quæ sui sunt muneris: Ecclesia vniuersalis in suis. Illius est, ad decretorum fidem & obseruantiam monere & cogere: huius, decreta cõficere.

HÆRETICVS.

Huc accedit, quod Christi dictum non agit de decretis vllis, aut aliqua scriptura, sed

sed de Ecclesiastica reprehẽsione, & adhortatione: qua illi, qui in fratres suos iniurij sunt, ad culpæ agnitionẽ & pacẽ Christianã excitantur. Cui adhortationi si obedire contumaces detrectant, Ethnicorum instar habendos esse, Christus docet.

COSTERVS.

Dicam quatuor. *Primum*, Quacunque occasione dicta sint verba Christi, constat generalem & veram esse sententiam, illum instar ethnici & publicani vitandum, qui Ecclesiam audire contempserit. *Secundum*, Ab eo Ecclesiam non audiri, sed contemni, qui generalium Conciliorum decretis, neque credere vult, neque parere: cum illis Ecclesia Catholica repræsentetur. *Tertium*, Non solùm hîc agi de reprehensione eorum, qui fratribus in priuatis negotijs iniurij sunt, sed de grauioribus etiam peccatis. De quibus Beatus Paulus, *Si is, qui frater nominatur, inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Hoc est, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Non enim minus vitandus est fornicator, aut ebriosus, quàm qui proximo iniuriam fecit. *Quartum*, Eos qui noua dogmata comminiscuntur, etiam fratribus Christianis iniurios esse, vt qui Ecclesiam hæresibus scindant, & [illegible] perturbent. Hi igitur, si ab [illegible] moniti, non audiant,

audiant, habendi erunt gentilium idololatrarum loco.

HÆRETICVS.

Ad hæc non absolutè obedientiam Christ ẽ hoc loco exigit, sed quatenus Ecclesia rectè edocta, rectè iudicat. Quia non est obediendum contra præceptum Domini.

COSTERVS.

Fateor, Prælato contra Dei mandatum non esse morem gerendum, *quia obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Cæterùm Christus hîc nõ agit, neque de eo, qui falsò accusatus, criminẽ diffitetur, neq; de eo, cui contra Dei mandatum quippiam iniungitur: sed de eo, qui factum agnoscit, quod tamẽ vel malitia, vel falsa opinione, (quod in eo nullum velit esse crimen) statuit non deserere. Hic ad ecclesiam verè delatus, ab ea rectè de facinore edocta, excommunicationis sententia feriri iubetur. Notabis porrò, Iudicẽ omnem duobus modis rectè doceri. Primò, de veritate facti: quod factum si reus confitetur, satis ille edoctus erit. Secundò, de merito criminis: cuius meriti non est petendum à reo iudicium, sed à legibus, cum Iudici sufficiat Rei confessio. Iubet igitur hoc loco CHRISTVS, vt mandatis Ecclesiæ, (quę omnium Christianorum [illegible] est) pareatur, vbi de crimine

Actor.5.

crimine plenè instructa, reum monuerit. Si quis porrò parere recusat, is anathemate (quod eius est summum supplicium) quauis morte magis metuendum, (vt Beatus Augustinus docet) feriatur, & instar Ethnici vitetur. Non addit porrò Dominus, quid hæreticus monet addendum, *quatenus ipse iudicat*: Hoc enim esset reum cõstituere Iudicis sui, hoc est ecclesiæ Iudicem. Si enim tunc solùm parendum erit, quando tua sententiâ rectè iudicebit, fortè nunquàm parebis: quia crimen tuum, tuo iudicio, nunquàm Iudicis sententiam merebitur. Quod in omnibus reis experimur: qui se queri solent, supra quàm mereantur, puniri. Itaque quando aliquis de vestro grege defertur hæreseos ad Ecclesiam, non exigitur ab eo, vt se dicat hæreticum, id enim inficiabitur, volens more vestro Orthodoxus dici: sed, num adorare velit Eucharistiam, & in ea an Christi Domini corpus agnoscat, an Sanctos censeat inuocandos, imagines Christi & Sanctorum colendas, pro defunctis orandum, aliaque id genus, quę Nouatores nuper controuertere cœperunt. Si recuserit iam ab Ecclesia pronunciatur hęreticus, & iuxta diuinas leges, hæreticorum pœnis damnatur. Cuius Ecclesiæ iudicio obtemperandum est, quia semper iustissimo & rectissimo, propter præsentiam Christi, qui post prædicta verba adiecit: QUIBUS *tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Particularia

s. contra aduersari legis & p phet. cap.

laria Concilia in Christi nomine conue niunt, quando priuatas causas decidunt: ge neralia autem Concilia, quando de com munibus totius Ecclesiæ negotijs tractant. Vtrisque adest Christus, quando quod sui muneris est, sincerè proficere medita ntur & statuunt.

HÆRETICVS.

Matth. 18. Grauiter etiam ait Hieronymus: *Quodcun que ligaueris super terram, &c. Istum locum E piscopi & Presbyteri non intelligẽtes, aliquid si de Phariſæorum assumunt supercilio, vt vel dam nent innocentes, vel soluere se noxios arbitrẽtur: cum apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.*

COSTERVS.

Nihil hic audio de legitimorum Conciliorum decretis, vel eorum iudicijs, qui in Christi nomine conuenerunt. Si priuati aliqui Episcopi, vel Sacerdotes sibi tale quid superbè arrogent, vel illegitimæ Synodi innoxium damnẽt, sicut Arianorum, quæ apud Tyrum conuenit contra Christi nomen, aduersus S. Athanasium, & Constantinopolitana Theophili, aduersus Beatum Ioannem Chrysostomum: nihil præiudicatur sententiæ Christi, qui legitimarum Synodorum, seu Generalium, seu Prouintialium iudicia a[illegible] vult, & obseruari. Vt potè quę in Ch[illegible] homine conuenientes, nihil

nihil quicquàm contra fidei dogmata, vel Christianos mores vnquàm decernent.

HÆRETICVS.

Denique cum hic non agatur, nisi de iudicijs facti, in quibus Concilia posse errare non dubium est: sequitur omninò, nullum hîc sacræ scripturæ genus, aut absolutam obedientiæ normam posse stabiliri.

COSTERVS.

Non agitur de facto, sed de iure, quando constat factum. Non enim mandatur Ecclesiæ, vt, sine frater læsu inquirat & iudicet: sed vt, quid mereatur, quem constat fratrẽ læsisse, & resipiscere nolle decernat. Non iudicat Ecclesia; quod S. Eucharistiam blasphemaueris, aut Sanctorum imagines confregeris, quæ facti sunt, & ex falsis testibus errorem admittunt: sed, quando tua confessione hæc à te patrata cognoscit, hæreseos te damnat, & pœnis adiudicat, hæreticis à iure decretis.

HÆRETICVS.

Atque eadem est tertij testimonij ratio: Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi.* Nam Christus hoc loco non agit propriè de Concilijs, nec potius de generalib⁹, quàm prouincialibus: sed de Apostolis singulis, & eorum ministerio, successoribus, & fidelibus, seruatis tamen donorum gradibus & mensura.

COSTERVS.

Verba hæc à Christo [illegible] sunt, cùm vni-

uersæ

uersæ Ecclesiæ, tum maximè Apostolis, eorumque successoribus, vt clarè apud Euangelistam Matthæum liquet: qui asserit, vndecim discipulos in Galilæam abijsse in montem à Domino constitutum, illisque his verbis ab eo mandatum, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis.* Quibus verbis tria præcipit. Primò, Docere omnes Gentes fidei dogmata. Secundò, Sacramenta credentibus administrare. Tertiò, In doctrina Christianorum morum eos instruere. Tum addit: *Et ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quo significare voluit. Primò, Se illis in prædictis ministerijs adfuturũ: nempè, docentibus quæ fidei & morum sunt, & Sacramenta ministrantibus. Vt sicut ipse, per ora & actiones ipsorum, Sacramenta confert (ipse enim est qui baptizat, vt rectè notat Beatus Augustinus, & qui cætera sacramenta tribuit:) ita ipsi eius in fidelium doctrina & gubernatione, vices gerant. Secundò, Hæc non Apostolorum personis solis promitti: sed successoribus quoque, vsque ad sæculi consummationem. Vnde liquidò constare potest, Christum, qui Sacramentis nostris adest, adesse etiam Episcopis Apostolorum successoribus doctrinam fidei proponentibus: singulis quidem, dum pro officio concionantur, & ab Apostolis accepta tradunt: vniuersis

Tract. 6. in Ioan.

is vero simul in Synodo coactis, dum pro officio etiam illi suo, de fidei dogmatibus, & sacrarum literarum genuina interpretatione decernunt. Hinc manifestè sequitur Primò, Christum nunquam à Conciliis legitime congregatis & approbati, vel abesse, vel abfuisse. Secundò, Concilia eiusmodi nullo vnquam tempore vel errorem decreuisse, vel errare potuisse. Tertiò, Insignem esse in Christum blasphemiam hæreticorum, qui turpissimos & abominandos Idololatriæ tot sæculorum errores, non dico Episcopis solis, (quibus præcipuè hæc promissio facta est) sed vniuersæ Ecclesiæ impingunt. Si enim cum Successoribus Apostolorum (qui, omnium veterum consensu, semper fuerunt Episcopi,) vsque ad consummationem sæculi adfuit Christus, seu priuatim singulis, seu vniuersis in Concilijs: cur permisit Synodicis decretis mandari, Eucharistiæ adorationem, cultum imaginum, inuocationem Sanctorum, Missæ sacrificium, & alia id genus, omni Gentilium idololatria (si Caluinistæ rectè docent) fœdiora, & magis horrenda? Quid enim horribilius, & magis detestandum, quàm frusto panis diuinos honores tribuere? Vbi erat Christus, quando hæc ante 800. annos decernebant Episcoporum Synodi: & etiamnum tot sæculis, magno consensu retinet per vniuersum orbem Catholica Ecclesia? Profectò tanto tempore nulli fuerunt successores Apostolorum

vt cum

vt cum illis esse nequiuerit Dominus, iuxta initam sanctionem: vel splendidè mentitus est, qui non steterit promissis. Atqui dicens, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad cõsummationẽ seculi*, clarè significat, Apostolicos viros semper futuros seq; illis non defuturum docentibus, baptizantibus, Apostolicaque munia administrantibus. Hæc est Catholica doctrina, quam patres ab hæretico producti suis verbis confirmant.

HÆRETICVS.

Ex his omnibus apparet, Conciliorum decreta non esse inter canonicas scripturas numeranda.

COSTERVS.

Videris mihi Andabatarum more pugnare, & quasi clausis oculis, quid impugnes, nescire. Ego asserui, legitimorum Conciliorum decreta, propter Spiritum veritatis, qui Patribus in Synodo assistit, nihil falsi continere, & ad tertium diuinæ scripturæ genus, quod neque manu Principis exaratum est, neque ab eo dictatum, sed ab alio scriptum, à Principe tamẽ approbatum, pertinere: tu concludis, non esse inter canonicas scripturas numeranda. Et quis hac de re dubitat? Canonicæ scripturæ à Spiritu sancto dictatæ fuerũt, & ab Apostolis scriptæ: decreta à Synodis episcoporum, ipsorum verbis scribuntur, sed diuina in eis veritas retinetur.

DE

DE CAPITE IV.

De Conciliorum authoritate.

QVæ de indubitata veritate decretorum Synodicorum superius dixi, celebrimáq; illa toties à B. Gregorio aliisque Patribus repetita sententia confirmari, *sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Quintum quoque Concilium pariter veneror.* Et sicut eam ante B. Gregorium Constantinopoli, in publica concione protulit, anno Domini 511. sanctissimus Cœnobiarcha Theodosius, (vt de eo post Cyrillum recitat Nicephorus.) *si quis quatuor sanctas Synodos non tanti esse existimat, quanti quatuor Euangelia, sit anathema.* Relata est hæc sententia inter sacros Canones. Vbi non dissimilia habet B. Papa Gelasius, in Concilio 70. Episcoporum Romæ, anno 494. celebrato, his verbis: *Sancta Romana Ecclesia post illas veteris Testamenti & noui Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet: sanctam Synodum Nicænam 318. Patrum, sanctam Synodum Constantinopolitanam, sanctam Synodum Ephesinam, sanctam Synodum Chalcedonensem. Sed & si quæ sunt alia Concilia, à sanctis Patribus hactenus instituta, post illorum quatuor authoritatem, & ea suscipienda & recipienda [illegible] & mandamus.*

Regist. lib. 1 epist. 24. lib. 2. cap. 49. l. 3. epist. 33 l. 5. cap. 102

In vita eius 15. Ianuar. l. 16. cap. 33. Distinct. 15. sicut sancti.

Ibidem cap. sancta Roma

enunciat. ost trans- ncm.

damus. Et Innocentius 3. *Quatuor principalia Concilia, ſicut quatuor Euangelia, Eccleſia Catholica veneratur*. Hæc diſplicent hæreticoꝛ: proinde ait.

HÆRETICVS.

Quod verò illud, omiſſo verbo Dei, humanis Gregorij & Theodoſij teſtimonijs, probare niteris: doctrinæ veſtræ infirmitatem apertè probas.

COSTERVS.

Necdum celebratæ erant quatuor primæ Synodi, cum ederetur diuina ſcriptura, ideoque de his nihil referre poterat aliud, quàm quod in Apoſtolorum Concilio decreuit: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, hoc eſt, Spiritum veritatis ſanctum, in Patribus & cum Patribus decernere. Itaque doctrina noſtra infirma non eſt, quæ toꝛ ſæculis obtinuit, & hæreticorum capita contriuit, innixa ſcripturis diuinis.

Actor. 15.

HÆRETICVS.

Quamobrem ab humanis literis ad diuinas prouocamus.

COSTERVS.

Accepto: Docendum itaque tibi erit ex literis diuinis, Concilia generalia legitimè confirmata, aliquid vel à veritate alienum decreuiſſe, vel decernere potuiſſe, & præſentia Chriſti, Spiritúque veritatis aliquando caruiſſe. Expecta, Lector, has, ad quas prouocat, literas diuinas.

HÆRE

HÆRETICVS.

Aliæ quippe (vt ait Augustinus) *non habent ad has res vllum pondus authoritatis.* l. 3 23. co Faust. cap.

COSTERVS.

B. Augustinus aduersus Faustum Manichæum agens, qui, ex quibusdam hæreticorum fabulis, B. Virginem ex semine Dauidis ortã esse negabat, sic ait: *Quisquis dicit MARIAM ad consanguinitatem Dauid non pertinuisse: manifestum est, quod istarũ Scripturarum tam excellenti authoritati obluctetur. Ipse ergo conuincat non eam pertinuisse ad semen Dauid. Et hoc ostendat, non ex quibuscunque literis, sed Ecclesiasticis, canonicis, Catholicis. Aliæ quippe apud nos non habẽt ad has res vllum pondus authoritatis. Ipsæ sunt enim, quas recipit & tenet Ecclesia, toto orbe diffusa: quæ per illas est etiam prophetata, & quemadmodum promissa, sic reddita.* Hîc nihil aliud audio, quam illum sacris literis obluctari, qui virginem Dei Matrẽ ex Dauidis cõsanguinitate descẽdisse negat: quod illæ disertè affirmant, atque aduersus eas nullis esse aliis scriptis pugnandum, quàm aliis scripturarum locis quæ negent, quod ab eo allatæ afferere videantur. Nihil hîc de Conciliorum decretis, aut de fide illis deroganda. Nos enim non negamus omnem fidẽ sacris literis habendam: eamq; cæteris omnibus externis scriptis anteferendam, seu doctorum libris, seu Conciliorum decretis: sed simul conuinc[illegible] Spiritum san-

ctum, qui Conciliis adest & præsidet, sic Patrum sententias semper moderari, vt nihil à veritate alienum doceant aut definiant. Hoc tibi impugnandum est, si quid contra me velis. Quantum B. Augustinus Conciliis generalibus tribuat, passim in eius operibus apparet. Ait, eorum esse in Ecclesia saluberrimam authoritatem: imò supremum Ecclesiæ iudicium & tribunal: à quo dissentire, pernicioſum sit: B. Cypriano de baptismo hæreticorum errorem hoc solo nomine excusari, quod necdum hinc generali Concilio, contraria doctrina fuisset definita. Si Concilium generale est supremus Iudex, si eius decretis contraire pernicioſum est, & hæreticum: sanè confitendum est, non nisi ex spiritu veritatis in eo quicquam decerni, & nihil falsi ab eo proponi.

t. 118.
t. 162
.2. contra
t. Parmen.
13.
.7. co t.a
mat. ca. 53.
.1. ibi. c. 18

HÆRETICVS.

Nec parentum, nec Maiorum error sequendus est: sed authoritas scripturarum & Dei docentis imperium, vt rectè monuit Hieronymus.

n Ierem. 9.

COSTERVS.

Agnosco: sed quid inde efficies? Fortassis sic concludere vis: Maiorum error sequẽdus non est, sed authoritas Scripturarũ: Ergo Conciliorum decreta scatẽt mẽdaciis. At quænam est ista tam exotica cõsequentia? Fortè assumis pro comperto, quod probandum erat. Conciliorũ decreta cõtinere errorem, & petitionis principij?

pij? Eia doctor hæretice, disce peritius argumentari.

HÆRETICVS.

Qui Hieronymus propterea Heluidio Patrum testimonia obiectanti, piè respondit: Nugas ferimus, & sõre veritatis omisso, opinionum riuulos consectamur. Contra Heluid. cap.

COSTERVS.

Non carpit Heluidium, quòd Patrum testimonia proferret: aut Concilij generalis decretum, (cuius nulla mentio) aut vnanimem Patrum consensum: quẽ ipsemet producit, vt, Ignatij, Polycarpi, Irenæi, ultimi martyris, &c. sed quod omissis scripturis, quæ Dei Matris perpetuã virginitatẽ cõmendant, duos adduxerit, Tertullianum hæreticum, & Victorinum Pictauensem Episcopum, qui nihil alienum à scriptura locutus sit. Inepta est consequutio: Scripturis agendum est: Ergò Concilia generalia nullam faciunt certam fidem. Nam vtrisque est veritas confirmanda: illis, vt à Spiritu sancto dictatis: istis, vt ab eodem spiritu veritatis, in veritate conseruatis.

HÆRETICVS.

Quare, si quid Gregorij & Theodosij testimonium valere cupis, illud prius ex sacrarum literarũ fontibus probari oportet.

COSTERVS.

Cùm paulò ante ab humanis ad diuinas literas prouocarem, expectabã scripturarum aliquot testimonia: quæ B. Gregorij & Theo-

& Theodosij sententiam falsitatis arguerent: at nihil ex sacris literis hactenus produxisti. Impugna eam scripturis: quam (vt aiebat superius Innocentius) Ecclesia Catholica suscepit: Ego eam veneror: tum quia tantorum Patrum est, tum quia tot seculis confirmata, tum quia nullis sacris literis aduersa, tum quia cæterorum Patrum scriptis conformis: qui vnanimi consensu iubent eorum nihil innouari, aut in dubium vocari, quæ à Concilijs præcedentibus definita fuerunt: quin potius anathemate eos feriunt, qui id moliuntur. Vide de his *a* Athanasium, *b* Damasum, *c* Hilarium, *d* Leonem, *e* Gelasium, *f* Symmachum, *g* Hormisdã: adeóq; *h* Valentiniani & Martiani Imperatorum edictum, *Iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac recte dispositæ rei voluere & publicè disputare cõtendit.* In Chalcedonẽsi Synodo sic est in retractatores à Patribus clamatum: *Si quis retractat, anathema sit: Maledictus, qui addit: maledictus, qui aufert: maledictus, qui innouat.* Denique prædictam B. Gregorij sententiam amplector, tanquam à sacris literis confirmatã. Quid enim est *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem:* &, *manebit vobiscum in æternum:* & *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi:* quàm, Ecclesiam Catholicám, quãdo Rectores eius in Synodis coëunt, eamq; repræsentant, Spiritus veritatis præsentia [illegible] ab eóque, ne cum veritate

a Apologet. 2.
b Epistol. ad Episc. Carthag.
c Constantium.
d Epist. 78.
e Epist. Episcopis Dardaniæ.
f Ad Clerum Dardaniæ.
g Ad Epiphanium.
h Actione 3. Synod. Chalcedonens. can. 14. tit. 28.

tate pugnent, cõseruari: sed Apostolorum more, verè dicere posse, *Visum est Spiritui sancto & nobis?* Act. 15.

HÆRETICVS.

Verba illa Gregorij, & Theodosij, quæ obiectas, generatim accepta: non solùm à nobis, sed etiam à Iesuitis doctioribus, vt Bellarmino, refutantur.

COSTERVS.

Etiam hîc mentitur doctor hæreticus. Nihil enim ait aliud Bellarminus, quam in iis verbis vocula m, *sicut*, sonare similitudinẽ, non æqualitatem: vt Matt. 5. *Estote perfecti, sicut pater vester cæleſtis perfectus est.* Vel, si æqualitatem sonet, nõ comparari à Gregorio Concilia cum Euangeliis in omnibus, sed tantùm in ipsa certitudine eorum, quæ in Scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur. Cum enim vtraque sint infallibilis veritatis, æquè certa dici possunt. Quid aliud in meis scriptis vides?

HÆRETICVS.

Non absolutè de omnibus omnium Cõciliorum decretis loquuntur, (*Gregorius & Theodosius*) sed de certis tantùm: iis videlicet, quæ ad sacrarum literarum normam, contra Arij, Macedonij, Nestorij, & Eutychetis errores, quatuor illis Conciliis definita sunt.

COSTERVS.

In primis de omnibus loquũtur Cõciliis Oecumenicis. Theodosius quidẽ nominat quatuor, quæ vsque ad eius tempus celebrata fuerant: B. Gregorius, qui ipso posterior, adiecit quintũ, quod ante eius Pontifica-

tum Constãtinopoli habitum erat. Damasus porrò, vtroque senior, mandat generatim omnia legitima Concilia recipi & obseruari. Deinde non de quibusdam tantùm, sed de omnibus omnino decretis ab Apostolica Sede approbatis, agunt: quia nullum est prorsus eiusmodi, quod cum sacris literis aliqua ratione pugnet.

HÆRETICVS.

Quartum Concilium, nimirum Chalcedonense adeò errasse scribit Gregorius vt Leoni Romano tribuerit vniuersalis Episcopi titulum: quem titulum, prophanum ac scelestum, fideique pernitiosum appellat.

COSTERVS.

Iterũ mentitur doctor hæreticus, à Gregorio scriptum, *Chalcedonense Concilium adeò errasse, vt Leoni Romano tribuerit vniuersalis Episcopi titulum.* Nullam enim erroris, sed mentionem Sic autẽ scribit Mauritio Augusto: *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura cõmissa est. Ipsi quippe dicitur, Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur, Rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Ipsi dicitur, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã, &c. Ecce claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi & soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur: & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Et postea.

lib. 5. Epist.

Certè

Certè pro Beati Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit: ne, dum priuatim aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Iterum ad Patriarchas Alexandrinum & Antiochenũ: *Sicut veneranda vestra sanctitas nouit, mihi per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ (cui, Deo disponente deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est: sed nullus vnquam Decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Similia videas epistola ad ipsummet Ioannem Constantinopolitanum: qui sibi hoc nomen, vniuersalis Episcopi arrogabat. In his B. Gregor. verbis notabis. 1. Beatum Petrum Apostolorum principem nominari. 2. Eidem totius Ecclesiæ curam & principatum à Domino committi. 3. Verba Christi, *Pasce oues meas, Ego rogaui pro te,* &c. &, *Tu es Petrus*, &c. de hoc Beati Petri principatu intelligi debere 4. Cunctis Euangelium scientibus idipsum liquere. (Ignorant igitur Caluinistæ Euangelium, quibus idipsum non liquet.) 5. Sanctam & venerandam Synodum Chalcedonensem non en *vniuersalis Episcopi*, Romano Pontifici obtulisse. Non ait, in eo errasse: quia, vt sancta & venerandæ, obtulit. Vbi est error, ibi nec sancta vel venerandæ

Lib. 4. epi.

Lib. 4. epi.

randa Synodus, sed erroneum Cõciliabulum. 6. Ab hac Synodo oblatum: vna nimirum de quatuor primariis, quibus non minorem, quàm quatuor Euangeliis vult fidem haberi. 7. Oblatum pro honore Beati Petri, Principis Apostolorum: nimirum, vt hoc nomine testarentur, Romano Pontifici totius Ecclesiæ curam incumbere. Non enim ignorabant, antiquissimos Pontifices, & Martyres, nomine Episcopi vniuersalis Ecclesiæ vsos fuisse: Sixtum primum, qui anno Domini 130. septimus B. Petro sedit, epistola ad omnes Episcopos Victorem, qui anno 196. decimus quartus ab eodem epistola ad Theophylũ Patriarcham Alexandrinum, Pontianum, qui anno Domini 224. decimus octauus, epistola ad omnes fideles, Stephanum, qui anno 257. vigesimus tertius, epistola ad omnes Episcopos: vt posteriores omittam. Sanè Beatus Athanasius, cum Coepiscopis suis, sic scribit Marco Pontifici: *Domino sãcto, sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ*: quod non latebat Patres Chalcedonenses. 8. Neminem prædecessorum suorum hoc titulo vniuersalis Episcopi aliquando vsum: non ait, à quoquam reprehensum illud sacrum Concilium: sed, licet à tanto Concilio oblatum fuerit, eo tamen neminem vti voluisse. 9. Vocari titulum prophanum: non eo sensu, quo illum intellexit sanctum Concilium, nempe pro vniuersalis Ecclesiæ Episcopo, aut

quo

quo Orthodoxi Episcopi nominãtur Episcopi catholici, ad hęreticorum distinctionem: sed eo sensu, quem Ioannes Constantinopolitanus in mẽte habuisse videbatur. Nõ enim volebat dici Episcop⁹ Catholich⁹, id est, non hæreticus, quod nomẽ conuenit omnibus orthodoxis Præsulibus: ipse autẽ peculiare aliquid, propter vrbis Imperialis dignitatem meditabatur: neque audebat sibi arrogare nomẽ Episcopi Ecclesiæ catholicæ, quod non ignorabat deberi Sedi Romanæ Beati Petri. Assumpsit igitur nomen Episcopi vniuersalis, quasi hoc nomine ita sibi omnes Orientales Episcopos subiiciens, tanquàm solus ipse esset Episcopus Orientis, cæteríque omnes vicarij eius. Hoc impugnat Beatus Gregorius, cum ait: *Quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et ad Ioannem: *Nullus sibi hoc temerariũ nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus derogasse videretur.* Li. 4. Epist. Non enim quisquam Episcoporum, ne Romanus quidem Pontifex, est instar Regis, qui solus dominatur, cæteríque Regni præfecti eius vices gerunt: sed, sicut Imperator vniuerso præest Imperio ita curans omnia, vt singulis tamen partibus sui sint veri Reges, Duces, Comites, aliique principes: ita Romano Pontifici totius Ecclesiæ cura incũbit & administratio, vt singulis tamen singularum Ecclesiarum præsulibus veri sint Episcopi

scopi, & Ecclesiæ suæ quisque sponsus, & Rector in solidum, vt B. Cyprianus loquitur.

HÆRETICVS.

Præterea, si idē cum sanctis Dei Euangelij, Conciliorū illorūdecreta haberent pō-dus, catechumeni lapsi tres annos à communibus Ecclesiæ precibus essent excludendi. Nec die dominica, nec in pentecoste genua, ad Deum orandum, vlli fideliū essent inflectenda: ex Concilij Nicæni decretis: quæ tamen, vt alia multa, communi vsu abrogastis.

COSTERVS.

Non hic quæritur, sintne semper inuiolabiliter obseruanda, quæ ad bonos mores Ecclesia, aut generalis Synodus quandoque statuit: sed possitne errare, aut aliquando errauerit Concilium, in his quæ de fide, aut moribus decernit: hoc est, an aliquid posuerit fide credendum, quod ad fidem non pertinebat? aut falsum dixerit verum, vel bonum malum, aut malum bonum? Multa: pro temporum diuersitate, & mutatis hominum moribus variantur: non solùm ex Conciliorū canonibus, sed etiam ex sacrarum literarum decretis salua vtrorumq; veritate & authoritate. Quia quod initio bonum, est, & vtile, mutatis rerum & personarum circumstantiis, desinit esse eiusmodi. Apostoli indixerunt abstinentiā

Actor. 15.

à con

à contaminationibus simulacrorũ, & suffocatis, & sanguine? quis est modo, (vt ait Beatus Augustinus) *qui non edat tardum aut lepus, & lũ*, sine sanguinis effusione occisum? quis non farcimina, sanguine plena? Beatus Paulus vult in Collegium viduarum eas tantùm assumi, quæ explerunt sexagesimum ætatis annum: vbi seruatur? Si Scripturam imitemur, non erit dominica cœna, nisi vespere sumenda: & non nisi à viris; nam mulierum nulla vsquam mentio. Itaque quæ pro illo tempore, piè à sancta Synodo Nicæna constituta fuerunt, & ab Apost. decreta: temporis decursu, pro hominũ varietate eadẽ pietate variari potuerunt. Quæ enim in prioribus Conciliis fuit decernendi potestas, eadẽ est in posterioribus, authoritate eiusdem sancti spiritus, qui omnes sacras Synodos Christi promissione gubernat. Adferre debebas decretum prioris Concilij à posteriore aliquo errori conuictum. Quod de inflectendis genibus ais hoc etiamnum in solennibus precibus obseruatur in Romana Ecclesia: non quidem à populo, sed à Clero: qui neque dominicis diebus, neque à Paschate ad Octouas pẽtecostes genua flectit: sicut hoc decretum renouarunt ante annos 400. Alexander III. & nostro tempore Clemens VIII.

Lib 13. cõtra Faust. c. 1. 1. Timoth.

De ritu 6. Quoniam.

HÆRETICVS.

Deinde non solùm superbè, sed etiam impiè fecissent Legati Pontificis, & ipse Leo: quod [illegible] Concilij decreto

per

pertinaciùs reluctati fuerunt. In qua tamen re, sanctè eos feciſſe vulgò iudicatis.

COSTERVS.

Cuinam decreto Concilij Chalcedonẽſis reluctati fuerunt Romani Pontificis Legati? & ipſemet Leo? Ignoras, ſine capite nullum eſſe generale Concilium? Si ergo caput diſſentit, nulla eſt decreti authoritas: immò neque cenſendum eſt decretum Concilij. Vis fortè inter decreta huius Concilij, ambitioſum conatum referre Anatholij Patriarchæ Conſtantinopolitani? qui pridie calend. Nouemb. ſoluta Seſſione 12. abſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Orientales Epiſcopos ſubdolè detinuit, eosque induxit, vt Conſtantinopolitanæ Sedi primum, poſt Romanã Sedem, attribuerent locum, eamque Alexandrinæ & Antiochenæ anteferrent: ſed poſtridie re cognita, Legati reclamarũt, & deſtati ſunt Græcorũ arrogantem factum. Sed iſtud quid ad rem? Non errauit concilium, iam ſeſſione ſoluta, & capite abſente: ſed Græculi ambitioſi inuſſerunt ſibi ſuperbiæ notam.

HÆRETICVS.

Denique hoc certum eſt, nec Leonem, nec Legatos illius, parem Concilij & Euangelij veritatem (quam tu definis) agnouiſſe: alioqui non tã apertè ſe oppoſuiſſent.

COSTERVS.

Cur tu addis, *quam tu definis*? cùm non ego, ſed ante [illegible] annos, B. Gregorius

ita

ita sit locutus, & ante illum 50. annis Theodosius Cœnobita, cum applausu omnium catholicorum: (sicut superius docui) & prædecessores posteriqúe eorum idem censuerunt? Denique hoc certum est, nec Leonem, nec Legatos illius vnquam vel asseruisse, vel putasse, Spiritum veritatis à Cõcilio legitimè considente, & à capite suo approbato, abfuisse: qui potius quæ in eo decreta fuerunt, præsentibus & posteris obseruanda tradidisse. Quare sic Vigilius ad Imperatorem Iustinianum: *sancta Chalcedonensis Synodus, cuius magna & inconcussa est firmitas, perpetua & veneranda: sicut Nicæna, Constantinopolitana, atque Ephesina prima habent: suam teneat firmitatem. Anathematizamus & eum quoque, quicumque sanctam Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, atque Chalcedonensem, sanctissimas Synodos in vna & immaculata fide, Apostolu consonantes, & ab Apostolicæ sedis Præsulibus roborata, nõ & fideliter sequitur, & æqualiter veneratur: vel qui ea quæ in ipsis sanctis Conciliis, quæ præfati sumus, gesta sũt, vult quasi prauè dicta corrigere, aut vult imperfecta supplere.* Quod de B. Leonis & Legatorum eius oppositione obiicis, dicam tria. *Primum*, Quod ipsi carpunt, gestum non fuisse in Synodo: sed soluta sessione ab Anatholio cum Episcopis Græcis: sicut admonui superius. *Secũdũ*, Tametsi Patres id oẽs decreuissent, nõ potuisse tamẽ appellari decretũ Co[illegible]ii, quãdo caput

Con

Concilij, Romanus Pontifex reclamauit. Nullum enim agnoscimus Cõcilium legitimum, quod non fuerit (iuxta Apostolicã traditionem, & antiquos canones) ab Apostolica sede conuocatum & confirmatum. *Tertium*, Rem illam, cui tantopere reluctatus est S. Leo Pontifex, neque ad fidem pertinuisse, neque ad dogmata morum: sed solum ad præsidentiam Episcopi Constantinopolitani ante cæteros Patriarchas. Cui nouitati reclamauit Pontifex, ne quid cæteris Patriarchis decederet: quorum honorem tueri debebat Apostolica Sedes. Qui patriarchæ, vt postea visi fuerunt Cõstantinopolitano hanc prælationis dignitatem deferre, non amplius restitere Pontifices summi. Itaque in quinta, sexta, septima, & sequentibus generalibus Conciliis, secundam sedem obtinuit Patriarcha Constantinopolitanus, tertiam Alexandrinus, quartam Antiochenus: sicut in subscriptionibus patet, & sicut postmodũ Synodus Lateranensis sub Innocentio 3. decreuit.

Cap. 5.

HÆRETICVS.

Atque idem etiam iusta Leonis sollicitudo confirmat. Nam quemadmodum Concilium Ephesinum secundum, quod sanctam Synodum initio appellaret, postea euentu comperto, *non posse vocari Cõcilium, quod in euersionem fidei fuerit agitatum*, asseruit.

Epist. 14. ad Conc. Ephes.

Epist. 43. ad Marcianum.

COSTERVS.

Quæstio non est, Possintne in Concilio Episcopi tumultuari & insolescere, atq; vim aliis

alijs inferre: sed, Possitne Concilium legitimè conuocatum, & à Sede Apostolica approbatum errorem decernere? Fateor, Cõcilium illud Ephesinum rectè quidem coactum, & præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, episcoporũ numero constitisse: sed, (vt postea in Chalcedonensi Synodo quæsi fuere Patres) Dioscorus Alexandrinus hæreticus, Imperatoris iussu contra Canones & veterem morẽ, præsedit: qui Romani Pontificis literas nunquam vel legi, vel videri permisit: Legatis reclamantibus silentium imposuit, deniq; omnia per vim egit. Hanc Synodum damnauit, & non confirmauit Romanus Põtifex. Qua ex re Pontificis Romani authoritas quãta semper fuerit apud Catholicos, apertè demõstratur: nempe, sine cuius approbatione nullius Cõcilij decreta firmitatem vel vim haberent, eoque confirmante sine indulgentiæ fidei. Vide quid ea de re scripserit Nicolaus I. quem postea, tanquam causæ tuę patronum, ita nominat enim hoc Cõcilium Ephesinum latrocinium. Epist. ad Michael. Imper.

HÆRETICVS.

Sic, postquam iam indictum esset Chalcedonense Cõcilium vniuersale, metuens ne & illud in de re is suis à vero aberraret, sic imperatorem alloquitur: *Obsecro, vt in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri, ab Apostolis sibi traditam, prædicarunt non patiamini quasi dubiam retractari: & quæ olim à Maiorum sunt authoritate firmata, reuinis-*

non

non permittatis conatibus excitari.

COSTERVS.

Non metuit, ne in decretis suis Concilium aberret, sed ne, (vt in Ephesino) vis aliqua Catholicis Episcopis ab aduersarijs inferretur. Sciebat non defuturam sancti Spiritus veritatis promissam præsentiam, quando omnia legitimè perficiuntur.

HÆRETICVS.

Ex quibus apparet, Leonē Papam statuisse, primum, Concilia generalia non esse certam veritatis normam: sed contra veritatem fidei, esse sanctorum Conciliorum generalium certam regulam: deinde Concilia generalia errare posse, & interdum errasse.

COSTERVS.

Quænam est ista consequentia: Leo Papa obsecrat Imperatorem, ne per vim & insolentiam Hæreticorum Patres Concilij in dicendis sentētijs, & antiqua fidei veritate liberè confirmanda, impedimentum patiantur: Ergo statuit, Cōcilia generalia non esse certam veritatis normam, sed errare posse, & interdum errasse? Sophisma, secundum non causam, vt causam. Sic potius colligendum fuit: Ergo statuit, Concilia legitime congregata & pro Ecclesiastico more libere celebrata, nullorumque hæreticorū tyrannide violata, nihil aliud, quàm ab Apostolis sibi traditam fidem prædicare posse. Ad quid enim in rebus cōtrouersis conueniunt, ex omnibus orbis patribus episcopi,

quam

quam vt simul decernant, quęnam sit illa fides quę omni loco & tẽpore prędicata fuit, & quã quisq; in Prouincia, ab Apostolis acceptã, tot sęculis retinuit? Dicis, *Veritatem fidei esse generalium Cõciliorum certam regulam.* Quod isto sensu accipio: Generalia Concilia nunquã non ob oculos habere fidei veritatem, hoc est, Conciliorum Patres semper in antiquã traditã fidem intueri, eorumq; sententias ad hanc normam à Spiritu sancto dirigi, & ne à veritate aberrent continere. Ex quo fit, vt Conciliorum decreta sint ipsis veritatis norma: vt pote, quæ ad ipsam fidei veritatem collimata fuerunt: sicut vlna mercatoris ex eo iusta est, & pannos iuste metitur, quod cum publica vlna ciuitatis exacte conueniat.

HÆRETICVS.

Sacras literas citas, sed (vt soles) timide & inepte. Ais enim, quod idem Apostoli prę se ferre videntur, cum ex primo suo Concilio in literis Synodalibus ita scribunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Actor. 15.

COSTERVS.

Turpe est, doctorem mentiri: at mentiri, hæreticis familiare est. Neque timide, neq; inepte profero, quę me docet Catholica ecclesia. Forte timiditatem colligis ex verbo, *videntur*. At eodem, in re non dubia, vtitur B. Paulus, cùm ait: *Mihi autem qui videbantur esse aliquid, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ.* Nisi velis, in mente eius dubium hæsisse, fuerint ne isti aliquid, Galat. 2.

aut

aut nihil, vtrum reuera columnæ Ecclesiæ, an sola opinione?

HÆRETICVS.

Verùm id nec præ se ferunt Apostoli, nec præ se ferre videntur. Quoniá alia est Concilij cui præfuerunt Apostoli, alia ceterorum ratio. Apostoli enim hoc priuilegio donati erant singuli, vt in doctrina errare non possent, quod perpetuò Spiritus sancti regimine in omnem veritatem deducerentur: vnde fundamenta ecclesiæ diuinitus appellãtur. Quamobrem, quæ de suis decretis peculiariter testati sunt: ea malè ad omnia generalia Concilia extendis.

COSTERVS.

Etiam hic latet Sophisma, huic simile: Singuli nobiles habent ius gladij: Ergo vniuersus Magistratus eo caret. Quod Apostoli poterant singuli, hoc habent eorum successores simul in Synodo legitimè coacti. Christus enim non Apostolis solis, sed eorum quoque successoribus dixit: *Patrem eis missurum spiritum veritatis, qui cum ipsis maneret in æternum.* Ioan. 14. Sanè cõstat. 1. cum Apostolis, qui primo sęculo omnes ex hac vita migrarunt, non mãsisse in æternum. Constat. 2. Singulis episcopis non semper adesse spiritum veritatis: cum & errare possint, & frequenter errarint. Vbi ergo latet ille spiritus veritatis in ecclesia, qui eam omnem perpetuò doceat veritatem? Episcoporum Concilia generalia ecclesiam repręsentant: cum

(vt

vt rectè ait B. Cyprianus) ecclesia sit in epi-
copo & generalium Conciliorum consen- Lib. 4. epist. 9.
sus, passim à Patribus consensus orbis Chri-
stiani consueuerit appellari. Si igitur ab il-
lis absit, manifestè sequitur, aliquando ab-
esse ab orbe Christiano, & ab vniuersa Ec-
clesia. Itaque ad obiectionem *dico*, 1. (quod
etiam superius dixi) Apostolos, vt Christi
per orbem Legatos, hoc fuisse donato, pri
uilegio, vt quęcunque eius nomine singu-
li vel dicerent, vel scriberent, vim & autho
ritatem haberent diuini verbi, & sacrarum
literarum. Fieri tamen potuit, vt nonnulla
ignorarent, quæ vel collatione mutua, vel
scripturarū lectione plenius & accuratius
postea intelligerent. Beatus Gregorius, & Lib. 28. Mor. c. ap. 10.
ante eum Beatus Augustinus, videntur asse- lib. 2. contra Donat. cap. 1.
rere, D. Petrum in ea prius opinione fuis- 2. Tim. 4.
se, vt gentiles ad fidem conuersi circum-
ciderentur: sed à Beato Paulo melius instru
ctum, mutasse sententiam. Apostolus iussit
sibi à Timotheo adferri Romam libros, &
maximè membranas: nimirum scripta sua,
vt his operam daret. Nihil quidem doce-
bant Apostoli, quod nō esset verbum Dei:
sed eo verbo non statim ab initio omnia
norant. *Dico*, 2. Huic Apostolico Concilio
non solos adfuisse Apostolos primos, sed
alios quoque Episcopos: vt, Barnabam, &
Silam (quem Beatus Hieronymus, eun-
dem esse cum Siluano, existimat, & Hebręa Epist. 14 ad Damasum.
lingua Apostolum dici) & Iudam, cogno-
mento Barnabam, primitus Christiano-

rum

rum. Tales quoque erãt, quos B. Paulus appellat Apostolos ecclesiarũ: sicut, Epaphroditum, Apostolum Philippensium. Hi, licet
2. Cor. 8. Phil. 2. Apostolorum primorum singulari illo priuilegio non essent donati: huic tamen Concilio aderant, atque in eo ius suffragij habebant: non statim Apostolos, pro Apostolico suo priuilegio, sententiam suam tanquã Deus verbum pronunciasse: sed more omnium Synodorum ex scripturis, & his quæ gesta erant, de doctrinæ veritate diligenter prius inquisiuisse. *Conuenerunt*, (inquit) *videre de verbo hoc, & cum magna inquisitio fieret*. Volue-bant literas sacras, Paulus & Barnabas referebant miracula, ad Gentium conuersionem (etiam non obseruata lege) facta: Tum B. Petrus, vt Concilij caput, primus sententiã dixit eam confirmans admirabili conuersione Cornelij Centurionis: demum B. Iacobus Hierosolymorum Episcopus, adiecto testimonio Amos prophetæ, omnibus persuasit, & eos ad edendum decretum Synodicum induxit. Ex his conficio, parẽ esse nostrarum synodorum & illius rationem, non obstante Apostolico priuilegio: quod eos non statim de omni instruebat veritate, nisi & inquisitione adhibita, & alijs necessarijs medijs.

HÆRETICVS.

Deinde Concilium illud Apostolorum non fuit generale sed particulare Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Nam vnde probabis, ad illud

illud omnes reliquarum Ecclesiarum Episcopos fuisse inuitatos?

COSTERVS.

Aliàs docui, hic nihil eorũ defuisse, quæ generalia Concilia faciunt. 1. Aderat Ecclesiæ caput, Apostolus Petrus. 2. Aderãt (teste B. Clemente Romano) Apostoli omnes: tanquam principes omnium Ecclesiarum, venerant cum Paulo & Barnaba ex Ecclesia Antiochena pleriq; alij. Neque erat opus pluribus: cum Apostolis, necdum per Orbem diffusis, Ecclesiæ constitutæ non essẽt, neque Episcopis instructæ. 3. causa erat communis Ecclesiæ catholicę, non priuata Hierosolymorum. Lib 6. const. Apost. ca. 18.

HÆRETICVS.

Cùm decreta alia sint de moribus, alia de fidè, in vtrisque concilia errare posse, & errasse: Euangelia verò sibi semper constare, apparet: Nam Bellarminus ait: *Concilia in Iudicijs particularibus errare possunt, nec non in præceptis morum, quæ non toti Ecclesiæ, sed vni tantum, aut alteri populo proponuntur.*

COSTERVS.

Expectabam testimonia sacrarum literarum, ad quas appellasti. cur nihil earũ producis? Quod Bellarminus dicit, affirmo & ego. Sed id nihil ad controuersiam nostrã, quæ quærit, Possitne concilium errorem docere: vel in dogmatibus fidei, vt falsum dicat pro vero, vel in doctrina morum, vt malum dicat bonum, vel bonum malum, præci

præcipiatve peccatum, aut damnet virtutẽ. Non autem quærimus, Possitne errare in diiudicãdis priuatorum moribus, aut actis: veluti: Visne tu sanctus, commiseritne tu hoc flagitium? &c. quæ sicut nec ad doctrinam fidei, vel morum pertinent: ita ad conciliorum tribunal nõ referuntur, neque ab eo infallibili veritate definiuntur. Si quid porrò in literis sacris de his, & quibuslibet alijs scriptum reperitur, id certissima veritate tanquam Dei verbum constat.

HÆRETICVS.

Deinde in fidei decretis concilia vniuersalia errare posse, tribus modis Bellarmin⁹ experientia victus, confitetur. *Primò*, vt Patres consentiant & definiant, dissentientibus legatis Papæ. 2. vt definiant consentientibus Legatis, sed contra instructionem Põtificis agentibus. 3. consentientibus omnibus legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem.

COSTERVS.

In hoc tertio, mentitur doctor hereticus. Sic enim ait Bellarminus: *De quarto modo*, (nempe, consentientibus, cũ Legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem) *vix dubium esse potest: videtur enim certum, tale Concilium non posse errare: quod in eo Concilio inueniatur expressus consensus capitis & membrorum, ac proinde totius Ecclesiæ, quæ sine dubio errare non potest.* Dico igitur cũ eodẽ:

Si

Si corpus dissentiat à capite, nõ potest esse perfecta Concilij definitio. Sicut non est verus homo, corpus capite priuatum. Sed hîc rursus aliò diuertis. Non enim quæritur, An imperfectum Concilium, & non approbatum, errorem in fide & doctrina malum admittere possit: sed, An id possit, plenum Concilium, legitimè vocatum, & à capite suo Romano Pontifice confirmatum? Non enim sine causa, valde sedulò adlaborarunt Concilia generalia, etiam prima quatuor, pro Romani Pontificis confirmatione, sine qua, si quid decretum fuerit, careret authoritate.

HÆRETICVS.

Præterea, cum Concilia generalia sibi mutuò sæpius aduersẽtur, nõ perpetuò vera sunt: multò minus Euãgelio cõferenda. Nam Constãtinopolitanum Concilium sub Constantino Copronymo, imaginum cultum meritò damnauit: Nicenum secundum probauit: Francofortense, sub Carolo Magno, aduersus Concilium illud Nicenum, imaginum cultum iterum damnauit.

COSTERVS.

Falsum est, Concilia generalia legitimè coacta, & à Sede Apostolica approbata, aliquando sibi in dogmatibus fidei vel morũ aduersari. Agnoscimus Concilium Nicenum secundum, authoritate Adriani Pontificis celebratum & cõfirmatum: cultúmque imaginum, illic ex Apostolica traditione acceptum & decretum, recipimus.

Reprobamus autem conciliabulum, impurissimi & impiissimi Constantini Copronymi iussu coactum. Cui nemo adfuit Patriarcharum, præter hæreticum Constantinum, sceleratum Antistitem Constantinopolitanum: (vt eum Theophanes nominat) cum tamen ex antiquissimorum canonum decreto, ab Apostolis deriuato, & à Nicena prima Synodo confirmato, sine Romani Pontificis authoritate, nulla debeat Synodus celebrari. Francofordiensis Synodus adeò nullam vnquam obtinuit ab Apostolica Sede confirmationem, vt ei etiam repugnarint Adrianus Pontifex, eiúsque Legati: vel ipsis Centuriatoribus Magdeburgensib. testibus. Proinde etiam huius authoritatem nihili facimus.

HÆRETICVS.

Concilium Constantiense, & Basileense Papam subiicit Concilio: posséque esse hæreticum affirmant, &c. Contrarium decreuit Lateranense.

COSTERVS.

Nunquàm Romanus Pontifex eiusmodi decreta approbauit. Nam quod ad Cõstantiense Concilium attinet, ea sunt tantùm à Martino V. confirmata, quæ contra dogmata Ioannis VVicleſi, & Ioannis Hus definita fuerant. Basileense Cõcilium benè quidem cæpit: sed malè desiit: ideóque ex eius decretis nihil à Nicolao V. confirmatum est, quàm quę de beneficiis & censuris Ecclesiasticis constituerat.

HÆRE

HÆRETICVS.

Denique cum verbo Dei nihil addi, nihil detrahi, ne ab Apostolis quidem, aut Angelis cælestibus liceat: quomodo Concilia parem cum Euãgelio (si veritatem spectemus) habebunt authoritatem: quum eorum decreta à posterioribus Conciliis interdum mutari, & emendari constet?

COSTERVS.

Dogmata fidei in Conciliis generalibus semel declarata, semper sibi constant: neque à sequentibus Conciliis vlla vnquam in re variata fuerunt. Huc enim pertinet, quod toties à Patribus, (vt superius annotaui) inculcatur, & ab ipsis Imperatoribus grauissimè cauetur: Semel à Patribus ordinata, non esse in dubium reuocanda. Nam iniuriam fieri Iudicio synodi, si quis semel iudicata, & rectè disposita reuoluere contendit. Si quis retractat, anathema sit, &c.

HÆRETICVS.

Hoc experientia euincit, & celebris ac memorabilis illa Augustini sententia testatur: *Ipsa concilia quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt plenariorum Conciliorũ authoritati, quæ fiunt, ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere. Ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat; & cognoscitur quod latebat,* lib. 2. cont. Donatist. c. 3.

COSTERVS.

Prouincialia per Generalia emendari fatemur: sicut Concilia B. Cypriani, per subsequens Generale: at Generale legitimum per sequens Generale, in dogmatibus fidei corrigi, vel aliquando correctum fuisse, neque ipse B. Augustinus fatebitur. Duo sola ante B. Augustini mortem extiterant legitima Concilia generalia, Nicenum & Constantinopolitanum: vtriusque dogmata & decreta ipse vt sacrosancta veneratus est, & suscepit. Quod igitur ait, *Plenaria consilia sæpe priora à posterioribus emendari*, intelligi nequit de legitimis. Quorum si emendatio facta esset, ea non sæpe, sed semel tantùm contigisset: nimirum, Niceni prioris, à Constantinopolitano posteriore. At hoc posterius nihil mutauit in fide prioris. *Cum ob id indictum sit*, (vt ait Socrates) *vt fides Concilij Niceni corroboraretur*, lib. 5. cap. 8. atque in eodem lecta sit & confirmata eadem fides, hac inscriptione: *sancta fides, quam exposuerunt centum quinquaginta Patres, consona est sanctæ & magnæ Nicenæ synodo*. Nisi velis mutationem dici, maiorem declarationem diuinitatis Spiritus sancti, ob Macedonij hæresim, cuius Nicena Synodus, postquã illa hæresis exorta est, breuius mentionẽ fecit. Sed declarare, non est mutare. Itaq; quòd ait S. Augustinus, *priora emendari posteribus*, intelligi debet de illegitimis: quale fuit Ariminense, & quæcunque

cunque alia citra Romani Pontificis authoritatem indebitè conuenerunt: quæ per sequens Constantinopolitanum correcta fuerunt: qualia item erant Concilia Cypriani, ex multis Episcopis Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ, instar plenariorum collecta. Nam de his Conciliis loquitur B. Augustin. cum illorum decreta de rebaptizandis hæreticis, affirmat, per plenarium Concilium emendata fuisse, veritatémque eliquatam & declaratam. Quodnam autem fuerit illud Concilium, nō aperit: existimo fuisse Nicenum, cuius plurimi canones malitia Arianorum exciderunt. In quo editi sunt canones 80. & illi in honorem 72. discipulorum cōtracti in 72. vt auctor est, qui Synodo adfuerat, S. Athanasius. Cæterùm si omninò contendis, de futuris post ipsum legitimis Concilijs loqui B. Augustin. (Nam de præcedentibus agere nequit: quæ sola duo erant: & nō sæpe, sed semel tantum prius à posteriori emendari poterat, vt dictum est) accipienda erunt eius verba, non de dogmatib. fidei, sed de veritate rerum gestarum: qualis erat controuersia illa Donatistarum, (quibuscum hoc loco agit) Fuerítne Cæcilianus librorum sacrorum traditor, vt illi affirmabāt: an non, vt Catholici sentiebant. Quod ipsum etiam verba sonare videntur: *Plenaria*, ait, *sæpè priora posterioribus emendari, quū aliquo experimento [illegible] reperitur, quod clausum erat: & cognosc[illegible] quod latebat.*

Lib. 2. cont. Donatist. cap. 4.

Epist. ad Marc. Papam.

Tem

Tempore enim aperitur historiæ veritas. Hoc modo non dubitamus posse priora Concilia in quæstionibus facti errare, & per posteriora emendari. Sed in his quæstionibus non versatur (vt sæpè dictum est) controuersia nostra &c. Quod ex B. Aug. præmittis de literis Episcoporum, quæ per grauiorem authoritatem, doctiorúmque prudentiam, & per Concilia licitè reprehenduntur, nihil ad rem facit: cum hîc non de priuatorum scriptis, sed de generalium Conciliorum decretis disputemus.

HÆRETICVS.

Epist. 19. B. Augustinus ita ait: *Ego fateor charitati tuæ: solis eis scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre: vt nullum earum authorem, scribendo, aliquid errâsse firmissimè credam. Ac, si aliquid in eis offendere literis quod videatur contrarium veritati: nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Illúdne est, humanis & diuinis libris parem veritatem ascribere?

COSTERVS.

Illud ipsum est, quod dico: Nullas humanas literas cum diuinis Scripturis æquari, neque

neque in maiestate, neque in veritate debere. Cæterùm D. Augustin. qui hoc loco confert diuinas literas cum humanis, non eas confert cum aliis diuinis: hoc est, cum alio verbo Dei. Non hîc loquitur de fide doctrináq; Christiana: quam in corde Ecclesiæ descripsit Spiritus sanctus. Eã enim fatetur errorem continere non posse: atq; de eius veritate & integritate dubitare velle, id esse insolentissimæ insaniæ. Nouerat eam esse columnam & firmamentum veritatis: cui si quis fidem adhibere nolit, ei Anathema esse dicendum. Sicut ergo nõ agit de doctrina & fide Catholicæ Ecclesiæ, quam per orbem vniuersum Christiani vnanimi consensu confitẽtur: ita etiã de hac vnanimi Christianorum confessione non loquitur; qua omnes eandẽ fidem verbis & factis profitentur. Vnde manifestè sequitur, ei etiam non esse sermonem de Conciliorum decretis: tum, quod generalia Concilia (vt sæpius iam dictum est) Catholicam Ecclesiam repræsentant: tum quòd his Conciliis adsit spiritus veritatis: qui, quod in corde Ecclesiæ scripsit, decretis iubet effari: cum nihil aliud sint decreta Conciliorum, quàm sententia verbi Dei, in corde Ecclesiæ descripti: siquidem per illa, verbis edicitur, quid hactenus crediderit Ecclesia: & quam fidem doctrinámque per manus Maiorum suorum ab Apostolis acceperit. 1. Timoth. 3. Matth. 18.

Hæretici error ex co[illegible] quod sicut

Caluiniſtarum cœtus, nihil eſt niſi merorum hominum congregatio: ita exiſtimet Catholicam Eccleſiam non niſi hominibus conſtare, eſſeq; politicorum hominum conuentum. At miſer errat toto cælo, ſacriſq; literis manifeſtè repugnat, quæ ſicut diuini ſpiritus aſſiſtentiam, & Chriſti præſentiam Eccleſiæ promittunt: ita nolunt Eccleſiam (& ex conſequenti, generalia Concilia, quę ipſam referunt) à ſancto Spiritu veritatis ſeparari. Itaque in Conciliorum decretis, verba quidem ſunt Epiſcoporum, veritas autem eſt Spiritus ſancti: ſicut in tertia literarum Regiarum forma, verba ſunt Secretarij, quæ ſuo ſtylo concepit: veritas autem Regis, quam ſua manu conſignat. Itaque rectè dici poteſt ab omnibus Conciliis plenariis: *Viſum eſt* Act. 15. *Spiritui ſancto & nobis. Spiritui ſancto*, inquã, qui veritatem loquitur: *& nobis*, quorum verbis eam loquitur. Beatus Auguſtinus igitur in hac ſua comparatione, diuinas ſcripturas confert cum humanis: hoc eſt, quas Epiſcopi vel ſinguli ſuo ſenſu edunt, vel multi ſimul concipiunt: non autem cum illis, quas Concilia generalia, hoc eſt, Eccleſia Catholica in Spiritu ſancto congregata, decernit & conſcribit: iſte enim non ſunt humanæ ſcripturæ, ſed diuinæ: propter certam à Chriſto promiſſam præſentiam Spiritus ſancti. Hanc Beati Auguſtini mentem fuiſſe, cũ ex aliis eius ſcriptis, tum ex hoc patet: quod non aliter

ter Beati Cypriani errorem excuſet, (vt ſuperius dixi) quàm quia necdum generali Concilio eſſet tum contraria ſententia definita, & Cypriani damnata. *Neque nos ipſi* (inquit) *tale aliquid auderemus aſſerere,* (nempe, contra Cypriani ſententiam) *niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati: cui & ipſe,* (Cyprianus) *ſine dubio cederet, ſi iam illo tempore quæſtionis huius veritas eliquata, & declarata, per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab vno poſteriore collega,* (B. Paulo) *patienter concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Prouinciæ ſuæ, vniuerſi orbis authoritate patefacta veritate ceſſiſſet?* Videſne à toto orbe concorditer dici quod definit Generale Concilium: eique ſine dubitatione omni inhærendum, quod illud decernit? His pari modo reſponſum ſit verbis eiuſdem B. Auguſtini ad Diuum Hieronymum (quem tu ineptè imprudentem audes nominare) & ad Fauſtum Manicheum.

Lib. 2. cont. Donat. cap. 3.

Galat. 2.

Li. 11. ca. 5.

HÆRETICVS.

Agnoſce verum illud eſſe, quod aduerſus generale Concilium Conſtantinopolitanum, ait Nicolaus Papa primus: *Non totidem Præſules, ſed merita non minora, Synodum Synodo poſſunt facere parilem.* Item, *Numerus igitur puſillus nec ob[illegible] abundat pietas, nec multiplex prodeſt, vbi [illegible] pietas.* Item,

Nolite ergo gloriari in multitudine : quia non multitudo, sed causa damnationem vel iustificationem adducit.

COSTERVS.

Quis non rideat huius hæretici stoliditatem? qui, quod Nicolaus sanctissimus Pontifex contra impium Conciliabulum improborum hominum scripsit, ad sacras Synodos transferre non veretur. Vndique corradit misellus, siue ad rem faciant, siue non faciant: vt aliquid se dixisse iactitet. Michael Imperator odio Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani, qui Bardæ Cæsaris adulteriis aduersabatur, multorum Episcoporum turbam coëgit, qui maioti ex parte propter flagitia excommunicati, & Patriarchæ sui hostes, eum loco mouerunt: hominemque prophanum & aulicum Secretariorum Imperialium præfectum, Photium nomine, eius loco in throno collocarunt. Hoc audito, Romanus Pontifex Nicolaus Legatos eò misit, etiam Imperatoris rogatu: non tanquam ad Generale Concilium, *sed vt tantummodo causas Ignatij (qui ante de Ecclesia pulsus quàm ab aliquo accusatus extiterat) diligenter inuestigarent, & Sedi Apostolicæ plenè, & veraci relatione referrent. Solùm eis de venerabilibus Domini nostri Iesu Christi, eiusque Genetricis semperq; Virginis Mariæ, ac Sanctorum ipsius imagin[illegible], quicquid quæstio adferret,*

pist. ad Patriarchas.

iustè

iustè ac piè desinere licentiam dando, ait ipse Nicolaus. Hunc improborum hominum cœtum Imperator cùm 318. Patribus Niceni Concilij, multitudine confert. Nicolaus verò illud dicit Ephesinæ Synodo secundæ consimile, in qua Dioscorus Hæreticus, (vt nuper diximus) omnia pro arbitrio turbabat, & Episcopos in suam venire sententiam cogebat. *Ita hic* (ait) *suspecti fuêre Iudices: Lupi custodes, & mercenarij, qui videbantur esse Pastores, non ascendentes ex aduerso potestatibus mundi. Quid proficit, solo numero conuenientium personarum sanctam Synodum vos fuisse secutos: & moribus hanc esse crudeliter persecutos? Vtinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meritis, quales erant, quibus Christus aiebat. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum. Non ergo totidem Præsulis, sed merita non minora, Synodum Synodo possunt facere parilem*, &c. Confertque hoc conciliabulum nefandorum hominũ, cũ latrocinio Ephesino. De quo superius. *Vnde* (ait) *apparet, Legatos nostros non causa pietatis à vobis, sed crudelitatis argumento fuisse quæsitos.* Siquidem etiam ipsi, tyrannide Bardæ, adulteri, incæstuosi, in damnationem Ignatij inducti erant. Cui Bardæ Cæsari, seu Patritio, (vt eum nominat Nicolaus Papa) cõmissa erat Imperij administratio ab Imperatore Michaele, homine ebrioso (vt testes sũt Zonaras & Cedren⁹)

Epist. ad Michael.

Ad Patriarchas.

alibus, quò suis voluptatibus liberius vacaret. De
7. hoc porro prophano conciliabulo, sic habet Concilium octauum Constantinopolitanum, ex literis Adriani Papæ secundi. *Conciliabulum vnitatis à Photio, & huius authore Michaële, videlicet tyrannice imperante, Constantinopoli nuper aduersus Apostolicæ Sedis reuerentiam, & priuilegium congregatum, vt pote veritatis inimicum, quin & omni falsitate repletũ, sibi consentientiũ animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus: & ipsius execranda gesta, quibuscumque habeantur monumentis inserta, sumi Iudicis Domini nostri Iesu Christi, sanctorumque Apostolorum Principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis authoritate, penitus abolenda decernimus: ita vt igni tradantur, & anathemate perpetuo percellantur.* Cùm igitur quæstio nostra non sit, Possintne multi improbi Episcopi simul nefaria decreta condere? sicut non rarò Arianorũ, Macedonianorũ, Euthichianorum, Monothelitarum, Iconoclastarum temporibus factum fuisse historiæ tradunt: sed, An Concilium legitimè conuocatum, liberè celebratum, & à Sede Apostolica confirmatum, hæresin aut errorem definierit aliquando, aut definire possit? Facilè apparet (Lector) quàm ineptè hæreticus ista sua mendacia Sanctissimi Nicolai Pontificis verissimis verbis conetur tueri. Cur [illegible] non adiunxit eiusdem Pontificis [illegible]: quibus Conciliorũ omnium authoritatem à confirmatione Apostolicæ

postolicæ Sedis pendere, multis demonstrat, vt cui vniuersalis Ecclesiæ cura à Domino sit commissa: *Suscipit ac continet in se* (ait) *Romana Ecclesia, quod Deus vniuersalem Ecclesiam suscipere ac continere præcepit.* Item, *Ipsum enim, cuius nos* (licet immeriti) *vicem suscepimus, principaliter ac specialiter vniuersalis Ecclesiæ curam diuinitus accepisse, etiam nobis tacentibus, credimus, quod vestra sapientia iam animaduertat.* Et alibi: *Beatus Petrus, qui in sede sua viuit & præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam & Sanctæ Romana Ecclesia semper sine macula fuit, & sine ruga, nimirum, quia ille hanc instituit, cuius fidei confessio diuinitus extitit approbata.* Ad Bulg. cap. 10.

HÆRETICVS.

Denique ad celeberrimam illam, piam, & elegantem Augustini sententiam attende: *Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

COSTERVS.

Qualisnam est ista [illegible]trio? Augustinus cũ Maximino disp[illegible]ans, solis Scripturis dij

ris diuinis vti voluit, non decretis Niceni Concilij: Non igitur hæc decreta sunt infallibilis veritatis, neque idonea ad fidei veritatem confirmandam. Simile est hoc argumentum: Christus disputans cum Saducæis, so is libris Moysis vti voluit, non autem Prophetis, qui longè apertius de resurrectione scripserant. Vaticinia igitur Prophetarum inepta erant ad veritatem demonstrandam. Agnoscisne Sophistam: De quo Sapiens: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est, & in omni re defraudabitur.* Si Caluinista acturus cum Lutherano, sic dicat: Nolo te ex Beati Iacobi Apostoli epistola conuincere, sed ex ea scriptura quam vterque agnoscit: num propterea Caluinista epistolæ illi authoritatem derogaret? nequaquam. Non enim, quòd minoris eam putet esse veritatis, quàm reliquas scripturas, ita loquitur: sed quia cum illo differit, qui ei nullam sacrarum literarum tribuat authoritatem. Apud Maximinum & Arianos, nõ valebat Nicænum Concilium: sicut nec apud Beatum Augustinũ, & cæteros catholicos Ariminensis Synodus. Noluit ergo Beatus Augustinus huiꝰ authoritate premi, nec illius hæreticum premere. Dedisti aliquando, vt reor, operã Iunio vestro, cũ Bellarmini cõtrouersias oppugnans, suis explicaret. Cur eius solutionem, ad hæc Beati Augustini verba nõ adiecisti? & si obseruaueris, cur

cur non impugnasti? Sic enim ait: *Augustinum non velle dicere, non teneri vllo modo Maximinū authoritate Concilij Niceni, sed non teneri in illa disputatione: quia Augustinus id permittebat. Quia enim Maximinus obijciebat Niceno Concilio, Concilium Ariminense, & Augustino non videbatur operæ pretium tunc tempus consumere in ostendendo, Concilium Nicenum fuisse legitimum, & Arimmense illegitimum: cum haberet meliora argumenta ex scripturis. Ait, nunc nec ego huius, nec tu illius authoritate teneris: hoc est: Nolo nunc teneamur Conciliorū authoritatibus, omittamus Concilia, ad scripturas veniamus. Quod autem Augustinus alioqui putauerit Concilium Nicenum summæ fuisse authoritatis, & oportuisse omnes illi acquiescere, patet ex verbis præcedentibus, vbi sic ait: Hoc est illud homousion, quod in Concilio Niceno aduersus hæreticos Arianos, à Catholicis Patribus, veritatis authoritate, & authoritatis veritate firmatum est. Quid enim est, veritas authoritatis: nisi vera & certa authoritas?* Et de his quidem hactenus. At si rectè obseruasti, (ingenue Lector) Doctor iste hæreticus ad scripturam prouocauit: sed ne vnam quidem scripturam produxit. Expectabam literarū sacrarum authoritate falsitatis cōuinci, & diuino testimonio authoritatē Conciliis œcumenicis abrogari: at nihil ex sacris literis apparuit. Et hæreticorū strophas agnoscas, & men

lib. 2. de Concilijs, cap.

& mendacia, qui falsis promissis auditores suos fascinant.

DE CAPITE V.

Tractatur hoc capite quæstio, An omnia, quæ credere oportet, sint sacris literis expressa?

HÆRETICVS.

NOn rectè facis, quod formam controuersiæ omnino peruertis. Nec enim inter nos quæritur, *Verum omnia, quæ credere oportet sint sacris literis expressa*: sed generatim, *An omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria, sacris literis descripta sint?* Quædam enim descripta staruimus expresse, quædam vi necessariæ consequentiæ.

COSTERVS.

Si non quæris, quod alios hæreticos quærere scio, nimirum, *An sacris literis omnia expressa sint, quæ credere oportet*, hoc est, quæ fidē concernūt: gaudebo te in hac quæstione nobiscum sentire. In tua autem quæstione, *An omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria, sacris literis descripta sint?* Ego tibi consentio, præsertim quando horum statuis duplicē ordinem. Nihil enim ad [illegible]dem necessarium fide credimus, [illegible] non vel apertè sacris literis de

s descriptum habeamus, vel vi necessariæ
nsequetiæ ex illis educere nequeamus.
: quidem, si de his fidei dogmatibus, quæ
unquemque Christianum adultum co-
oscere oportet, agimus, fateor illa duo-
im fidei articulis fere comprehendi, &
ertis verbis in scripturis exponi. Alia au-
n omnia, quæcunque illa sint, quæ ad fi-
n pertinent, ex diuinis literis per conse
eotiam necessariam colliguntur: nimi-
n, ex promissione & mandato Christi. Ioan.14.
omisit si quidem Ecclesiæ Spiritū verita-
qui cum ipsa permaneret in æternum, ad Matth.28.
xitque eidem præsentiam suam vsque ad
nsummationem seculi: denique, firmauit Matth.16.
m super petram vt portę Inferi nunquam
æualiturę sint aduersus eam, statuitque 1.Timoth.
eam columnam & firmamentum veritatis:
mandauit verò omnibus Christi nis, serio-
que sub interminatione excommunicatio-
nis præcepit, illam audire, eique morem ge Matth.18.
rere. Quamobrem in omnibus quæstionib⁹
fidei, quę à scriptis literis absunt sic per ne-
cessariam consequetiam ratiocinamur: Ec-
clesia Catholica in doctrina fidei errare ne
quit propter continuam Spiritus veritatis
directionem, & Christi præsentiam. Quic-
quid igitur illa nobis credendum proponit,
suscipiendum est, & fide credendum. Ante-
cedens patet, ex allatis promissionibus diui
nis: Consequentia probatur, ex Christi mi-
nis in eos, qui Ecclesiæ audire contem-
nunt. Pergimus deinceps singulas fidei

do

doctrinas: Atqui Ecclesia docet, inuocationem Sanctorum, honorem imaginum, Sacrificium Missæ, orationes pro defunctis, aliáque idgenus, neque sacris literis, aut verbo Dei repugnare, neque damnanda aut ridenda esse, sed magna veneratione tanquam Apostolica dogmata tot seculis per manus nobis tradita, suscipienda & retinenda: Eadem nobis tradit quatuor Euangeliorum libros, reliquámque Scripturam, vt eã pro verbo Dei habeamus, &c. Ergo his omnibus credendum est, & firmissima fides adhibenda. Ecce vt nos omnia per consequentiam necessariam, ex sacris literis clarissimè educamus. Vestram autem consequentiam examinabimus.

HÆRETICVS.

Quod ais, in corde Ecclesiæ clarissimè exarata esse omnia, multaque in membranis, tam veteris, quàm noui Testaméti desiderari: oppono Haymonem, qui ante annos 800 sic ait: *Nos autem partim in cordib⁹, plenius autem in membranis scriptum* (Euangelium) *habemus ab illis* (Apostolis) *nobis relictum vt in illis meditando exerceamur.*

omeat. c.8.

COSTERVS.

Haymo nos cum sanctis Apostolis confert: qui cum scripturis carerent, singula tamen mysteria fidei, & Domini verba memoria retinebãt, & ea firmissimè insculpta habebãt, vsque [illegible] D. Ioannes sexagesimo

mo quinto post Dominicam passionem anno, Euangelium scripserit, memor omnium verborum Christi, quæ ante tot annos audierat. Nos autem hæc Christi verba, non tam plenè & perfectè extra sacras literas, in mente habemus. Quæ sacræ literæ ob id nobis datæ sunt, vt de verbis illis meditaremur. Duo igitur dicit Haymo. Prius, Euangelij doctrinam partim esse in cordibus scriptam, partim in membranis: Alterum, quod ea pars, quæ membranis continetur, plenius nobis eam exponit, quàm scriptura cordis. Hæc enim singula quidem dogmata fidei continet: illa autem plenius verba Christi. Non igitur vult sacris literis omnem doctrinam Christianam contineri: sed Christi vitam, miracula, & conciones illic plenius & perfectius describi.

HÆRETICVS.

Et Eusebium (oppono,) in Niceno Concilio contra Philosophum differentem, qui ait: *Scripta crede, quæ non scripta sunt, ne cogites, nec inquiras.*

COSTERVS.

Erras doctor hæretice. Nihil horũ apud Eusebiũ extat, seu in historia Ecclesiastica, quæ ad Concilium Nicenũ non peruenit, seu in vita Constantini, quæ de hac disputatione nihil habet. Vis cum Philosophis disputatum fuit in Synodo Nicena? Prioris disputationis meminit Socrates, qui ita ait: *Cum nonnulli quasi illecti [illegible] differendum* Lib. 1. cap. 5.

trahe

traherentur, Laicus quidam ex confessorum numero, simplici ac sincero animo præditus, cum dialecticis illis congreditur, sicque contra illos verba facit: Christum certè & Apostolos artem disserendi neutiquam nobis tradidisse, neque inanes fallacias, sed mentem apertam & simplicem, quæ fide & bonis operibus integra seruari solet. Quæ cum dixisset, alij omnes, qui aderant, & eum admirati sunt, & eius approbauere sententiam. Altera disputatio extat apud
1. cap. 3. 1. cap. 17 Ruffinum & Sozomenum: quam iniuit senex quidam & notæ sanctitatis Episcopus (aiunt fuisse celebrem illum Spiridionem) cum arrogante quodam Philosopho, his verbis: *In nomine IESV Christi, Philosophe, audito quæ vera sunt, Vnus est Deus, qui fecit cælum & terram, quique homini, quem de limo formauerat, spiritum dedit. Vniuersa quæ videntur, & quæ non videntur, virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc verbum ac sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores, ex virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberauit: quem & expectamus Iudicem omnium, quæ gerimus, esse venturum. Credis hoc ita esse, Philosophe? At ille, velut si nunquam vllum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc solùm potuit respondere. Ita sibi videri, nec aliud verum esse quàm quod dixerat. Tum Senior, Si hæc (inquit) ita esse credis, surge, & sequere me ad Dominum, & huius fidei signaculum*

*culum susc*ipe. *Et philosophus conuersus ad discipulos suos, vel ad eos, qui audiendi gratia conuenerant: Audite, (inquit) ô eruditi viri, donec verbis mecum res gesta est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte subuerti: vbi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Et ideo, si quis vestrum potuit, in his quæ dicta sunt, sentire quæ sensi: credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus.* Hæc ex Ruffino: cum quo per omnia consentit Sozomenus. Tu igitur videris, qua disputatione ab Eusebio dictum sit, *Scriptis crede, quæ scripta non sunt, ne cogites, nec inquiras.* Aut potius audi ab Eusebio hanc insignem & tot sæculis approbatum, Constantini sententiam: *Quicquid in sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui.* Lib. 3. vit. cap. 18. Epist. ad nec Eccl.

HÆRETICVS.

Quod primum quæris, *Vbi numerus Euangeliorum & Epistolarum Apostolicarum?* Respondemus, hanc numeri notitiã, non esse absolute necessariam. Nam, quemadmodum Irenæus ait, *Multos barbaros fidem habuisse Euangelio sine scriptura*: sic plurimi semper exiterunt rudiores christiani, qui Euangelistarum & Apostolorum doctrinam amplexi, numerum tamen bibliorum ignorarunt, &c. Lib. 3. c.

COSTE.

COSTERVS.

Dicam breuiter quatuor. *Primum*, Notitiam numeri vel Euãgeliorum vel aliorum librorum canonicorum, ad salutem necessariam non esse: Sicut nec multorum, quæ sacris literis cõtinentur. Non est enim operæpretium, omnia nosse. *Secundum*, Hanc tamen sic omnibus necessariam: vt non liceat contrarium pertinaciter tueri. Non enim minus censebitur Hæreticus, qui contentiosè defendit tria tantum esse aut quinque & non quatuor Euangelia quàm qui negaret, Abraham duos habuisse filios, vnũ de ancilla, alterũ de libera. *Tertium*, Priscis Ecclesiæ tẽporibus, quando ab Ecclesia nec dum definitus erat librorum sacrorum numerus, licuit de eo, sine labe hæreseos, dubitare, quẽadmodum B. Cyprianus, ante Ecclesiæ determinationem, contrariam veritati habuit cum suis Episcopis de Baptismo Hæreticorum sententiam: at rebus temporis successu certius compertis, vbi Ecclesia numerum statuit, nulli sine errore hæreseos, licet vel aliter sentire, vel dubium mouere. Quod & in quæstione B. Cypriani, & in alijs fidei dogmatibus, locũ habet: vt post Ecclesiæ decretũ, quòd assistẽtia Spiritus sancti semper describitur, nulli prorsus fas sit dubitare. *Quartum*, Ex B. Irenæi verbis, quæ citas, manifestè concludi, Ad fidei conseruationem scripturas sacras non omnino necessarias esse. Si enim post Christi mortẽ totis 170. annis [illegible] eo tempore scripsit B. Irenæus

Irenęus, qui obijt anno Domini 205.) multæ barbaræ nationes, sine literis scriptis, sola Maiorum traditione, fidem retinuerunt: cur non Ecclesia vniuersa, quam Christus per Spiritum veritatis moderatur & conseruat, pari modo sine Scriptura, ad finem vsq; sęculi perdurare possit? *Quid si*, inquit D. Irenæus, *neque Apostoli quidē scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebāt Ecclesias?* Ibidem.

HÆRETICVS.

Deinde verò, numerus etiam Euangeliorum & Epistolarum, titulorum inductione declaratur.

COSTERVS.

Eadem est de titulis, atque de libris ipsis quæstio. Quid si dicam, Falsò præfixum titulum Matthęi, aut Ioannis: qua consequētia scripturæ me conuinces? Euangelium Nicodemi, præfert Nicodemi nomen: & Epistola ad Laodicenses, nomen B. Pauli: qua consequentia has scripturas potius reijcis, quam illas?

HÆRETICVS.

Et si Gregorium Magnum, Pontificē Romanū, audire lubet: Euangeliorum numer⁹ & Scriptores cōmendantur Ezechielis capite primo, vt in suis ad eum locum cōmētarijs, (*quos à Spiritu sancto dictatos profiteris*) testatur. Qua in re secutus est Irenęum, Athanasium, Hieronymum, Qui suam sententiam hisce verbis c[illegible]: *Quibus cun-*

Et

clis perspicuè ostenditur, quatuor debere tantum Euangelia suscipi, & omnium apocryphorum nenias, mortuis magis hæreticis, quàm Ecclesiasticis viuis cauendas.

COSTERVS.

Notabis, Lector, 1. Huic hæretico iam Gregorium esse magnum, Romanum Pontificem: cuius se sperat auxilio his angustijs, quibus premitur, liberandum, quem nuper cum S. Theodosio minimi fecerat. 2. Sic illum de quatuor Euangeliorum numero mecum agere, atque si ego de eo dubitarem. Ego quidem hunc numerũ agnosco, suscipio, atque veneror: at nec propter Ezechielis vaticinium, nec propter aliam ex scripturis consequentiam, (sed cum Beato Augustino) propter Ecclesiæ authoritatem. 3. Hæretico probandum ex diuinis literis fuisse sacrorum Euangeliorum numerum, per necessariam consequentiam: (In hoc enim negotio iam versamur) at eâ consequentia ex scripturis colligendâ interim prætermissâ, confert se ad Patrum interpretationes Gregorij, Irenæi, Athanasij, Hieronymi, parum sui memor, qui ex solis scripturis sacris necessariò hunc numerum deducere debuit. Nam quod ad quatuor Ezechielis animalia attinet, illa neminem cogunt quatuor Euangelia dicere. Intellexerunt plerique Patres quatuor Euangelistas: non desunt tamen aliæ, etiam Antiquiorum, interpretationes. D. Gregorius Nazianzenus, quam & Beatus Hieronymus in

scriptu

Scripturis sacris se operam dedisse gloriatur) per quatuor animalia intellexit quatuor hominum affectiones: per hominem, vim rationalem: per Leonem, irascibilem: per vitulum, cõcupiscibilem: per aquilam, conscientiam. B. Ambrosius, quatuor virtutes Cardinales accipi posse putat: per hominem, prudentiam: per Leonem, fortitudinem: per vitulum, temperantiam: per Aquilam, iustitiam. Origenes ea etiam ad eos refert, qui Christo laudes dicunt, & genua flectunt: in cœlo, in terra, sub terra, & supra cælos: quorum tres primos descripsit Apostolus: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*: quartum addit psalmista, *Cæli cælorum laudate Deum*. Rupertus vnicum Christum his quatuor animalibus significatum putat: præsertim quod idem Propheta ca. 10. de iisdem loquens, vnũ exprimat: *Ipsum est animal quod vidi iuxta fluuium Chobar*. Nam Christus natus est homo, oblatus vt vitulus: inferni portas confregit, & mortem deuicit, resurgens vt Leo: denique vt aquila in altum volans, cælos penetrauit. Hectoris Pintii interpretatio eodem pertinet: qui Christum ait hominem, humana natura: Leonem, dignitate regia: vitulum, quia sacrificium: Aquilam, sublimitate diuina. En multas veterum pias & orthodoxas explicationes: quæ hæretici necessariam eludunt consequentiam.

Orat. 47.

Lib. 3. de Virginib.

Philip. 2.

Psal. 147.

HÆRETICVS.

Quæris, vbi Euangelium Matthæi & Marci in Scripturis diuinis potius, quàm Nicodemi, aut Thomæ, cõmendatur? Respondeo: Non tolùm in Ecclesię doctrina, sed etiam in veteri & Nouo Testamento.

COSTERVS.

Quandoquidem hæreticus hic sentit iugulũ peti, in summas redactus angustias, longa explicatione docere conatur necessaria consequentia ex scripturis concludi, has ipsas scripturas sacras nostras, solas, & omnes esse diuinas. Ait modos, quibus Noui Testamenti scripta genuina cognoscantur, duplices esse. Alij enim constant demonstrationibus externis: alij, internis. Externas appellat, quæ extra sacras literas petuntur: suntque testimonia partim diuina, partim humana. Diuina sunt, primum Apostolorum & Euangelistarum: qui, donec fuerunt in viuis, non solùm ex certa rei cognitione, sed etiam ex perpetuo Spiritus sancti regimine, sua scripta Ecclesiis tradendo, ea ab adulterinis distinxerunt: deinde Apostoli reliqui ea commendauerunt: idem præstiterunt Prophetæ, qui voce & miraculis idem testati sunt. Et hæc quidem de testimoniis diuinis: quæ omnia nos nec differimus, nec ignoramus. Nunc de testimoniis humanis.

HÆRE

HÆRETICVS.

Hisce testimoniis diuinis, accedunt etiã testimonia humana Ecclesiæ, & hostium illius.

COSTERVS.

Non pluris facis testimonium Ecclesiæ, quàm hostium illius? Illi assistit perpetuo spiritus veritatis: ab his nunquam deest spiritus mendacij.

HÆRETICVS.

Et Ecclesiæ quidem primum Primitiuæ, quæ ab Apostolis & Euangelistis noui Testamenti libros accepit, & agnouit, autographa seruauit, & fideli descriptione & versione vniuerso Orbi commisit, & hæc omnia ad posteros transmisit.

COSTERVS.

Rectè hęc omnia. Nam pulchrè describis Apostolicæ traditionis formam: qua, sicut Scriptura sacra ad nos peruenit, ita alij etiã Ecclesiastici ritus, & fidei dogmata. Sicut enim primitiua Ecclesia has literas sacras credidit esse diuinas: quia hoc, verbo suo, sine vllo scripto, Apostoli testati fuerunt: atq; eandem hanc fidem, qua idem credimus, tanquam Apostolicum nobis dogma, per manus tradiderunt: ita pari modo, ad nos perlata sunt alia dogmata, literis scriptis non commendata.

HÆRETICVS.

Deinde, non solũ Ecclesiæ primitiuæ testimonio, Euangelistarum & Apostolorum libri demonstrantur, etiam sin illi

sequentis Ecclesiæ scientia & fidelitate: quæ eosdem libros à Maioribus traditos, fideliter accepit, conseruauit, & ad posteros continua successione transmisit.

COSTERVS.

Præclarè omnia, ad confirmandã Apostolicarum traditionum veritatem. Quam vt clarius perspicias, quæro: Anne primi illi Christiani Catholica fide credere tenebãtur hæc Euangelia: aliáque Apostolica scripta esse literas diuinas, à Spiritu sancto dictatas? Fateberis, haud dubiè. Quæro iterum: Quare id credere oportuit? Dices: Quia id eis verbo suo Apostoli, testes diuini, tradiderunt & præceperunt. Infero: Ergò etiam illi Apostolorum tempore aliquid credere debuere, quod scriptum non erat? sed solo Apostolorum verbo traditum: nempè, quod hæc quatuor Euangelia, & alij Apostolorum libri essent literæ sacræ, & diuina scriptura. Nusquam enim hoc quisquam Apostolorum scriptis man-
2. Pet. 3. dauit. Solus B. Petrus testis est, D. Paulum Hebræis scripsisse: & ipse D. Paulus se ad
Colos. 4. Laodicenses epistolam dedisse. Hæc tamen, quæ cum nomine B. Pauli circunfertur, ab Ecclesia reiicitur: & de epistola ad Hebræos, pleriq; multo tempore dubitarunt. Quemadmodum igitur primi illi sine scriptura crediderunt scripturas: ita & eorũ posteri, ad nos vsq; qui eas sine scripturę testimonio, sola successione cõtinua, accepimus, diuinas literas veneramur.

mur. Quæro iterum: Quo argumento noſti, has literas diuinas fideliter & incorruptas ad nos peruenisse? Dices fortasse: Quia ſingulis ætatibus Patres earum meminerunt, eáſque expoſuerunt. Interrogo rurſum: Quare hoc argumentum pluris eſt apud te, in hoc negotio Literarum diuinarum, quæ & corrumpi poſſunt, & ſæpius ab hæreticis deprauatæ fuerunt: quàm in negotio aliarum traditionum Apoſtolicarum? Sicut enim veteres meminerunt ſacrarum Scripturarum: ita etiam inuocationis Sanctorum, ſacrificij Miſſæ, aliorúmque dogmatum orthodoxorum, quæ vos damnatis. Aut igitur omnia recipite, aut reiicite omnia.

HÆRETICVS.

Nec tantum Eccleſia de ſacris Noui Teſtamenti libris, hiſce modis teſtata eſt: ſed etiam hoſtes Eccleſiæ aſſenſu ſuo variè confirmarunt. Lucianus, Porphyrius, Iulianus Apoſtata.

COSTERVS.

Aliter Eccleſia de ſacris literis teſtatur, aliter Infideles. Si illos facis pares: profectò ſola humana fide, quæ debetur hiſtoriis, non autem Catholica, credis ſcripturas. Eccleſia diuinam fidem ſacris literis habuit, nobíſque tradidit: Ethnici humanam, qualem Liuio aut Ciceroni. Hactenus de externis modis: nunc de internis.

HÆRETICVS.

Internæ demonſtrationes ſunt, quæ ex

ipsis libris factis hauriuntur: & generatim ad quatuor fontes reuocari possunt. Nempè, ad scriptorum manum, doctrinam, stylum, efficaciam. Prima demonstratio est ex Euangelistarum & Apostolorum manu: qui Euangelia & Libros atque Epistolas scribebant, vel subscribebant. Nota erat manus D. Pauli.

COSTERVS.

In primis nemini constat, Euangelistas manibus suis descripsisse Euãgelia, aut subscriptione obsignasse. Fortè dictarũt: sicut consueuit Apostolus Paulus. Non mihi fit verisimile, B. Ioannem decrepitum nonagenarium, hunc scribendi laborem tulisse. Deinde non omnibus notus erat eorum character: iis præsertim, qui procul aberãt. Quocirca hæc prima demonstratio apud paucos valebat: non, vt oportuit apud totam Ecclesiam. Denique hæc subsignatio humanam fidem faciebat apud omnes, infideles æquè atque fideles, hanc esse à B. Paulo conscriptam epistolam: non autem esse scripturam diuinam. At dicis: Si testabatur esse Pauli, ex consequenti testabatur esse Spiritus diuini: quem oportebat credere per os Pauli loqui, & scribere manu Pauli. Respondeo: Neque credere oportuisse, neque verum esse, omnia Apostolorum vel facta, vel dicta, vel scripta, à Dei emanasse spiritu. Homines erant, peccare poterant [illegible] de se non minus, quàm de cæteris hominibus, agnoscit Beatus Ioannes:

nes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. *Multa humana ratione faciebant* (ait B. Chrysostomus) *non enim erant lapides aut ligna.* Homil. Act. Apost. B. Petrus lapsus est, & à S. Paulo merito reprehensus. Cuius lapsum, licet reuerà minimum, sic tamen exaggerant Centuriatores Magdeburgenses: vt Marcion & Iulianus non potuerint magis. Eum porrò Beatus Hieronymus, cũ Patribus Græcis, à peccato excusãt. Quis igitur neget multa Apostolos locutos esse spiritu humano, atque scripsisse: & non solum diuina verba dixisse? Proinde nominis subscriptio fidem faciebat quidem, scripta ipsorum esse: non autem esse literas sacras, aut verbum Dei. Ecclesiæ tunc erat, (sicut semper fuit) scripta Apostolorum diuina, ab humanis secernere: & diuina quidem fidelibus pro sacris literis tradere, humana verò supprimere. Nec est quod de hoc mireris: cum videas B. Paulum doctrinæ suæ confirmationem ab Apostolis postulasse. *Ne,* (inquit) *in vanum currerem, aut cucurrissem;* hoc est, ne minus fidei, quàm Dei verbo debebatur, apud Auditores obtinuissem. Gal. 2.

HÆRETICVS.

Alter demonstrationis fons, est doctrinæ maiestas, quæ rerum veritate, sanctitate, & sublimitate continetur.

COSTERVS.

Fateor, & veneror in [illegible] diuinis maiestatem; veritatẽ, sanctitatẽ, & sublimitatẽ.

Cum dictatæ sint à spiritu veritatis, & res sublimes, quæ humanam mentem, atq; ingenium superant, diuino modo & verbis tractent. Sed ex his, per necessariam consequentiam non colligi, omnes, & solos libros, quos pro sacris & canonicis habemus, esse Dei verbum, à Spiritu sancto dictatum: ex eo manifestè liquet, quod non pauci qui se existimant spiritu Dei imbutos, in hoc iudicio varient. Magnus tuus Lutherus reiicit epistolas B. Iacobi, Iudæ, secundam & tertiam Ioannis, B. Pauli ad Hebræos, & Apocalypsin Ioannis vt Apostolico spiritu indignas: eas recipitis, Caluinistæ. Historiam adulteræ, Christo apud Ioannem oblatæ, ait Beza vester Apostolico spiritu indignam: Caluinus magister eius asserit contra, non indignam esse spiritu Apostolico. Vos Caluinistæ cum Luthero & Lutheranis, de numero librorum Canonicorũ sustulistis libros Sapiẽtiæ, Ecclesiasticum, Tobiæ, Iudith, & Machabęorum. Contra, ante 1100. annos, Concilium Carthaginense (cui aderat S. Augustinus) eos omnes recepit: sicut & posteriora Cõcilia, & Catholici Doctores. Si necessaria consequentia ex Maiestate conficitur, cur hi omnes eadem consequentia concluſi non fuerunt? cur non omnes eandem Maiestatem in iisdem libris obseruarunt?

Ioan. 8.

HÆRETICVS.

Veritas eluceat, ex mutuo cõsensu veteris & noui Te[illegible] lib. 2. ex Prophetiarum noui

noui Testamenti, cum earum euentu. Deinde coniuncta sanctitas diuinam librorũ Noui Testamenti originem demonstrat. Denique doctrinæ Noui Testamenti maiestatem demonstrat, rerum quæ explicantur, sublimitas.

COSTERVS.

Sophistam agis, doctor hæretice. Non enim hîc quæritur de sacrarum literarum veritate, sanctitate, & sublimitate: sed de necessaria tua consequentia. Frustra paginas imples inutilibus probationibus. Coge tua necessaria consequentiâ Lutheranos prædictas Apostolicas epistolas in Canonẽ reponere, & nos Veteris Testamẽti libros, à vobis reiectos, vobiscum excludere.

HÆRETICVS.

Præterea, quemadmodum doctrinæ maiestas, sic etiam stylus librorum Noui Testamenti Deum authorem esse demonstrat. Etenim in stylo eorum, tria potissimũ indicia elucent. 1. simplicitas & perspicuitas summa. 2. pondus verborum. 3. auctoritas.

COSTERVS.

Etiam hîc desidero consequentiæ necessitatem, quæ Lutheranos & Svvẽckfeldianos cogat. Cæterum, cur Noui Testamenti solius mentionem facis, & non etiã omnium vtriusque Testamenti librorum sacrorum? Veteris fortassis eadem ista, quæ de maiestate & stylo, aliisque demonstrationibus tuis adfers, à [illegible] etiam libris

Tobiæ, Iudith: Sapientiæ, Ecclesiastico, & Machabæorũ accõmodari posse. Doce horum aliquid illis deesse, vt demonstrationes tuæ pueriles aliquid veri continere videantur, & simul noueris, apud Logicos in demonstrationibus esse certissimum & clarissimum ratiocinationis modũ: quem si nõ attuleris, elenchos videbimus (vt hactenus) sophisticos, sed demonstrationem nullam, neque solidã ratiocinationẽ, multóque minus consequentiam necessariam.

HÆRETICVS.

Denique libros Noui Testamenti esse sacros & diuinos, demonstrat diuina eorũ efficacia: quæ partim in conuersione & correctione multorum, partim in pertinacium aduersariorum subiugatione sese exerit & prodit.

COSTERVS.

Neque hæc est firma demonstratio. Nisi velis B. Antonij historiam à D. Athanasio conscriptam, propterea in canonẽ sacrarum literarum referre, quod lecta, Augustini animum ad dolorem præcedentis vitæ suæ commouerit, eique vberrimas lachrymas expresserit. Et similiter verba Spiridionis Episcopi, superius ex Ruffino recitata, diuinã Scripturã facere: quod superbũ & pertinacem philosophum, Christianorum aduersarium correxerit.

HÆRETICVS.

Quę demõstratio adeò illustris est, vt nihil frequẽtius in [illegible] orthodoxorum aduersus

sus Scripturæ hostes differentium, scriptis occurrat.

COSTERVS.

Non opus est testimonio Patrũ: Cũ Apostolus dilertè testetur, in Euãgelio diuinam virtutem. *Non erubesco Euangeliũ*: (inquit) *Virtus enim Dei est in salutẽ omni credenti.* Rom.1. Sed hîc, *Notabis* 1. Euangelij nomine non solũ scripturam, sed euangelicã etiã prædicationẽ, & rem ipsam quæ prædicatur, intelligi debere. Sic ait B. Augustinus tria incredibilia facta esse. Primũ est, Christum occisũ resurrexisse, & cum carne in cælos ascendisse: Secundũ, ueni tã incredibilem mundũ credidisse: Tertiũ, mundo hãc rem per indoctos pauperes, ignobiles piscatores persuasam esse. Addit quartũ, incredibile portentũ: supereſſe aliquos, qui mũdo credẽte nõ credunt: non solũ Gentiles, sed hæreticos notans. Ille quippè est magnum portentum, & inflatũ monstrum, qui, mundo vbiq; eandem doctrinam profitẽte, & 15. sęculis retinẽte, nouum cõmẽtũ excogitare, & in lucẽ proferre audet. Quod igitur de Euangelij prædicatione, & de reipsa, quę prædicatur, B. Paulus, & sacri Doctores scripserunt, illud ineptè hæreticus ad sacras literas solas constringit. *Notabis* 2. in literis sacris & Dei verbo, duabus potissimum ex causis admirabilem energiam inesse, tum ex spiritu loquente, quo B. Petrus vna concione nunc (ut ait) nunc quinque millia Iudæorũ conuertit, sicut ex Eusebio, Theodoreto, & Chrysostomo citas)

Lib. 22. de Ciuit. cap. 5.

Act. 2. & 4.

Apostoli totius orbis gentes ad fidem adduxerunt: tum ex miraculis, quæ Christianæ doctrinæ veritatem confirmabant.
Act. 13. Ita mirabatur Sergius Paulus Proconsul super doctrina Domini, quæ Magnum Elimam oculis priuabat. *Notabis* 3. Magnũ discrimen intercesse inter Verbum Dei scriptum, & ore prædicatum. Tametsi enim in vtroque magna adsit efficacitas: maior tamen quando à viro sancto cum virtute spiritus proponitur, quã quãdo solũ legitur. Quia concionator eiusmodi, non solùm diuina verba loquitur, sed etiam Spiritu sancto impellente loquitur: ideo & in diuinis verbis, & in modo ipso inest diuina virtus. *Notabis* 4. Tametsi in diuinis verbis, seu scriptis, seu dictis, hæc Spiritus sancti virtus adsit, non tamen ita manifestè adesse, vt ab omnibus cognoscatur: etiam illis, qui peccato nullo grauiore, aut pertinaci voluntate, obstaculum ponunt. Certum est enim, multos Christianos, seu peccatores, seu alios, diuino verbo siue lecto, siue audito, non moueri. Ex quo fit, vt rationes, quæ ex prædictis demonstrationibus ducuntur, vim omnibus persuadendi non habeant: neque necessariam, (quam hic quærimus) efficiant consequentiam. Tria sunt hominum genera, qui vim scripturarum, & diuini verbi præcipiunt. *Primi*, Christiani pij, quibus cum persuasum hoc esse Dei verbum, quicquid scriptura loquitur, maximi illud

illud faciunt, & sicut Dei verbum decet, venerantur & admirantur: nihilque in eo superuacaneum esse norunt, neque iota, neque apicem, quod mysterio suo careat. Ita Hebræi apud Isaiã, in dictione למרבה *ad multiplicandum*, vbi nos legimus, *multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis*: obseruant ם, hoc est, *mem* finale, literam vndique clausam, quæ perpetuò in fine dictionis, nunquàm in principio, aut medio collocari solet, hîc solum contra naturam & consuetudinem in medio poni: quo, aiunt significari Messiæ regnum perpetuum, & omnia mundi regna concludens. Isaiæ. 9. vers. 7.

Ita Beatus Epiphanius contemplatur figuras A & ω. De quibus Christus dixit: *Ego sum Alpha & Omega. Alpha* (ait) *quod deorsum videt: Omega, quod sursum spectat. Vt impleatur quod dictum est, qui descendit, ipse est qui ascendit.* Hæres. 62. Ephes. 4.

Ita quoque viri sancti singula notant, meditantur & gustant. *Secundi* sunt, plerique fideles seu infideles: quorum corda Deus diuinis verbis mouet, vel vt conuertantur & vitam mutent, vel vt à malo concepto desistant. Sic B. Paulus Christi verbis conuersus est: & ministri Iudæorum ab ipso capiendo cohibiti. Ita Beatus Antonius Ecclesiam ingressus, vt legi audiuit. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, tãquam sibi dicta arripuit, & est exequutus: vt refert Athanasius. Simile quid accidit Beato Ethbino [illegible] Hiberniç, & plerisq Actor. 9. Ioan. 7. Math. 19. In eius vita. 19. Octobr.

pleriſque aliis, ſicut eorum acta referunt. *Tertij* ſunt, qui piis deſideriis & orationibus hoc à Deo impetrant, vt Spiritum ſanctũ in ſcriptura ſibi loquentem agnoſcant & intelligant. Quo modo D. Auguſtinus audita hiſtoria Antonij Monachi, commotus, & in hortum ſecedẽs, arrepto libello Noui Teſtamẽti, in eo ſtatim inuenit: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, &c.* Quibus verbis confirmatus, conſtituit mutare vitam, & ſęculo valedicens, Chriſtianã ſanctamque rationem viuẽdi complecti. Concludo his omnibus, rectè omnia à Patribus, de dignitate & laude ſacrarum literarum dicta: His tamen nullam effici neceſſariam cõſequentiam, ex ipſa ductam ſcriptura, quæ quempiam cogat: tum quia indicia illa tria non omnibus manifeſta ſunt: tum quia pleraq; etiam in aliorum ſanctorum ſcriptis percipiuntur, quæ & cum veteri Teſtamento conſentiunt, & ſublimia tractant, & põdus verborum habent & ſentẽtiarum maieſtate conſtant, &c. tum quod ea neque vos Caluiniſtæ in libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, &c. experimini, neq; Lutherani in epiſtolis Iacobi, Iudæ, &c. neque Beza in initio capitis 8. Ioannis.

Rom. 13.

HÆRETICVS.

Vt ad quæſtionem abs te propoſitã reuertar. Matthæi Euangelium eſſe ſacram

Scri

Scripturam, demonstrant ea argumenta, quæ iam explicaui: non solum externa, sed etiam interna, ex ipso Euangelio & reliqua sacra scriptura petita. Ac præsertim doctrinæ maiestas, hoc est, veritas, (quæ apparet in communi partium singularum cum toto, & totius cum reliquo Veteris & Noui Testamenti canone, in doctrina & ingenuitate & Prophetiarũ cum euentu conuenientia perpetua) sanctitas, sublimitas. Deinde sibi conueniẽtissima humilitas, pondus, authoritas. Denique diuina efficacia, quæ primum elucet in conuersione Ecclesiæ ad fidem & amorem sui: quæ libera oris confessione & testificatione sanguinis patefiunt. Deinde in clara de omnibus hostibus, qui inde ab initio extiterunt, victoria: quemadmadmodum de Iuliano apostata refert Theodoretus, &c.

COSTERVS.

Quæ tu pluribus verbis dicere conaris, ea Magister tuus Caluinus lõge compendiosius & clarius exponit. Nempè, sicut sol alio non eget lumine, vt videatur: sed suo ipsius lumine conspicuus est: ita scripturam sacram ex se nõtam esse, ac demõstrari sine ope alterius testimonij externi. Sed hîc quærimus, quid causæ subsit, cur res tam manifesta non ab omnibus cernatur? Nemo non videt solẽ aut lumen candelæ: quare pari ratione, nõ omnes Matthæi Euangeliũ, esse verbũ Dei [illegible] to Iulianũ,

Por

Prophyrium, cæterosque infideles, qui rem tam claram, & ex seipsa conspicuam, nosse debebant: Cur hæretici pleriq; scripturas quasdam reiecerũt, vt de Lutheranis iam sæpius obieci? Cur item non statim ab omnibus passim scripturæ omnes receptæ fuerunt? Cur de Apocalypsi, Epistola ad Hæbræos & nonnullis aliis, non exiguo tempore est dubitatum? Nam non minori claritate splendebant scripturæ, primis annis Ecclesiæ, quam nostro seculõ. Dices fortè, Cæcos fuisse, Infideles & Lutheranos. Sed, cur ipsi in paucis epistolis cæci, & in reliqua scriptura perspicaces? An cæci primi Christiani, quia Apocalypsin & epistolam ad Hæbræos non approbarunt? An cæcus, magnus ille vester Lutherus, qui Apostolicum spiritum non cognouit in epistola Beati Iacobi? An Beza vester cæcus, in historia adulterę? Cæcos vocatis illos, qui eo spiritu carent, quo dictatæ fuerunt sacræ literæ. Probo iudicium: & fateor vobiscum, Scripturam sacram iis omnibus priuilegiis à te enumeratis, prestare ceteris hominum scriptis, illisque qui diuino spiritu præditi sunt, diuinam, sanctam, & admirabilem videri, non tamen omnibus hominibus. *Si opertum est Euangelium*, ait Apostolus, *ijs qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij.* Sũt igitur non pauci, qui hãc in scripturas nõ cernũt: nimi

2. Cor. 4.

nimirum, infideles, seu Gentiles, seu Hæretici. Quocirca si te Turca quispiam, auditurus fidem, cõueniat, quo argumento ei demonstrabis, Matthęi Euangelium esse Scripturam diuinam? Adduces tua argumenta supradicta, maiestatis, sanctitatis, sublimitatis, &c. At respondebit, se nihil horum in eo videre: legisse se etiam Catholicorum aliorum doctorum libros, vbi nihil istorum suo iudicio desit. Quid tum tu? Dices, cæcũ: cum Iuliano & Porphyrio. Iustabit porrò, & petet illuminari, quæret diuinum spiritum, quo mens illustretur. Vbi illum ei exhibebis? En nodus quæstionis, & totius cõtrouersiæ huius ratio. Fatemur omnes, agnosci scripturas ex maiestate, sanctitate, &c. sed ab ijs solis, qui spiritu Dei vident. Quæritur, vbi, & in quo sit ille spiritus: An in catholicis, qui omnes libros vtriusque Testamẽti in quarta Synodo Carthaginẽsi enumeratos, recipiũt? An in Caluinistis, qui omnes noui Testamenti, sed in veteri cum Iudæis conueniunt? An in Lutheranis, qui nec omnes veteris, nec omnes noui? An in Swenckfeldianis, qui omnes prorsus de catalogo diuinarum literarum tollunt? Itaque cum Spiritus iste, quem quęrimus, non sit omnibus manifestus, certum est, etiam Scripturam sacram, quę hoc spiritu cognosci debet, ex se manifestam & omnibus notam non esse. Dices: Agnosci ex miraculis, quibus conuertit orbem, & hostes vniuersos Ecclesiæ prostrauit. At obijciet:

Nos

Non ſcripturam, ſed prædicationem diuini verbi, hę præſtitiſſe. Nec dum erat ſcriptura noui Teſtamẽti, cum D. Petrus conuertit 3000. & 5000. Iudęorũ. Barbarę Nationes ſine ſcriptura crediderunt; & 170. annis ſine ſcriptura fidem retinuerũt, vt ſuperius ex Irenæo vidimus. Confundi non debet Scriptura cum prædicatione: vt, quod hæc præſtitit, illi tribuatur. Orbẽ conuertit prędicatio, non Scriptura: cum Apoſtoli ante noui Teſtamenti literas quaqua verſus diſperſi, fidem Chriſti gentibus annũciarint. Nobis Catholicis non eſt difficilis, iſtius nodi ſolutio. Dicimus enim hunc diuinum ſpiritum in Catholica Eccleſia, (cui à Chriſto miſſus eſt, & vſque ad conſummationẽ ſeculi promiſſus) reſidere: neq; vllo vnquam temporis momento ab ea abfuiſſe. Priuatis hominibus, aut cætibus, nihil eiuſmodi addictum eſſe. Proinde nihil certi de ſpiritu, quo impelluntur, affirmari poſſe.

HÆRETICVS.

Lib. de verbo Dei, cap. 2. Audiatur Bellarminus Ieſuita. *At ſacris ſcripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil notius, nihil certius, vt ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illi fidem eſſe habendam neget.*

COSTERVS.

Agit aduerſus Svvenckfeldianos & Libertinos, di[illegible]arũ literarum irriſores: quos ait

ait cum *Moyse, Prophetis, Apostolis, & Christo ipso, ac Deo Patre & Spiritu sancto, pugnare.* Hi fidei regulam esse volunt, Non aliquid scriptum, sed priuatum cuiusque spiritum. *Sed*, inquit, *regula Catholicæ fidei certa, notaque esse debet. Nam si nota non sit, regula nobis non erit: si certa non sit, ne regula quidem erit. Porrò priuata spiritus reuelatio, vt in se certa sit, nobis tamen nota esse nullo modo potest: nisi fortè diuinis testimonijs, id est, veris miraculis confirmetur. Quorum extrema penuria ij præsertim laborant, qui hoc nostro seculo, non minus quàm cæteri, spiritum iactant. Nam quis mihi fidem faciet, non mentiri Anabaptistam, cùm se à Spiritu afflatum dicit? Sed fac, non mentiri: qua via cognoscam, spiritum illum spiritum lucis, & non tenebrarum esse? Et cum tam multi hoc tempore ducem & doctorem Spiritum sanctum habere se glorientur, & tamen inter se sic animis, sententijs dissideant, vt alij alijs sint Hæretici: fieri non potest, vt omnes rectè sentiant.* Hic notabis 1. Ad normam fidei duo requiri: certitudinem, & notitiam, quæ etiam in aliarum omnium rerum norma & regula cernuntur: siquidem in se debet esse certa, alioquin nequit esse aliorum regula: tum necessum est, vt nota ijs sit, qui ea volent vti. 2. Spiritum priuatum cuiusquam non esse regulam eiusmodi. Hac potissimum ex causa: quod eius certitudo extra non sit. Vnde

ma

manifestè id consequitur, quod paulò ante concluſimus: Spiritum illum, qui ſcripturas ſacras à non ſacris diſcernit, ignotum eſſe, niſi diuino teſtimonio demonſtretur. Et quia ſine hoc ſpiritu ſacræ literæ dignoſci nequeunt, (vt dictum eſt) fit vt lumine ſolo ſuo non videantur, neque certò ſciatur, à quibuſnam videantur. hoc eſt, qui cęci ſint, qui ſpiritu diuino illuſtrati. At pergamus in Bellarmino.

HÆRETICVS.

Notiſſimas eſſe, teſtis eſt orbis Chriſtianus, & cõſenſio omnium gentium: apud quas multis iam ſeculis ſummã ſemper authoritatem obtinuerunt.

COSTERVS.

En quare literæ ſacrę ſint notiſſimę, non quia ſacræ, aut diuinæ, aut aliis ſupra enumeratis priuilegijs ornatæ, ſed quia vbique receptę, hoc eſt, quia nobis eas tradit Eccleſiæ authoritas. Pergit ex Bellarmino.

HÆRETICVS.

Certiſſimas autem, atque veriſſimas eſſe, nec humana inuenta: ſed oracula diuina continere. Primò, teſtis eſt veritas vaticiniorum. Secundò, incredibilis quædam, & planè diuina conſpiratio atque concordia tot virorum, qui diuerſis locis, temporibus, linguis, occaſionibus, ſacra volumina conſcripſerunt. Tertiò, teſtis eſt Deus ipſe: qui

qui aliquando cæleſti animaduerſione ſcripturam hanc ſuam ab humana profanatione defendit. Quartò, teſtis eſt ipſa Scriptura: cuius ſi veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, vt euentus poſtea comprobauit: cur vera non ſint rerum præſentium teſtimonia? Poſtremò, teſtis eſt infinitus prope numerus diuinorum miraculorum, quæ omnibus ſæculis facta ſunt, ad ea dogmata comprobanda, quæ his literis continentur.

COSTERVS.

His quinque rationibus, & prçcipuè prima, ſecunda, & quarta, quæ ab interna Scripturæ conditione ducuntur, probat Scripturam eſſe fidei regulam: hoc eſt in ea nihil deſiderari, quod ad certitudinem regulæ pertineat, cum ſit vera, conformis alijs, &c. Quod nemo vnquam negauit. At non demonſtratur neceſſaria conſequentia, ex his fieri omnibus manifeſtum, eam eſſe eiuſmodi regulam. Dicet enim Infidelis de vniuerſa Scriptura, & Lutheranus de Epiſtolis Iacobi, ſecunda & tertia Ioannis, B. Pauli ad Hæbræos, & Apocalypſi: Se in his veritatem agnoſcere, & conſpirationem cum alijs, &c. ex eo tamen non effici quod ſint diuinæ: cum in multis humanis ſimilia cernantur. Idem dicetis vos, de libris Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ & Eccleſiaſtici. Tertia & quinta rationes plus habent ad hanc rem momenti. Sed cum non deſumam

desumantur ab internis scripturæ, sed ab externis diuinis miraculis, nihil iuuant tuã consequentiam, præsertim apud vestri similes, qui miracula dæmonis illusionibus tribuitis.

HÆRETICVS.

Qua de re celebris impudentiæ Hosij Cardinalis sententia, qua impium illud dictum, *Scripturas valere, quantum fabulas Æsopi, si destituantur authoritate Ecclesiæ*, excusare studet. Et addit: *Nam reuera nisi nos Ecclesiæ doceret authoritas hanc Scripturam esse canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.*

COSTERVS.

Sic habet doctissimus, & pientissimus Cardinalis Hosius, Hæreticum Brentium alloquens: *Fingamus nunc verum esse, quod tu, scripsisse, nescio quem, narras, (Nam nomen non exprimis, ac fieri potest, vt sit commentum tuum) Scripturas valere, quantum fabulas Æsopi, si destituantur authoritate Ecclesiæ. Cedo Brenti: Non hic minus reuerenter de scripturis locutus est, quam* Lutherus) *qui vocat eam, librum hæreticorum, cum tamen nullorum sit minus, quàm Hæreticorum. Est enim Catholicorum propriæ: qui tot seculis in eius possessione præscripserunt. Et potuit illud tamen pio sensu dici: quem homo pius, qui charitatem habet, quæ non cogitat malum, ex ijs verbis eliceret. Nam reuera nisi nos Ecclesiæ doceret au-*

ib .3.contra Brentium.

thoritas,

thoritas, hanc scripturam esse canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet. Hæc fusius recitaui, tum, vt quanti magnus ille Lutherus scripturas fecerit, (quas librum hæreticorum nominat) Lector agnoscat. tum, vt hæreticorum impostura videat, qui sua commenta Catholicis affingunt. Et nihilominus verum dixisse Dominum Hosium, res ipsa nos docet. Siquidem nostri temporis hæretici, vt semel suam Ecclesiæ authoritatem sustulerunt, magis in Scripturam iniurij sunt, quàm in fabulas Æsopi. His enim concedunt veritatem, & sana documenta: at Scripturas arguunt mendacij: sicut Caluinus, librum sapientiæ, & Lutherus epstolam Beati Pauli ad Hæbreos, quam asserit quædam continere contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam, & epistolam Beati Iacobi Apostoli, quam appellauit stramineam. Quid amplius dixit Cardinalis Hosius, quàm ante illum Beatus Augustinus: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas?*

HÆRETICVS.

Quæris, vbi Euangeliũ Matthæi & Marci in scripturis diuinis potius, quàm Nicodemi aut Thomæ, commendatur? Quasi verò non totius veteris & noui Testamenti comparatio, & eę demostrationes quas modò adduximus, id perspicuè ostendant

COSTERVS.

Quia malè demonstrarunt, idcirco demonstrationes non fuerunt. Nicodemi Euangelium ego legi, & B. Pauli, quę circumfertur ad Laodicenses epistolam: In his nihil obseruaui cum antiqua scriptura pugnans, nullum mendacium: sed doctrinam sanam, Catholicam, diuinam: Quid in ipsis ergo fuit, quod à catalogo sacrarum literarum explodi mereantur? Demostrationes à te superiùs allatæ, nihil efficiunt aliud, quàm vt scripturæ sanctæ demonstrent proprietates & internas conditiones: non autem, vt necessaria consequentia concludant, hos vel illos libros diuinam esse scripturam, & ijsdem proprietatibus à Spiritu sancto dictatos. Quemadmodum enim, cum sanctam Catholicam Ecclesiam varijs conditionibus describimus & demonstramus, nimirum, quod sit columna & firmamentum veritatis, quod à Spiritu sancto regatur, quod sola doceat incorruptam Christi legem, quod sola retineat orthodoxam fidem, quod sola sincerè interpretetur scripturas, quod sola prædicet purum verbum Dei, quod sola administret legitima Christi sacramenta, &c. eæ conditiones & demonstrationes à vobis recipiuntur quidem; ijs tamen vobis hæreticis non persuadetur, Romanam Ecclesiam (quæ nobis Catholicis eas proprietates continet) esse veram Ecclesiam Christi, quod [illegible] non in nostra cognatis, sed

in ſua quilibet veſtrûm ineſſe velitis : Ita tuis demonſtrationibus recipimus ſcripturæ proprietates : ſed iis non cogimur admittere certos pro Scriptura libros. Librum Hermę (quem Paſtorem nominant) magni fecerunt veteres, & ad ſua confirmanda dogmata citarũt *a* Irenæus, *b* Origenes, *c* Clemens Alexandrinus, *d* Tertullianus, &c. *e* B. Hieronymus Euangelium Nazarenorum in Latinum transtulit: quod *f* Beda non eſſe inter Apocrypha ponendum arbitratur. Papias, B. Ioannis auditor, ex Euangelio ſecundum Hebræos, refert apud *g* Euſebium hiſtoriam, quæ nullis ex noſtris Euangeliis continetur. *h* Clemens Alexandrinus non rarò præclaras ſententias ex ſcriptis Matthiæ & Barnabæ Apoſtolorum recitat: & B. Petri inſignem orationem, quæ non extat in Scripturis. Hæc omnia vel ab Apoſtolis (iudicio veterum quorundam) vel ab Apoſtolorum temporibus conſcripta, cur non referuntur in numerum canonicorum librorum: cum tantorum virorum teſtimonio & citatione digna fuerint? Deniq;, (vt idem repetam) cur Lutherani epiſtolas Iacobi, ſecundam & tertiam Ioannis, B. Pauli ad Hebræos, & Apocalypſin reiiciunt: & vos pleróique veteris Teſtamenti libros? Ratio eſt, quia demonſtrationes tuę nulla neceſſaria conſequentia de illis concludunt.

a Lib. 3. cap. 2.
b Lib. Periarchon.
c Lib. de Oratione.
d Lib. 2. & 6. Stromatum.
e In Matt. 12.
f In Luc. 1.
g Lib. 3. hiſtor. cap. 39.
h Li. 2. 3. & 6. 7. Stromatũ.

HÆRETICVS.

Auguſtinus ſic ait: *Infel[illegible]ici animæ* Lib. 23. contra Apologia 2. *veſtræ* Faust. cap. 6.

vestræ! quæ vnquam literæ vllum habebunt pondus authoritatis, si Euangelicæ, si Apostolicæ non habebunt? de quo libro certum erit, cuius sit: si literæ, quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes Gentes tanta eminentia declarata, vtrum Apostolorum sint, incertum sit: & hoc erit certum, ipsissse Apostolos: quos huic Ecclesiæ contrarij hæretici proferunt authorum suorum nominibus appellatos, longè post Apostolos existentium. Quasi verò in literis secularibus, non fuerint certissimi auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, & ideo repudiata, quia vel his quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerunt, vel eo tempore quo illi scripserint, nequaquam innotescere, & per seipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique meruerunt.

COSTERVS.

Beatus Augustinus aduersus Faustum Manichæorum Episcopum, disputans, qui sanctos Euangelistas, quod inter se pugnãtia scribere viderentur, partim reiiciebat, partim à Catholicis deprauatos asserebat: sed Euangelium suum secundum Thomã pro diuina scriptura obtrudebat: His à te recitatis verbis quatuor dicit. *Primum*, Nullis literis parem haberi auctoritatem & fidem, scripturæ diuinæ: quod nemo dissentiet. *Secundum*, quænam sint istæ Scripturæ

pturæ diuinę, quibus tanta debetur auctoritas & fides, ab Ecclesia haberi, quæ ab Apostolis propagata est, & per omnes Gẽtes tanta eminentia declarata. *Tertium*, fidem non habendam iis libris, quos hæretici huic Ecclesiæ contrarij, proferunt autorum suorum nominibus appellatos, qui longè post Apostolos extiterint. (Notat Euangelium Thomæ, discipuli Manetis, ad Indos prædicationis ergò à Manete missi) licet præferant nomina Apostolorum Christi. Cum non desint etiam seculares libri, falso magnorum virorum, vt Hypocratis, Platonis, Aristotelis, &c. nominibus inscripti. *Quartum*, has Manichęorum scripturas non esse diuinas, similibus argumentis deprehendi, quibus prædicti Gentilium suppositij libri repudiati sunt: nempe, 1. quia cum aliis eorum scriptis non congruerunt. 2. quia eo tempore, quo illi scripserunt, nequaquam innotuerũt. 3. quia per ipsos, aut familiarissimos eorũ in posteros prodi, commendarique non meruerunt. Itaque Scripturam non esse diuinam demonstramus. 1. si cum alia diuina pugnet: sicut prædictum Euangeliũ Thomæ. 2. si Apostolorũ temporibus nulli innotuit, sed postea in notitiam venit. 3. si neque ab Apostolis, eorum auditoribus & discipulis, neque ab his eorum posteris sub nomine Scripturę diuinę tradita fuerit. Hic nihil eorum audio, *quæ* tibi probãda fuerunt: nimirum, conc[illegible] necessariã

ex

ex sacris literis colligi, quinam sint canonici libri. Audio tantùm, notissimos esse libros canonicos, sed ex authoritate Ecclesiæ, quæ eos nobis tradit. Quod idem alibi dixit, *Scripturæ non crederem, nisi Ecclesiæ me commoueret authoritas.*

HÆRETICVS.

Idem Augustinus, de consensu Euangelistarum: *Cæterique autem homines, qui de Domini vel de Apostolorum actibus, aliqua scribere conati sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, vt eis fidem haberet Ecclesia, atque in authoritatem canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet. Nec solùm quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt: quæ Catholica & Apostolica regula fidei, & sana doctrina condemnat.* lib. 1. cap. 1.

COSTERVS.

Duas audio rationes, cur quorundã scripta nõ admiserit Ecclesia, in sacrarum literarum authoritatem. Vnam, à vita Scriptorum non probata: quę cum sit externa, nihil ad rem facit: cum internam ex ipsa scriptura causam quęramus. Alteram, quia falsa quædam admixta fuerint, aliena à Catholica veritate: quæ interna quidẽ est: Sed 1. vt hac ratione probentur aliorum scripta non esse canonica, nõ demonstratur tamen quæ sint canonici libri: cum plerique

plerique non canonici à viris sanctis sint editi, & nihil habeat alienum à Catholica veritate In Nicodemi Euãgelio nihil eiusmodi reperias, neque in libro Pastoris, neque in Canonibus Apostolorum, aut Epistolis Clementis viri Apostolici & Apostolorum discipuli, non minus quàm Marcus & Lucas. 2. Antequam populis innotesceret Euangelica veritas, si quispiam illud Euangelium Nicodemi, Matthiæ, aut Thomæ, pro Dei verbo obtrusisset, & alius eis Matthæi Euangelium proposuisset: quo argumento vtendum erat, vt legitimum à spurio discerneretur? Priores dicebant, In suo cõtineri Catholicam veritatem: posteriores, in suo. Nonne hic recurrendum fuisset ad Apostolos: hoc est, ad Ecclesiam, cuius authoritate prædicabatur veritas, & impostura prodebantur? 3. Postquam iam veritas admissa est, & noui Testaméti scripta pro diuino verbo recepta, non mirum si ad ea, tãquam ad certissimam fidei regulam, omnia aliorũ scripta collimentur. Nos autem loquimur de prima, quæ non nisi per Ecclesiam facta est, traditione. 4. Etiam hoc tempore quì sciam Matthæi Euangelium esse Dei verbum, & non Thomæ, aut Nicodemi? Dices: Ex veritate. Sed quomodo veritatem in Matthæi potius, quã in Nicodemi Euãgelio conspiciam? Si pugnantia loquantur, cur illi potius, quàm [illegible] credam? Dices: Ex conformi doctr[illegible]eteri Testa-

mento. At nihil difforme est in Euangelio Nicodemi: Dices, ex phrasi diuina. Sed vnde eam ab humana discernam? Deus humanis sermonibus vtitur, pro Scriptorum eloquentia & eruditione. Vnde eloquentior est Isaiæ, viri nobilis prophetiæ, quàm Amos, hominis rustici, & pecorum pastoris: Et B. Lucas, tanquaam Græci sermonis nõ iguarus, (vt ait D. Hieronymus) purius scripsit cæteris: Sermone differunt duæ B. Petri Epistolæ: & Epistola B. Pauli ad Hebræos à reliquis eius scriptis discrepat. Infirma & non necessaria est consequentia, quæ à phrasi ducitur. Itaque cum non pateat effugium ex internis scripturæ, necessum est vt ad Ecclesiæ authoritatem cum B. Augustino, & cæteris omnibus Patribus confugias: quæ sicut Euangelicam veritatem sola docet: ita illam testatur solis nostris, & non alienis Euangeliis & scriptis contineri.

HÆRETICVS.

Sic ante Augustinum Ambrosius: *Sicut multi in illo (Iudæorum) populo, diuino infusi spiritu prophetauerunt: Alij autem prophetare se pollicebantur, & professionem destituebant mendacio: Erant enim Pseudoprophetæ potius, quàm Prophetæ: sicut Ananias filius Azot. Erat autem populi gratia, discernere spiritus, vt cognosceret quos referre deberet in numerum Prophetarum: nos autem quasi bonus nummularius*

Prom. in Lucam.

larius improbare: in quibus materia magis corrupta sorderet, quàm veri splendor luminis resultaret. Sic & nunc in nouo Testamento, multi Euangelia scribere conati sunt: quæ boni nummulary non probarunt. In quo numero refert Euangelium Thomæ, &c.

COSTERVS.

Neque hîc audio, ex Scripturis demonstrari genuinos Scripturæ libros: sed ex veritate doctrinæ semel receptæ, spurios reprobari. Eodem ferè modo quo B. Ioannes iubet probari spiritus, si ex Deo sint: & D. Paulus, diiudicari Prophetas: & Christus Dominus, attendi à falsis Prophetis. Hoc modo discernimus hæreticorum falsitatem: quæ cum recepta Euangelij doctrina non conuenit. At controuersia nostra quæritur, non de receptis libris seu doctrinis, sed de recipiendorum iudicio: sicut paulò ante declaratum est. Pono, necdum à me admissam fidem, aut noui Testamenti libros: quomodo ex internis Scripturæ hos potius quam illos, pro Dei verbo ad mittere cogar? 1. Ioan. 4. 1. Corint. Matth. 7.

HÆRETICVS.

Et Hieronymus ait: Plures fuisse qui Euãgelia scripserunt, *quæ* (inquit) *à diuersis authoribus edita diuersarum hæreseon fuere principia, vt est illud, iuxta Aegyptios, & Thomã, & Matthiam, & Bartholomæum, duodecim quoq; Apostolorũ, & Basilidis atq; Apellis & reliquorum, quos enumerare lon[illegible] est: cũ tantum*

in præsentiarum hoc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui sine spiritu & gratia Dei, conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ veritatem.

COSTERVS.

Eodem pertinent ista. Nam à multis PseudoChristianis, falsisque Prophetis varias esse confictas historias, non diffitemur. Sed hoc est quod quærimus: Quo argumento, ex libris ipsis desumpto, hæc figmenta discernam? Dicam: In nostris Euangeliis non deesse commenta: veráq; esse, quæ alij scripserunt: quæ necessaria consequentia me compellet, nisi Apostolorum, qui nostras scripturas & doctrinas probarunt, & alias repudiarunt, hoc est Ecclesiæ auctoritas?

HÆRETICVS.

b.3 histor. p.22. Optimè verò Eusebius: *Quæ sub nomine Apostolorum, siue Petri, siue Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum præterea Euangelia, aut veluti Andreæ, & Ioannis, aut aliorum Apostolorum acta continentia, ab hæreticis proferuntur: quorum nullam vspiam vel aliquis Ecclesiasticæ successionis scriptor mentionem in commentarijs suis facere dignatus est. Porrò & phraseos character à consuetudine Apostolica variat, & ipsa sententia, & propositum eorum, quæ in illis adferuntur, plurimum à veritate rectæ doctrinæ discrepant: & quod hæreticorum sint virorum figmenta, perspi-*

cuè

cuè conuincunt. Quapropter ne inter adulterina quidem ponenda: sed tanquam, omninò absurda & impia, auersanda sunt.

COSTERVS.

Rectè cum Christianis loquitur: non autem cum Infideli, qui nullas adhuc Christianas siue scripturas, siue doctrinas admisit. Huic enim demonstrandum est consequentia necessaria per literas sacras, figmẽta esse illa hæreticorum scripta, nostra autem verba diuina. Duo, inquam, probanda sunt. *Primum*, aliorum euangelia & scripta esse adulterina, & non vera: quod ei persuaderi per scripturas non potest, qui veritatem nondum admisit, sed quærit. *Alterum*, scripturas nostras esse verbum Dei: quod ex solis literis sacris, neque à Christianis, neque ab Infidelibus cognosci potest, cum nõ desint virorum sanctorum libri, iis omnibus prærogatiuis donati, quibus demonstrationes tuas confecisti.

HÆRETICVS.

Obiicis: *Vbi habetur, duodecim articulos fidei ab Apostolis esse Ecclesiæ relictos?* Verùm id non est ad salutẽ necessarium, vt credamus symbolum ab Apostolis esse conflatum: sed satis est, doctrinam symboli tanquam ex Dei verbo haustam, & doctrinæ Apostolicæ cõsentaneam, amplecti, quandoquidem non aliunde quam ex sacris literis petitum & concinnatum est.

COSTERVS.

Duo de hoc Symbolo omnibus credẽda sunt. 1. Esse ab Apostolis nobis conscriptum & traditum: non enim minus appellatur symbolũ Apostolorum, quàm Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Proinde, sicut hæreseos notaretur, qui hęc Euangelia, non esse iis auctoribus conscripta, quorum nomina præferunt, tueri vellet: ita firma fide credendum est, hoc Symbolum ab Apostolis per manus nobis datum. Sic hactenus semper credidisse Ecclesiam, docent veteres omnes, *a* Clemẽs Pontifex, *b* Irenæus, *c* Epiphanius, *d* Cyrill⁹ Hierosolymitanus, *e* Hieronym⁹, *f* Ambrosius, *g* Ruffinus, *h* Augustinus, *i* Leo Põtifex, & Maximus Taurinensis, &c. 2. Esse ex scverbũ Dei, & credẽdum: Nõ quia ex variis scripturæ locis collectum, sed quia nõ minus à Spiritu sancto dictatum, quàm cęteræ scripturæ. Ponis vt arbitror, discrimen inter hoc symbolũ, & alia tria: Nicęnum, Constãtinopolitanum, & Athanasij. At ista nihil cõtinẽt, nisi quod literę sacrę tradũt. Qua igitur in re discrepant: nisi quod hæc diuinam quidem veritatẽ proponant, sed humanis verbis conscriptam, illud diuinis verbis sit à Spiritu sancto dictatum?

a Epist. 1. Lib. 1. ca. 3.
b lib. 3. cap. 4. Hæres. 72.
c In Catechesib. illuminatorum.
d Ad Pammachium
e Epist. 81.
f In expos. symboli.
g De fide & symbolo ex serm. 115. de tempore.
h Serm. 57. & epist. 13. & Serm. de traditione Symboli

HÆRETICVS.

Quarta, qua scripturæ perfectionẽ oppugnas, ratio hæc est: *Prætereà formas multorum sacrarum literarum, iustis de causis, ait*

Beatus

Beatus Dionysius Areopagita esse suppressa.

COSTERVS.

Impudenti mendacio calumniaris, hęretice. Absit, vt scripturæ perfectionē impugnem. Hæreses tuas euertimus scripturis; sacrasque literas veneramur, atque vt perfectissimas; sūma demissione colimus. Aniideò imperfectas dicimus quod extra eas aliud agnoscimus verbum Dei scriptū in corde Ecclesię, quo nonnulla nouimus, quæ scriptura non exprimit? Dic igitur singulorum Euangelistarum libros imperfectos, qui de Christi sermonibus & gestis multa prætermiserunt: & disce primū, quid sit imperfectum. Videris imperfectum definire, quod non continet omnia. At erras grauiter. Domus ciuis perfecta est, tametsi careat stabulo equorū, musæo scriptorio, officina sartoria, bibliotheca, pharmacopolio, armamētariis, sutrinis, tōstrinis, pergulis, peristyliis, aliisque id genus domorū partibus. Præcepta syntaxeos perfectè tradi possunt, sine poëti: & huius sine philosophia, & huius itē sine Iurisprudentia, &c. Imperfectū igitur est, nō cui aliquid deest, sed quod ea re, quæ ad eius institutum necessaria est, caret. Sic imperfecta est domus, si desit tectū, ianua, culina, vel officina artificis, &c. Imperfect' homo, manib. mutilatus, aut aliis mēbris, &c. Perfectū est autē, in quo nihil eorū desideratur, ad quod est institutū. Itaq; si noui Testamēti libri ad id cōscripti essēt, vt no[illegible]a methodo,

vniuersam Christianam traderent doctrinam meritò argui possent imperfectionis: At neque ad id esse scriptos, neque alicui Apostolorum, vt tale quid ederet, mandatum vel commendatum, sole clarius patet. Scimus quibus occasionibus conscripti sint singuli libri: Et Christus mandauit Euangelium prædicare, non conscribere. Cùm enim ipse digito Dei, hoc est, Spiritu sancto, omnem veritatem in corde Ecclesiæ scripturus esset, noluit Apostolis alias scripturas edendi necessitatem imponere. Non quod superuacaneæ essent literæ: quas ipsi conscriberent: sed quod sine illis Ecclesia posset in orthodoxa fide perdurare: sicut sine vllis scripturis, multæ Barbarorum prouinciæ Catholicam doctrinam plus 150. annis incorruptam retinuerunt, quemadmodum superius ex B. Irenæo testatus es. Apostolorum & Euangelistarum libri abundè id præstiterunt, & præstant, ad quod nobis dati sunt, quamobrem non imperfecti, sed perfectissimi agnoscuntur, & suscipiuntur à nobis.

HÆRETICVS.

Prudentiùs Dionysij testimonium silentio suppressisset. Primum quia huius Scriptoris fides parui meritò in fidei dogmatis æstimanda est.

COSTERVS.

Monendus est Lector, Catholicorum Conciliũ, quo dogmata Christiana veterũ Patrum testimonijs confirmant, non hoc esse,

esse, quod nobis affingunt hæretici, nimirum, vt ideo credantur, quia illi sic censuerunt, aut docuerunt, quemadmodū ineptiuit quidam Caluinista Bellarmini scripta oppugnans. Nam quoties hic alicuius Patris, seu Augustini, seu Ambrosij, vel alterius, testimoniis vsus fuerat, imperitus ille Sophista hoc modo suam ratiocinationē instituebat: *Bellarminus sic argumentatur, Quicquid Augustinus scripsit, (vel alius quispiam ex veteribus) est fide tenendum: Atqui hoc scripsit Augustinus: Ergo est fide tenendum.* Solutio, Negatur propositio maior. Sed duabus de causis Veterum testimoniis vtimur: *Prior* est vt fidē tot sæculis continuatam, & constantem veteris Ecclesiæ agnoscamus: cuius nulli certiores esse possunt testes, quē Ecclesię Prælati, Episcopi, & Doctores: qui variis sęculis, omnibus in locis, populū in fide erudierūt & cōseruauerunt. Ex August. nouim⁹, quid Africa ante 1100. annos crediderit: ex Basilio, Gregorio Nazianzeno, Niceno, Chrysostomo: quid Græcia: ex Cyrillo Hierosolymitano & Hieronymo, quid Palestina: ex Latinis scriptoribus seu Pontificibus, seu aliis, quid Ecclesia Occidentis, &c. ex antiquioribus Tertulliano, Cypriano, Iustino, Clemente, Alexandrino, &c. quid ibi prioribus sęculis creditum sit: ex posterioribus vsque ad sęculum nostrum, quid etiam tunc vbique. Cumque omnium sæculorum eandem ex ipsorum scriptis agn[illegible] doctrinam, certiss

certissima consequentia concludimus, hãc nostram orthodoxam fidem per tot sęcula ad nos vsque incorruptam defluxisse. *Altera* est, vt ex doctrina & sanctitate tot sanctorum Patrum, catholicam fidem comprobemus, tria in illis fuerunt, quæ nos meritò ad eorum fidem mouere debent.

1. Insignis omnis generis eruditio. Quid ignorare potuit Hieronymus, tot linguarum peritus, qui nullum librum Latinum, Græcum, Hebræum, intactũ, reliquit? Quid latebat doctissimum par illud, Basilium & Nazianzenum, cum fratre alterius, Nysseno: quorum sapientiam admiratur orbis; Quid Augustinum: cui vix parem, ne dicã maiorem, inuenias? Quid Ambrosium, Hilarium, & innumeros alios, tum Latinos, tum Græcos, tum Syros, qui suis scriptis Ecclesiã insigniter illustrarũt? Eorum scientia nos docet, quod ignorantia veritatis non laborarint.

2. Admirabilis sanctitas, miraculis & in vita, & post mortem etiam comprobata. Si sancti fuerũt, ergo orthodoxam tenuerunt fidem: Quia sine fide orthodoxa, impossibile est placere Deo.

3. Vicinitas temporum Apostolicorum, à quibus abfuerunt alij centum annis, vt Irenæus, alij ducentis, vt Tertullianus, Cyprianus, &c. alij trecentis, vt Niceni Patres. Item Athanasius, Basilius, &c. Cùm

ergo

ergo certius ea nouerimus, quæ viciniora nobis sunt, maior erit fides habenda veteribus, qui ab Apostolis parum distarunt. Hinc efficio Sancti Dionysij fidem non immeritò maximi faciendam. 1. Quia omni scientiarum genere fuit instructissimus: sicut eius opera docent. 2. Quia gloriosus & inuictus martyr pro Christi fide, & hominũ salute, sanguinem fudit, miraculis illustris. 3. Quia Apostolos audiuit & vidit, eorúmque doctrinam scriptis suis nobis tradidit.

HÆRETICVS.

Nec enim (vt fallam inscriptionem secutus opinaris,) idem est Dionysius ille Areopagita: cuius Acta Apostolorum meminerunt, sed multo recentior auctor, & à puritate ac simplicitate Apostolica remotissimus.

COSTERVS.

Et vnde id nosti, censor hæretice? Falsò tibi arrogas spirituum discretionem: qui in hoc Apostolico viro, Apostolicum spiritum non agnoscis. Sint Erasmus vester, similesque scioli, de hoc Dionysio aliter opinati: congesserintque rationes varias, pro suo quisque iudicio: ego, cum piis & doctis omnibus, censeo temerariũ esse, recentiorẽ facere librorũ B. Dionysij auctorem. 1. quod ipse, cum Ap[illegible]ane philosopho, defectum solis, te[illegible] Dominicæ passio

Epist. 7. ad Polycarp. & 11. ad Apollophanem.

passionis, cùm esset annorum viginti-quinque, Heliopoli in Ægypto vidisse, referat. 2. quod fateatur, se cum B. Petro, Iacobo fratre Domini, aliisque Pontificibus adfuisse: *quando illi ad conuendum corpus illud, quod auctorẽ vitæ Deũq; ceperat, conuenerũt*: quod Græci passim, de obitu B. Virginis Mariæ interpretantur. 3. quod eius librum de cælesti hierarchia, ante mille annos B. Gregorius citauerit: & non pauca ex eius libris Concilium tertium Constantinopolitanum, (vt etiam testatur Sixtus Senẽsis) in fidei cõfirmationem adduxerit. 4. quod ante annos 800. Michael Imperator hos B. Dionysij libros, ex Græcia ad Ludouicum secundum in Galliam, tanquam germana eius opera, miserit: quorum aduentu Parisios, 8. Octobris, decem & nouem infirmi variis morbis curati fuerunt: vt Hilduinus Abbas oculatus testis, epistola ad Ludouicum Imperatorem fatetur. Voluit enim Deus miraculis fidem nobis facere, hos esse B. Dionysij Areopagitæ libros: eundemque esse Dionysium à Beato Paulo conuersum, & Athenien sibus datum Episcopum, cum eo, qui à B. Clemente Papa missus in Gallias, ibi pro Christi fide occubuit: quod idem testantur sanctissimi viri, Christiq; confessores, Methodius Cõstantinopolitanus Patriarcha, & Michael Syngellus monach⁹ Hierosolymitanus: qui eodem tẽpore circa annũ Domini 834. B. Dionysij la[illegible], & res gestas scriptis mandarunt

ap. 3. de di. nomin.

omil. 34. Euang.

ãã in Suriõ. 9 Octob.

darũt. 5. quod his 700. annis magno cõsensu, tum Græci, tum Latini hos libros pro Dionysij scriptis habuerint. Nam quod nasuturi quidam posterioribus annis aliter arbitrati sint, illi non est mirum, qui nullo seculo curiosos Nouatores defuisse nouit. 6. Quòd rationes ab aduersarijs allatas, multi feliciter dissoluerint: vt Anastasius Bibliothecarius, &, quos nominat Sixtus Senẽsis, & postremò Illustriss. Cardinalis Baronius. Tom. 2. ann. 109.

HÆRETICVS.

Nec magnam, in multis apud vos, illius esse authoritatem, maximum plurimarum superstitionum (quas tanquam necessarias & diuinas commendat) cum Pontificiæ Ecclesiæ consuetudine dissidium perspicuè euincit.

COSTERVS.

Cur hæc superstitionum dissidia non nominas? Video ritus Baptismi à B. Dionysio enumeratos, & doctissimè explicatos, à nobis retineri: meminit benedictionis aquæ baptismalis, vnctionis ante baptismum, & iterum Chrismatis post baptismum, abrenunciationis, exsufflationis, mutationis vestis, susceptorum, &c. Missæ sacrificium, eiusque ceremonias exponit? præclara de sacro Chrismate scribit, & sacramento Confirmationis, quam τελετὴν, hoc est, perfectionem vocat: tum de consecrationibus Episcoporum, presbyterorum, & ministrorum: deinde de Monachorum vocis, consura, habitu, ritusque professionis: denique Apostolica tradi Eccles. hier. c. 1. Cap. 3. Cap. 4. Cap. 5. Cap. 6.

traditione sepliendi Christianorum mortuos cum hymnis & orationibus. *Precatur* (inquit) *oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in luce statuat & regione viuorum, in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, & tristitia, & gemitus.* Hæc omnia, vt Apostolicas traditiones veneramur. Si quædam variauimus, ea leuia sunt, & Sacramentorum substantiam non attingunt: vt quod ante baptismũ Catechumenus perfũdebatur oleo, nos antiqua traditione pectus & scapulas vngimus, & quod in defunctum oleum infundebatur, eius loco nos aquam benedictam asperginus, &c. Neque nos variauimus, sed ab Apostolis immutata accepimus: qui data nobis sacramentorum substantia, permiserunt Ecclesiæ Præsulibus pro re nata, & temporum varietate, ceremonijs diuinum cultum ornare.

HÆRETICVS.

Testimonium Dionysij mala recensesfide. Ait enim eo, quem citas, loco: *Precationes mysticas fas non est scripto interpretari, neque ipsarum arcanum: siue illas, quæ in his ex Deo fiunt virtutes, ex adyto in publicum efferre.* Sed ijs verbis agit tantùm de superstitiosis precib⁹ in mortuorum sepultura adhibitis: non autem de multorum Sacramentorum formis, vt falsò affi[rmas].

COSTE

COSTERVS.

Hæc est interpretatio tua, hoc est, hæretici. Ego Catholicus aliter B. Dionysij verba accipio: vt non solùm ad mortuorũ suffragia, sed ad omnia toto libro dicta, referantur, sintque operis conclusio, respiciens id quod initio libri dixerat: *Obserua diligentius ne sancta sanctorum efferas, neu prophanis liminibus violanda permittas, verum reuereberis magis occultiq; Dei mysteria spiritualibus, visibilibúsque notionibus honorabis, atq; intemerata seruabis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solis sanctorum intelligentias sacratius pandens.* Monet igitur Timotheum, ne passim mysteria omnia vulgentur: his porrò finem impositurus, quæ de illis mysterijs & sacramẽtis tractarat, quæ de adultis adhibeatur in Ecclesia, excusansq; se cur verba quibus Præsules in his mysterijs vti consueuerunt non exposuerit, Sic ait: *At verò efficientes consecrationis preces, fas non est scripto interpretari, neque ipsarum arcanum, siue illas, quæ Quæritur. ex Deo sunt, virtutes, è secreto in publicum eu[illegible]erre. Sed sicut nostra habet sacrosancta traditio, vbi eas secretioribus institutionibus hauseris, atq; ad sacratiorem habitũ, capaciorémq; intelligentiã diuino amore, sacrisq; actionibus consummatus seuaseris, ad suprematn ipsarũ scientiã sublueueris, diuina luce radiatus.* Hic B. Dionysiũ non loqui de precationibus, aut mortuorũ suffragijs, patet. 1. Quia [illegible]at efficientes

Eccl. hier. c.

Ibid. cap. 5

conse

consecrationis preces (cuius loco hæreticus suffecit, *precationes mysticas*.) Hæ autem sunt formæ & verba Sacramentorum, quæ hoc ipsum quod significant efficiunt ex opere operato, vt Scholæ loquuntur. 2. Quia hoc eodem capite non solum preces, quæ pro defunctis Deo fundi solent recitauerat: sed multis verbis etiam exposuerat. Hoc igitur vult; quod post ipsum B. Innocentius Romanus Pontifex, de forma Sacramenti Confirmationis ita scripsit: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Notabit porrò candidus Lector, impietatem hæretici, qui hæretico fastu sacras preces, quibus Deum pro defunctis oramus, superstitiosas appellat preces. Cur non potius sibi consulens, ita ratiocinatur? Ab Apostolorum temporibus pro defunctis oratum est: Ergo est Apostolica traditio, defunctos precibus iuuare: quemadmodum disertè testatur B. Chrysostomus, his verbis, quæ ex parte etiam superius recitaui: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio, enim illis inde multum contingere lucrum, vtique magnam multam. Cùm enim totus consisterit populus, extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?*

1. ad Decē. ep. 3.

Homil. 69. ad popul.

HÆRETICVS.

Præterea, si funebres vllas, (vt Dionysius

sius censet) *nefas est scripta interpretari, cur omnes huiusmodi preces vestras variis libris tradidistis?*

COSTERVS.

Quia sunt preces funebres, & non formæ Sacramentorum: quæ Sacerdotum & Pontificum ritualibus libris asseruantur.

HÆRETICVS.

Quod verò addis, *Eodem pertinent difficilium & dubiarum scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt*, illud in quæstione de Scripturæ præstantia, prolixius abs te propositum, & plenius à nobis, refutatum est.

COSTERVS.

Consultò remittis Lectorem ad id, quod nunquam dixisti, neque refutare potuisti. Grauis est quæstio: cuius pondus quia ferre nequis, excutiendo te liberare conaris. Quæro, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, cur ad sensum Caluinisticum pro signo corporis Domini, non pro vero corpore intelligi debeant? Dicis, quia in Eucharistia non est corpus Christi. Quero cur non adsit, cum hoc clarissimè verba prædicta sonent? Dicis esse figuratam locutionem, quæ per aliarum scripturarum collationem intelligi debet: *Petra erat Christus: Semen est verbum.*

verbum Dei, &c. Vrgeo, cur potius cum illis quàm cum his verbis Dei Patris, Hic est filius meus dilectus, quandoquidem maior est vtrorumq; affinitas: vtrobiq; est demonstratio loco subiecti, hoc, & hic: in neutro præcessit figura, similitudo, aut parabola, quæ figuratum sermonem exigat. Sicut enim nullis præmissis verbis, dixit Pater, *Hic est filius meus*: ita Christus accepto pane, cùm nihil præmisisset, dixit, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*. Quis erit huius controuersiæ Iudex? Profer scripturam, si potes, quæ me, & Lutheranos, ad tuam interpretationem cogat. Ad hæc nunquam respondisti, Doctor hæretice.

HÆRETICVS.

Ais, *B. Augustinus ad Apostolicam traditionem extra scripturam refert baptismum parvulorum*: sed iterum in citandis Patribus malâ vteris fide.

COSTERVS.

Neque vtor, neque hactenus vsus fui mala fide. Calumniaris mendacio: hæreticorum est falsare Patres, qui, (vt est apud Prophetam) *Ponunt mendacium spem suam, vt mendacio protegantur*. Catholica tot seculis confirmata, per vniuersum Orbem, veritas non eget confirmari mendacio.

HÆRETICVS.

Ait quidem Augustinus, Baptismum parvulorum esse *traditionem Apostolicam*, sed falsò

falsò assuis, *extra scripturam*. Verba enim Augustini sunt. *Consuetudo tamen matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neq; omninò superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.*

COSTERVS.

Quid sibi vult, Consuetudinem Ecclesiæ in baptizandis omninò credendã non esse, nisi Apostolica esset traditio? Idcirco igitur tantùm creditur, quia est Apostolica traditio: non, quia est conscripta in literis sacris.

HÆRETICVS.

Quod autem non intelligat traditionem extra sacras literas, alibi sese exponit, cum pædo baptismum aduersus Donatistas ex sacris comprobat.

COSTERVS.

Cur hîc verba B. Augustini non citas? ea sic habẽt: *Si quispiam in hac re* (in baptismo parvulorum) *authoritatem divinam quærat, quamquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur: tamen pernaciter conijcere possumus, quid valeat in parvulis baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet, iustificatus est Abraham.* Hac sola scriptura vtitur Beatus Augustinus, non vt

Lib. 4. de Bap. cap. 24.

euincat baptiſmum paruulorum, ſed vt ex figura circumciſionis doceat, Paruulos gratiç capaces eſſe, & remiſſionis peccatorum. Vi den igitur te mentiri, & Patres deprauare, dum mihi hoc crimẽ impingis? Cur tu, doctor hæretice, ſcripturam nõ affers, quæ Anabaptiſtas conuincat? & me mendacij arguat?

HÆRETICVS.

Conſule Pontificum Romanorum Decretalia, & comperies, Innocentium tertium Infantum baptiſmum ſacris literis confirmare.

Decre l. 3. tit. 42. c. 3. Maio.

COSTERVS.

Duo adfert Innocentius Scripturç loca, quorum neuter tuum Caluinum coëgit. Alter eſt de paruulorum circunciſione, non de baptiſmo: alter, ex verbis Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. Sed quid ſi hunc locum, de ſolis adultis intelligam? ſicut ſimilis intelligendus eſt, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: præſertim cum Chriſtus fidem baptiſmo coniunxerit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Et cum nullum exeat exemplum in ſacris literis baptizati Infantis, nonne Caluinus tuus, poſt Zwingllum, & Bucerum, docet Chriſtianorum Infantes ſine baptiſmo ſalu-

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Marc. 16.

HÆRE.

HÆRETICVS.

Idem quatuor argumentis demonstrat antesignagnus vester Eckius. Cap. 30. Communis.

COSTERVS.

Non demonstrat: sed quo ad fieri potest probat. 1. ex Circũcisione. 2. *Sinite parvulos venire ad me.* 3. *Baptizate omnes gentes:* ergò etiam paruulos. 4. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes baptizati sunt in mari & nube.* Sed facilè vides, his Scripturis nihil necessariò concludi. Marc. 10. Marc. 16. 1. Cotinth. 1

HÆRETICVS.

Et Iesuita Bellarminus hanc veritatem in scripturis tribus argumentis probari docet, & tandem subiicit: *Licet enim non inueniamus expressè mandatum vt baptizemus infantes, tamen id & colligitur satis apertè ex Scripturis, vt supra ostendimus.* Estne igitur baptismus Infantum traditio extra scripturam?

COSTERVS.

Primum, Bellarmini argumentum, est ex ritu circumcisionis: *secundum*, ex verbis Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. *tertium*, ex locis illis, vbi familiæ integræ legũtur baptizatę: vbi fortassè nonnulli erant infantes. At nullum horum cogit. Nõ *primum*: dici enim potest cum Caluino, Christianorũ infantes nasci sanctos, & baptismo non indigere: sicut B. Paulus ad Corinthios loqui videtur, iuxta Petri Martyris expositionem. *Secundum*, ni- Ioan. 3. Actor. 23. 1. Corint. 1. 1. Corint. 7.

hili est Caluino, quia aquam facit epitheton Spiritus sancti, qui ad modum aquæ purgat: Cui renasci ex aqua & Spiritu sancto, idem est, quod renasci solùm ex Spiritu sancto: cuius munus est, instar aquæ, purgare. *Tertium est probabile tantùm, & non conuincens*, ait ipse Bellarminus: qui sequenti capite tractans Anabaptistarum argumenta, primo loco istud posuit. *In Sacris literis nullibi inuenitur pædobaptismus, & nullum de eo mandatum, vel exemplum habemus: ergo reijciendus. Respondeo: Argumentum hoc aduersus Lutheranos magnas vires habet, quippe qui eo principio passim vtuntur. At apud Catholicos nihil vnquam valuit. Licet enim non inueniamus expressè mandatum, vt baptizemus Infantes: tamen id & colligitur satis apertè ex scripturis, vt supra ostendimus: & præterea non minoris authoritatis est apud nos Apostolorum traditio, quàm Scriptura: eodem enim spiritu Apostoli loquebantur, quo scribebant. Esse autem hanc Apostolicam traditionem, inde scimus, vnde scimus, Scripturam Apostolicam, esse scripturam Apostolicam. Nimirum, testimonijs antiquæ Ecclesiæ.* Fatetur ergò Bellarminus, secluſa Apostolica traditione, colligi quidem: sed non euinci, Paruulorum baptismum. Semotis enim Domini verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto*, &c. quæ apud nos præcipuam vim habent, apud Caluinistas nullam: non inuenies in vniuersis Bibliis vel tanti, quod te cogat.

lib. 1. de baptismo, cap. 8.

Capit.

Ioan. 3.

HÆRE

HÆRETICVS.

Sed ea iterum Pontificiæ doctrinæ iusto Dei iudicio inconstantia est, vt quæ rectè aduersus Anabaptistas, manu ædificastis dextrâ: eadem postea, insanâ quadam cæcitate in errore vestro, aduersus scripturæ perfectionem propugnando, sinistrâ diruatis.

COSTERVS.

Quàm vellet hæreticus iste doctorculus hæreticam leuitatem & inconstantiam à se in Ecclesiam deriuare! Catholicæ Ecclesiæ doctrina, quam tuemur, nihil pugnans habet. Ego scripsi, à B. August. paruulorum baptismum extra Scripturã esse relatum: idem etiamnum affirmo: neq; tu contrarium docuisti. Bellarminus fatetur, nullo Scripturæ vel mandato, vel exẽplo, nos ad paruulorum baptismum cogi: ait se tamen eũ ex sacris libris apertè collegisse, non necessariò demonstrasse. Quænã hîc est inconstantia vel contradictio? Controuersia nostra vobiscum est, Sintne omnia, quæ fide tenemus, sacris literis conscripta? Vos affirmatis: Nos negamus: Adfero baptismum paruulorum. Dicis, illum à Bellarmino Scripturis probari: At dico, non conuinci. Aliud est, ratione Scripturis adducere, aliud Scriptura[illegible]re. Sicut

M cuim

enim vos Scripturis vestro sensu intellectis, impugnatis cælibatum Sacerdotum, ciborum delectum, vota monastica, Sacrificium Missæ, inuocationem Sanctorum, & mille alia, quæ carpitis in Ecclesia: at nihil conuincitis, neque scripturis nos commouetis, qui vestras interpretationes vt hæreticas detestamur: Ita, quas attulit Bellarminus scripturas, non admittuntur ipsius sensu ab Anabaptistis: hoc non ignorans ipse, adiunxit Scripturis allatis Ecclesiæ authoritatem: quæ sola nos conuincit, & vos conuincere debet. Alioquin adfer scripturam, quæ paruulos baptizari cogat. Nuper ad scripturam appellasti: ab illa tamen appellatione nullam scripturam attulisti. Doce ex scriptura, nihil, nisi quod in ea scriptum est, aut ex ea per necessariam consequentiam colligi potest, fide credendum esse. Inculcas perpetuò, nos Scripturę perfectionem impugnare, quam vos propugnatis: hæc vnica tua ratio est, indoctis grauis & plausibilis: doctis, ridicula & explosibilis, (sic enim absurditatem tuam appellari decet) Magna enim ignoratione laboras, qui perfectionis notionem, (quam superiùs descripsi) hæretica cæcitate non vides.

HÆRETICVS.

Cæterùm, obiicis nobis postremò, Basilium, aliósq; Patres multa alia enumerasse: in qui[illegible] ad hoc primũ Scripturæ genus con[illegible]erint, inuitis omnium ætatum

hæ[illegible]

hæreticis. Verùm ad Basilium respondeo primum, de fide illius loci non constare: quandoquidem ineptus quidam veterum scriptorum Interpolator, pannos suos & nenias Basilij purpuræ, (vt Erasmus doctè censet) intertexuit.

COSTERVS.

Hæreticorum more sentiens tu pungi, aculeum conaris abiicere. Negas esse B. Basilij caput illud: sed Interpolatoris cuiusdã, qui pãnos suos Basilij purpuræ intertexuit. Ad hanc rem Erasmi citas censuram, qui tametsi plerisque in locis & auctoribus nimis temerè (iudicio doctiorum) cẽlere solet: hoc tamen loco non negat hũc librum esse Basilij, sed alium aliquem imperitè ad eum admouisse manum. *Interdum* (inquit) *ad tragicum cothurnum intumescebat oratio, rursus ad vulgarem sermonem subsidebat: interdum subinane quiddam habere videbatur, velut ostentantis se didicisse, quæ Aristoteles in libris de enunciatione & prædicamentis: adhæc subinde digrediebatur ab instituto, nec satis concinnè redibat à digressione: postremo multa videbantur admisceri, quæ non admodum facerent ad id, quod agitur: quædam etiam repetuntur, oblitione veriùs, quàm iudicio: cum Basilius vbique sit sanus, simplex & candidus, sibi constans, atque etiam instans: nunquam ab eo, quod agitur, excurrens temere, quam diuinis mysterijs admiscens: philosophiæ mundanam,* Præfat. libri de Spiritu sancto.

nam, nisi per aduersarios coactus, idque contemptim, &c. Ex his rebus subijt animum meum suspicio, studiosum quempiam, quo volumen redderet auctius, multa intertexuisse, vel ex alijs auctoribus decerpta emblemata, vel ex sese reperta, &c. Porro sceleratissimum contaminandi genus est, egregiorum virorum clarissimis purpuris suos pannos intertexere, &c. Nullam hic audis harum traditionum mentionem: sed suspicionem contaminati codicis. Inde tamen hæreticus audacter, sed sophisticè colligit, hoc caput à me citatum ab eo putari. Si quis ita ratiocinetur: Multi suspicantur pleráque mulieres Leydis adulteras: Ergo tua vxor adulterium commisit: nonne tibi & ipsi iniuriam irrogaret? Ita tu hîc & Erasmo, & Basilio iniuriam facis: quando, quod in genere ab Erasmo dictum est, huic capiti, quod de traditionibus Apostolicis loquitur, imputas. Erasmus (inquis) ait quibusdam in locis pleráque ab indocto assuta: ergo hæc assuta sunt, quæ de traditionibus citas. Cęterum ab ipso non agi de hoc capite, satis ex eo manifestum est, cũ posteà sic de B. Basilio adiungit: *Ex vnica syllaba quantus tumultus incomparabili viro suscitatus est, quoniam in solenni clausula precationis aut concionis, pro, (in spiritu) semel atque iterum dixerat, Cum spiritu: Basilius per omnes vrbes, per omnes pagos, per omnia fora, per omnia conuenticula, calumniantium vocibus*

vocibus lapidabatur, &c. De hac syllaba, *cum*, agit isto capite Basilius, quam affirmat se à Maioribus accepisse, & hunc dicendi modum, *cum Spiritu sancto*, didicisse. Cuius occasione multis exemplis demõstrat, Traditiones non scriptas, sed per manus ab Apostolorum temporibus ad nos allatas, suscipiendas, & retinendas esse.

HÆRETICVS.

Deinde nec vobis quidem omnia posse probari, quæ eo in loco statuũtur: & sacris literis aduersari, res ipsa demonstrat. Quoniam ritus partim liberos, partim superstitiosos eandem, cum sanctarum literarum dogmatis *habere vim ad pietatem: adeò vt iis reiectis, fidei prædicatio ad nudum nomen contrahatur*, asserit.

COSTERVS.

Vt hæretici calumniam cernas, & veterum mentem doctrinámq; cognoscas, candide Lector: verba sanctissimi, grauissimi, doctissimiq; Patris hîc adscribam: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus: quorum vtraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, [illegible] quis sanè vel* Lib. de Spiritu sancto ad Amphiloc. cap. 27.

tenuiter

tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere: imprudentes & eæ damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, (vt id, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco commemorem) vt signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christo, signemus, quis scripto docuit? vt ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in Scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Euangelium: verum alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum vnctionis: præterea ipsum, qui Baptismum accipit: ex quibus scriptis? nónne à tacita secretaque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo: veluti, renunciare Sathanæ: & Angelis eius, ex qua scriptura habemus? nónne ex priuata, & arcana hac traditione? Nónne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos & ociosos submouet, seruarunt? Pulchrè quidem illi: nimirum, docti [illegible] sanctorum veneratione silentio conseruari [illegible] quæ nec intueri fas est non initia

initiatis, quid conueniebat horum doctrin publicitus circumferri scripto? aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moyses, qui non omnia, quæ erant in templo passus sit omnibus esse permia: sed prophanos extra sacros cancellos statuit, sed priora atria purioribus permittens, Leuitas solos dignos censuit numinis ministerio? Et post nonnulla, de cæremoniis veteris legis, pergit: *Ad eundem profectò modum, & qui in primordijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto silentióque mysterijs suam seruauere dignitatem. Neque enim omninò mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt: Ne dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum: nam dogmata silentur, edicta verò publicantur. Est autem silentij species etiam obscuritas, qua vtitur Scriptura: mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens, idque ad vtilitatem in Scripturis versantium. Hanc ob causam omnes spectamus ad Orientem, cum precamur. Pauci tamen nouimus, quod id facientes, antiquam requirimus patriam, videlicet, Paradisum: quem conseruit Deus in Edem, ad Orientem. At in prima Sabbathi, erecti perficimus deprecationes: sed rationem non omnes nouimus. Non solùm enim, quod velutisimul cum Christo resuscitati,*

quæ sunsũ sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes, nosmetipsos commonefacimus: sed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi, eóque cum sit principium dierum non primus à Moyse, sed vnus appellatus est, &c. Et post pauca: *Quin & totum tempus vsque ad Pentecosten, admonitio est resurrectionis, quam in illo sæculo expectamus. Nam vnus ille & primus dies, septies multiplicatus septem sacræ Pentecostes hebdomadas absoluit,* &c. *In quo corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerunt. Nimirum, per euidentem commonitionẽ quasi trãsferentes mentem nostrã à præsentibus ad futura. Insuper & quoties genua flectimus & rursus erigimus, ipso facto ostendimus quod ob peccatũ in terrã delapsi sumus, & per humanitatem eius, qui creauit nos, in Cælum reuocati sumus. Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria, citra scriptum tradita, pergam recensere. Omitto cætera: ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, è quibus habemus scriptis?* Hactenus sanctissimi Basilij verba. Quæ ne mireris Lector, ab Hæreticis tanquam spuria contemni, quia tã manifestè pias veteris Ecclesiæ consuetudines ob oculos ponunt: eásque ab Apostolis per manus traditas asserunt, vt nullum eis effugium pateat, nisi corruptelam huic capiti affingendo. Ait Hæreticus, *Nec omnia nobis probari quæ illis statuuntur.* Sed Doctormẽtitur

titur. Suscipimus enim ad vnũ omnia, & cuncta veneramur, religioseque obseruamus. Nominet vel vnum, si potest, quod nos reprobamus. Quia porrò Cauillator, ineptus Censor, & cum suo Vvithakero, pars impudentiæ & impietatis hæretico, rodit, quæ displicent: statui paulò diutius in huius loci tractione immorari.

Notabis igitur *primò*, certum semper Catholicis omnibus fuisse hunc Beati Basilij esse librũ, atq; istud etiã caput, & quod iam tractam⁹, quodapud Gratianũ, Burchardũ, Ivonẽ ante quinq; sęcula citatũ inuenies, & 300. annis ante ipsos, à S. Ioanne Damasceno. Nulla.n. causa subest dubitandi: cũ & styli grauitas, & materiæ sanctitas, & tractationis occasio, & consensus cũ aliorũ Patrum scriptis, Basiliũ referant. Quicquid.n. hîc ab eo in exemplum Apostolicarum traditionũ allatũ est, id ante ipsum, & circa eius tempora, etiam alij retulerũt: & vniuersa Christianitas vsurpauit. 1. *Signo Crucis consignari*, ait, vulgatissimum esse. Quod ante ipsum dixit Tertullianus: qui nos monet: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, hoc signo crucis frontem terere.* Aliique Patres, quos in Enchiridio notatos inuenies. Beatus Ignatius causam indicat, quæ ad impugnãdum hoc Crucis [illegible]ũ, Hęreticos permouere solet: Dęm[illegible]ẽpè nequi-

Dist. 12. c. 5. Ecclesiã. Lib. 3. cap. 127. Pan. 4. cap. 159. Lib. 1. de imaginibus.

Lib. de Corona militis.

Cap. de S. Cruce. Epistol. 5. ad Philippens.

tiam: qui per hos fidos ministros suos ad id laborat, vt de mentibus hominum Crucis memoria deleatur. 2. *Ad Orientem templa ædificari*, testatur idem Tertullianus: Item Iustinus martyr, Origenes, Epiphanius, &c. Non quod non liceat ad quamque orbis plagam fundere Deo preces: sed quod solennes Ecclesiæ orationes, conuerso ad Orientem vultu fiant. Cuius præter eam, quam Beatus Basilius hoc loco adduxit, aliam quoque Diuus Ioannes Damascenus adfert rationem: nimirum, vt conuersi ad Christum oremus, qui Cruci affixus, & Cælos conscendens Occidentem respexit. 3. *Sanctissimam Eucharistiam exhiberi solitam*, testis est Diuus Dionysius Areopagita. *Pontifex*, inquit, *laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt, ritè perficiens, oculis subijcit ea, quæ propositis ritè signis laudata sunt. Donis diuinorum operum monstratis, ad sacramentorum communionẽ & venit ipse, & inuitat cæteros.* Beatus Cyprianus meminit præfationis: *In qua sacerdos*, (inquit) *parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quàm Dominum, cogitare debere.* Beatus Ambrosius recitat sacri Canonis & inuocationis verba: quibus etiamnum in sacrificio Missæ, statim à consecratione, sic Deum Patrem precamur: *Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, &*

b. contra Lucifer. Arian. lib. 3. circa fin.

b. 4. ortho. ct. cap. 13.

Eccl. hier. c. 3.

Serm. 6. de ora. Domin.

Lib. 4. de sacram. cap. 6.

nis, & in Cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech. Hunc Canonem à Beato Petro nobis pro maiori parte traditum fatetur Beatus Isidorus, annis ab hinc mille. Et ante illum, Vigilius Papa. 4. *Aquam Baptismi consecrari*, sic scribit Beatus Dionysius Areopagita: *Pontifex ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sancta prece & inuocatione sanctificans, terque in eas ad Crucis effigiem, sanctissimum fundens vnguentum, illasque hoc ritu perficiens,* &c. Beatus Cyprianus in Concilio 30. Episcoporum sic ait: *Oportet mundari & sanctificari aquâ prius à sacerdote, vt possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere:* Et Beatus Ambrosius; *Vsus hoc habet, vt antè fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est.* B. Clemens, etiam formulam benedictionis aquæ adscripsit. 5. S. oleum vnctionis, & sacrum Chrisma consecrari, ante Beatum Basilium, asseruerunt idem Clemes & Fabianus Pontifices & martyres. Item Tertullianus, Diuus Cyprianus, aliique Patres. 6. [illegible] immersionem testa

Lib. de Eccl. cap. 15. Epist. ad Ibor. Epist. Cap. 12. cles. hier. tc. 2.

Lib. 1. Epi 11. ad 18. Episcopos.

Lib. 1. de S craw. cap. Lib. 7. con Apost. cap. 44. Epist. 2. lib cap. 43. Lib. de ba ptismo.

teſtantur Apoſtolorum canones. Beatus Dionyſius, Tertullianus, &c. 7. De *renunciatione Sathanæ*, ſcribunt iidem Dionyſius & Tertullianus: item Clemens, multique alij. Cum igitur has, à Beato Baſilio enumeratas, Apoſtolicas traditiones referant veteſtiores, Dionyſius, Clemens, Fabianus, Tertullianus, Iuſtinus, Cyprianus, & plerique alij, qui eodem cum ipſo vixerunt ſæculo, Ambroſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Auguſtinus, & illi præterea omnes catholici doctores, qui prima illa ſæcula ſecuti fuerunt: cur hoc nomine reiiciẽdum erit caput iſtud B. Baſilij: quod nihil noui dicit, ſed ea ſola quæ ipſe à Maioribus ſuis per manus acceperat, &, quæ vniuerſus per orbem Chriſtianus populus vſurpabat, tanquam teſtis Chriſtianæ conſuetudinis ſui temporis, narrat: Hæreticus videt fundamentum doctrinæ ſuæ euerti: *Nihil*, ſcilicet, *extra ſcripturas retinendum eſſe*. Hinc illæ lachrymæ: & de Baſilij deprauatione ſophiſtica calumnia.

Notabis ſecundò, Ab hoc ſanctiſſimo Patre idipſum diſertis verbis ante 1200. annos, dictum eſſe, quod hæreticus iſte Caluiniſta cum ſuis indoctiſſimè impugnat: nẽpe, Apoſtolica dogmata partim nobis ſcripto, partim verbo ſolo, & nõ ſcripto tradita: vtriſq; tamen parẽ fidẽ eſſe dandã, & auctoritatem tribuẽdam: ſiquidem ab eodem diuino ſpiritu procedebant Apoſtolorum dogmata, ſiue verbo dicta, ſiue ſcri

lib. 1. Epiſt. 2. & ſerm. de vnctione chriſmatis. canon. 49. eccleſ. hier. p. 2. part. 2. lib. de coro- de militis. ne conſecrat. lib. 4. cap. 3. & ſequẽ- ſus lib. de ſpecta- culis. conſt. Apoſt. lib. 7. cap. 41.

scriptis commendata. Nec istud ex cerebro suo finxit Beatus Basilius, sed ea nobis scripsit, quæ à Maioribus ille suis acceperat: Clemente Romano, qui multa non scripta, tum in epistolis, tum in Apostolicis constitutionibus recensetIgnatio, qui nobis Quadragesimale ieiunium, & Clericorum minores ordines, sine scripto commendat: Dionysio Areopagita, cuius sunt verba: *Primi illi nostri sacerdotalis muneris Duces, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt*: Irenæo, ex quo superius allata sunt verba, *Quid si neque Apostolis scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quã tradiderant ijs, quibus committebant Ecclesias?* Tertulliano, qui ex professo hãc ipsam quæstionem tractat, lib. de corona militis, Sintne omnia scripta ab Apostolis, an pleraque sine scripto tradita multasque recensetTraditiones: sicut hoc loco Beatus Basilius, qui ipsum non immeritò imitatus iudicatur: & lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, Nouatores omnes ad antiquas Ecclesias, nominatimque ad Romanam mittit, de qua sic loquitur, *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderant.* Cypriano, qui ex Apostolica traditione scripsit, de admiscẽda aqua vino in sacrificio, de faciẽda exomologesi lapsis, & manueis, ab Episcopo imp[illegible] de memoria san

Epist. 5. & 9.

Eccles. hier. cap. 1.

Lib. 3. ca. 4.

Cap. 3.

Cap. 36. Lib. 1. epist. 3. Lib. 2. epist. 14. & 15.

sanctorũ martyrũ sub oblatione & sacrificio habenda, &c. Denique ex reliquis omnibus antecessoribus suis. Sicut enim semper omnium hæreticorum fuit nullam traditionem Apostolicam admittere, (vt de veteribus Arianis, Macedonianis, Donatistis, Iconoclastis, aliisque omnibus ex historiis & Patribus constat: siquidem admissa semel traditione, cessat hæresis omnis, quæ per viuam illam scripturam, in Ecclesiæ corde digito Dei, hoc est Spiritu sancto impressam, statim & deprehenditur, & damnatur:) ita Maiores nostri tenacissimi & obseruantissimi traditionum fuerunt. Vt Beatus Chrysostomus dixerit: *Traditio est, nihil quæras amplius.* Et ante eum Tertullianus, *Si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de Traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est?* &, *Quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.*

De corona militis ca. 3.

De præscription. ca. 28.

Notabis tertiò, Neminem, *qui vel tenuiter expertus est, quæ sint iuris Ecclesiastica, huic doctrinæ* de Traditionibus Apostolicis *contradicere*, sed fateri *vtraque*, tam non scripta quàm scripta, *parem vim habere ad pietatem.* Vnde cuiuis est procliue concludere, Caluinistas nostros S. Basilij sententia ignorantiæ Ecclesiasticorũ iurium damnari.

Notabis quartò, Ab iis qui *traditiones reijciunt*, [illegible] *etiam damnari*, *quæ*

in

in Euangelio necessaria ad salutem habentur: adeóque ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahi, nimirum, quia reiectis Traditionibus, negantur scripturę, quę sola Traditione habentur & agnoscuntur: sicut superiùs copiosius demonstratum est. Non igitur motus fuit B. Basilius necessariâ consequentiâ, quam hęreticus multis verbis ridiculè superiùs deduxit. Sciuit enim, ex scripturis solis, scripturas non agnosci: sed ex traditione Apostolica dari.

Nota quintò, causam, cur non omnia nobis sint scripto commendata, hanc adferri: Ne diuina mysteria *ad populares aures efferantur, & ne dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum*, quam nuper etiam B. Dionysius Areopagita reddidit.

Nota sextò, Eadem de causa etiam in scriptura inesse obscuritatem: *quæ mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercet.* Non est igitur vbique clara scriptura: vt volunt hæretici.

Nota septimò, Pene innumeras esse id genus Traditiones non scriptas: *quia* (inquit) *deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria, citrà scriptum tradita, pergam recensere, omitto cætera.* Denique fatetur ipsam fidei professionem, nimirum, Apostolicum symbolum, hac traditione ad nos venisse: sicut docui superius, quod etiam Tertullianus, cum cæteris veteribus agnoscit. In Apol. c. 4 de præscrip cap. 13.

HÆRE

HÆRETICVS.

Attende, quàm ineptis rationibus Basilius traditionum, quas recenset, originem tueatur. *Omnia* (inquit) *quæ nec intueri fas erat non initiatis, quî conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto?* Item. *Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt: ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum.* Quasi verò hac ratione non summa religionis mysteria de Trinitate, de Incarnatione filij Dei, &c. (quæ ethnicis semper fuere ludibrio, Iudęis offendiculo) si ea ratio valeret, sine literis tradi potius debuerunt, quam istiusmodi, quos recęles, ritus.

COSTERVS.

Tu es doctor Theologus, & hoc discrimẽ ignoras? Ignoras planè, quia hæreticus: & nec leuiter, *quæ sint Ecclesiastica iura, expertus.* vt de te, tuíque similibus, ait B. Basilius, Disce igitur, Semper in Ecclesia fuisse Gentilibus tacita diuina mysteria: præsertim quæ ad Ecclesiastica sacramenta, ac nominatim ad sacram Eucharistiam pertinebant. Hinc toties in concionibus veterum, quando hanc rem attingebant, hæ voces: *Norunt fideles. Norunt, qui initiati sunt, &c.* Nota est historia Sancti Tharsicij Acolyti, quam ex antiquis monumentis descripsit Metraphrastes. Is enim cum Christi Domini corpus

Iabetus. in ita S. Steph. apæ & mart. Augusti.

penes

penes se haberet, & id Gentiles non lateret, iussus est Sacramentum tradere. *At ille indignum iudicans, porcis prodere margaritas, tam diu ab illis mactatus est fustibus & lapidibus, quo ad exhalaret spiritum & reuoluto eius corpore sacrilegi discussores nihil sacramentorum in manibus, aut in vestibus inuenerunt.* At, inquis, cur non pari ratione occultata fuere altiora mysteria Trinitatis, Incarnationis, Natiuitatis, &c. Respondeo: duabus de causis. Priore, quod hæc scitu necessaria sint statim initio iis qui Christianis initiãtur sacramentis: tanquam fidei rudimenta, & primę nostræ Religionis causæ: ideoque nobis à S. Apostolis symbolo commendata. Siquidem ante omnia scire conuenit, cur Christianam religionem amplecti velis: qui est finis, seu causa finalis, nimirum vt tandem admittaris in vitam æternam: à morte quidem sola anima, in fine verò seculorum, etiam corpore. Hoc te docent 11. & 12. Symboli articuli. Deinde qua ratione hanc beatitudinem sis assequuturus, tanquam medio salutis, videlicet, remissione peccatorum: quod docet articulus decimus. Præterea, vbi hoc beneficium remissionis tribuatur: nempè, in vna Catholica & Apostolica sancta Ecclesia, quod 9. articulus declarat. Frustra enim de Christi beneficijs & gratiis instruimur, nisi etiam locus, vbi hæc asseruantur, & petentibus tradantur, simul monstretur. Sic 1 item horum beneficiorum [illegible] ciens, & largi

largitor Deus vnus & trinus agnoſci debet, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Deinque meritoria cauſa ſcienda eſt nimirũ, filij Dei incarnatio, Natiuitas, Paſſio, Mors, Reſurrectio, & ad cælos Aſcenſio. Non enim noſtris meritis nobis dimittuntur peccata, ſed meritis Saluatoris Chriſti: tametſi bonis operibus, eius gratia perfectis, ab eo danda ſit vita æterna, qui venturus iudicare viuos & mortuos, reddet vnicuique iuxta opera ſua. Hæc quàm ſint cognitu neceſſaria, de
ſt. 67. ad
pium. monſtrat B. Auguſt. inſigni miraculo cuiuſdam Dioſcori Architheatri, qui iam ſenex baptizatus, cum diſſimularet Apoſtolicum Symbolum diſcere, reſolutus eſt paralyſi, neq; prius curatus, quàm illud memoriæ cõmendaret. Reliqua porrò myſteria, ſuſcepto Baptiſmo, ijs aperiuntur, qui præſtito ſacramento Chriſtianæ militiæ iam inſcripti ſunt, & in Eccleſiam inſerti, eiuſq; præceptis obligati. Hinc eſt quod veteres aliter Catechumenos, aliter initiatos inſtruere ſoleant. vt apud B. Auguſtinum, Cy-
ſymb. ad
echum. rillum Hieroſolymitanum, alioſque videre licet. Cyrillus decem & octo catecheſibus Illuminatorum, docet rudiores initia iam dicta fidei: alijs quinq; myſtagogicis Sacramentorum cæremonias explicat: præclarè de ſacro Oleo, & Chriſmate, itemq; de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, & de incruento Miſſæ ſacrificio, docet. Iam enim ſolidioris cibi capaces ſunt, qui à peccatis per Baptiſmum abluti, Spiritu ſancti dona,

& per

& perfectionem, per Confirmationis Sacramentum acceperunt: minusque ab eis metuendum est, qui fidelitatis sacramento Ecclesiæ Christi sese obstrinxerunt.

Altera causa est, Quod hæc dogmata symboli, tametsi sublimia sint, & recondita, solatur in cognitione & fide in intellectu versantur: alia etiam externis actionibus, & sacris ritibus administrentur, consecratione, benedictione, oleo, chrismate, pane, vino, aqua, &c. Si igitur vos Caluinistæ, sacra nostra rideris, quando Copronymi more, Baptismi fontem oleto conspurcastis, sacrum Chrisma & Oleum, cum Donatistis hæreticis, sacrilegè effudistis, eoq; calceos vestros perunxistis, cum ijsdem, sacram Eucharistiã canibus obiecistis, pedibus calcastis, in marsupijs vestris detulistis, galeris affixistis, & varijs sacrilegijs illusistis, & sacrum Missæ sacrificiũ mimicis ludibrijs repræsentastis, quandoque non sine diuina vindicta, quæ manifesto miraculo Copronymianum portentum cum visu priuauit, alterum bolo suffocauit; tertij erecta brachia arefecit, vt cæteri horum exemplo discant non blasphemare: Si, inquam, vos Caluinistæ, qui Christianorum sacra non ignoratis, malitia & prauitate hæretica, sic in Deum, eiusque Sponsam Ecclesiam, & diuina mysteria, iniurij estis: quid non conati fuissent Gentiles, (quibus fides Christi stultitia erat, sicut Iudæis scandalum) si hæc arcana eis innotuissent? Non

Vide Brodebach. li. 7. C. 2. c. 53. 60. C.

rarò

rarò quæ de baptismo nouerant, theatricis spectaculis populo ridenda proponebant: quę Deus subinde Mimorũ conuersione, ad Sacramenti sui vim patefaciendam, in rem seriã transferebat. Sicut de Genesio, & Ardalione minimis narrant historiæ. Illi quippe per lusum in Theatro baptizati, diuinã virtutẽ experti, toto corde fidem orthodoxã susceperunt, & sanguinem pro ea constanter fuderunt Quorum memoria in Ecclesiasticas tabulas relata, quotannis à Christianis celebratur. Augus. April.

HÆRETICVS.

Nec quicquam ad rem facit, quod Moysis exemplum prætendit, qui non omnia, quæ erant in templo, passus sit omnibus esse peruia. Ex ea enim nihil aliud demonstratur, quam distinctionem illam templorum, ex Iudaicarum cæremoniarum per Christum abolitarum, superstitiosa imitatione promanasse.

COSTERVS.

Christus veteris Legis cęremonias aboleuit, imitationem tamen non prohibuit, sed instituit. Itaque quæ illi in figura & vmbra imperfectè, ea nos in veritate & perfectè seruamus. Illi summum Sacerdotem vnicum, Sacerdotes inferioris ordinis, Leuitas, & Ministros templi plures, sacrificijs & ministerijs Templi adhibebant: nobis Christus vnum Ecclesiæ caput præfecit, Episcopos [illegible] Ecclesijs, Sacerdotes, Presby

Presbyteros, denique Diaconos, & cæteros Ministros. Ieiunio nostra succedunt eorum ieiunijs: sacrificium vnicum corporis Domini, varijs eorum sacrificiis, vt rectè notauit ex Malachia B. Irenæus: nostræ demum cęremoniæ, ipsorum cęremoniis. Non sine causa monuit Christus, *ne sanctum daremus canibus, neue margaritas nostras porcis obijceremus. Nam ideo,* (inquit Chrysostomus) *mysteria clausis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem mysteriorum aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem illi adhuc, quos arcemus, infirmi sunt. Propter quod etiam ipse multa ad Iudæos in parabolis differebat, quoniam non videbant videntes.*

Lib. 4. c. 32.

Matth. 7.

Homil. 24. in Matth.

HÆRETICVS.

Imò Moysis exemplum pro nobis omninò facit. Nam quamuis non omnia, quæ in templo erant, passus sit omnium aut pedibus teri, aut oculis perlustrari: totam tamen liturgiam, sacrum & tabernaculi faciem intimaque secreta accuratissimè scripsit.

COSTERVS.

Dicam quatuor. *Primum,* Multa etiam sine scriptis tradita Sacerdotibus, quibus ad legis intelligentiam, quæstionumque sacrarum resolutionem iuuabantur. Beatus, Iustinus martyr testatur, Agnum Paschalē assari solitū in forma Cru[illegible]xillo [illegible]ibi & alio

Dialog. cum Thryphone.

& alio transuerso, cuiarmi alligabantur: vbi id scriptum? Tertullianus, *Apud Iudæos*, inquit, *tam solenne est fœminis eorum capitis velamen, vt inde noscantur: quæro legem.* Quæ scriptura vetuit, *pretium sanguinis in corban*, seu gazophylaciũ inferri? Benedictio aquę expiationis, maledictio aquæ amarissimæ zelotypiæ, & preces, quibus Sacerdotes in sacrificijs, oblationibus, incenso, alijsque suis ritibus & sacramentis vtebãtur, (Nihil enim horum à mutis, siue præscriptis orationibus fiebat) quanam scriptura prodita sunt? Qua scriptura didicerat D. Paulus, in arca Moysis, præter duas tabulas, etiam vrnam cum manna, & Aaronis virgam inclusam fuisse: cum alibi dicatur, nihil præter duas tabulas cõtinuisse? Quæ scriptura eundem docuerat, à Moyse aspersum populum sanguine vitulorum & hircorum, cũ aqua & lana coccinea, & hyssopo: item, librum ipsum, & tabernaculum cũ omnibus vasis ministerij? Nihil enim refert Exodus, quàm populum aspersum sanguine vitulorũ. Doce tu nunc ex scriptura, nihil ipsis sine scripto commissum. *Secundum*, Legem ipsam scripto traditam, paucis innotuisse: immò scripturam ipsam multo tempore Sacerdotes latuisse, qui potiùs tradita per manus, quàm sacras literas legebant. Testis est 4. liber Regum. Temporibus enim optimi Regis Iosiæ, inuentum est liber legis Moysis, ab Helchia põtifice summo: cuius lectionẽ

De coro. mil. cap. 4.

Matth. 17.
Num. 19.

Num. 5.

Hebr. 9.
3. Reg. 8.

2. Paral. 5.

Hebre. 9.

Exod. 24.

4. Reg. 22.

cum

cum Rex audiuisset, scidit vestimenta sua, tanquam rem audiens nouam & inauditam: quæ sanè inaudita non fuisset, si libro Legis Sacerdotes vtebantur. *Tertium*: Veterem illum populum magis ad traditionem, quàm ad lectionem librorum admoneri. Hinc toties illud: *Interroga Patrem tuũ, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi. Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis: vt cognoscat generatio altera. Non te prætererat narratio seniorum: ipsi enim didicerũt à Patribus suis*, &c. vt nôris, non defuisse ipsis non scriptas traditiones. *Quartum*: Eodem pertinent secretiora templi. Populo non licebat arcam intueri, nec Leuitis attingere, neque Sacerdotibus, præterquam summo Sacerdoti quotannis semel, in sancta Sanctorum introire. Nota est punitio Sichimitarum, ob visam arcam: & Ozę, ob eam manu attactam.

Deut. 31.
Psal. 77.
Eccl. 8.
1. Reg. 6.
2. Reg. 6.
Hebr. 9.

HÆRETICVS.

Prætereà, si hæ rationes valerent, tum sanè temerariè feciſſet, & violati mysterij reus esset Basilius, Dionysius, aliique, qui huiusmodi Traditiones sine scriptis diuulgarunt.

COSTERVS.

B. Dionysius scripsit, sed non vulganit: commẽdauit fideli presbytero Timotheo, hac admonitione: *Obserua diligentius, ne sancta sanctorum efferas, neu prophanis luminibus violanda permittas: verum reuerentius magis, occultiq; Dei mysteria spiritalia, illustribusque*

Eccl. Hier. cap. 3.

notionibus honorabis, atque intemerata seruabis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentiam pandens. Ad eundem ferè modum B. Paul. ad alterum Timotheum; *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione, in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritũ sanctum, qui habitat in nobis.* 2. Timot. 1. B. Basilius eo tempore scripsit, quo Christianis ab Infidelium insultu nullum periculum imminebat: nulli enim tunc sub Christianis Imperatoribus (vt ait B. Augustin.) Christum blasphemare audebant. Tractat. 27. in Ioan. Deinde non sacra mysteriorum verba, vel sacratiores cæremonias sacrificij aut sacramentorum vulgauit: sed communes ritus Ecclesiasticos, Christianis omnibus passim notos, licet Paganis ignotos.

HÆRETICVS.

Grauissimè verò Ecclesia Romana iam ab aliquot seculis peccaret: quæ Eucharistiæ administrationem, reliquósq; ritus sacros, omnib. spectare volentibus, libertatem permittit, & concionibus ac scriptis publicè proponit. Quorum vtrumque nefas esse, hoc Basilij loco asseritur.

COSTERVS.

Nunquam nefas fuit, Catholicis Eucharistiam præbere spectandam: cum illa etiã mulieribus quondam, non solùm sumenda, sed etiam domum deferenda traderetur: præsertim persecutionis tẽpore, quando frequens communio Dominici corporis

ris valdè commendatur:& Christiano populo crebri conuentus non permittuntur. Vide quid ista de re scripserint temporib. illis Tertullianus, Cyprianus, Origenes, &c. Ad conciones admittũtur passim omnes: à sacro Missæ officio arcentur Catechumeni,Gẽtiles,vos hæretici,& excommunicati: non tam propter merum, quo nos modo terreamur,quàm ob infidelium indignitatem. Itaque præsente palam & noto excommunicato non licet Sacerdotibus operari sacris, vel in sacrificio progredi. Libris hæc sacra mysteria passim vulgantur:quia non Gentilibus, sed Christianis scribimus: qui summâ,qua par est, veneratione, doctrinam Catholicam suscipiunt.Ecclesia,tot seculis confirmata,& per vniuersum orbem propagata, & Christianorum principum viribus munita,non veretur hostium suorum machinationes, aut irrisiones.

Lib.2. ad Vxorem. Ser.5. lapsis, hom. 13.in Exod.

HÆRETICVS.

Quare, ex his omnibus apparet huius, quem ex Basilio adducis,loci,ab imperito aliquo homine corrupti, authoritatem non esse magni faciendam.

COSTERVS.

Quare,ex his omnibus à me dictis,appareret,hũc locum esse genuinum, & incorruptum B. Basilij fœtum:conformem scriptis aliorum Patrum. Attamen demus hæretico, quod dandum non est, [illegible] locus ab indocto corruptus. Quamnam scriptura nobis illa omnia reiecta sint,quæ de

tot ritibus Ecclesiasticis B. Basilius enumerauit? Dices, Nulla: ideóque pro superstitiosis, & cum scriptura pugnantibus neniis, exterminãda. Pergo quærere. Quis has nenias primus in Orbem inuexit? ede nomen auctoris, & locum, & tempus. Crucis signaculi innumera referuntur miracula. Eius, & Olei sacri, & Chrismatis, & consecrationis fontis, & cæterorum enumeratorum à B. Basilio, meminerunt vetustissimi quipe Patres: eorúmque vsq; ad nostra tempora successores: Cur ergo non fers in Basilio, quod ante ipsum, cum ipso, & post ipsum, tot sancti viri contestantur?

HÆRETICVS.

Verùm quamuis denique genuina hæc fuisset Basilij, hoc loco & tempore, sententia, quia humanum est errare, & veritas errori præferenda est: à Basilio, hoc in loco aberrante, ad rectius multis in locis definientem prouocaremus.

COSTERVS.

Nota, Lector, arrogantem & impiã Doctoris hæretici censuram. Arrogantẽ quia nõ veretur ineptus, & indoctus hæreticus, eruditissimum virum, Ecclesiæ doctorem erroris damnare: hoc nomine, quòd his clarissimis testis hæretica dogmata euertat.

tat. Veritas, inquit, penes nos Caluinistas est, errat igitur Basilius. Cur non potius contrariâ & veriore consequentia: Basilius hæc ante annos 1200. scripsit: nos igitur erramus, & veritas in nobis non est. Impiam voco censuram: quod sanctissimo viro mendacium impingat. Non enim B. Basilius dogma proponit seruãdarum earum, quas enumerat, traditionum: sed eas tantùm refert, quas ad sua vsque tempora, per Orbem vniuersum Ecclesia extra scripturam retinuerat & obseruarat. In altero ergo mentitur Basilius, si vera loquitur hæreticus: vel, quod eas dicit à Christianis seruari solitas, cum non obseruarẽtur: vel, quod eas extra scripturam retineri affirmat. Prius mendacium est nimis splendidum, nec viro sanctissimo dignum, qui sui temporis consuetudines narrat. Potius fatendum, mentiri hæreticum, qui à B. Basilij seculo duodecim seculis abest: & quæ tunc gesta sunt, nisi ex historiis, nosse non potest. Si posterius mendacium est, doceat hæreticus ex scripturis, vel apertis, vel per consequentiam necessariam, aliquid istorum obseruandum. Denique si vnus Basilius hos nobis ritus protulisset, fortè locũ haberet hæretici exceptio. At quia tot veteres & doctissimi viri hos eosdem tradiderunt, & sibi commissos populos vbique terrarum docuerunt: quis audeat omnes erroris insimulare, nisi arrogans, impudens, indoctus hæreticus?

HÆRETICVS.

Sermone de fide, sic loquitur Basilius: *Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ scriptura habet: vel inducere quicquam, quod scriptum non est.*

COSTERVS.

Quandoquidem hic locus nõ ab isto solo: sed ab aliis passim hæreticis, seu Lutheranis, seu Caluinistis, aduersus Dei verbum non scriptum adferri solet: non ab re fuerit, B. Basilij verba paulò altius repetere, & sancti Patris mentem ob oculos ponere. *Quamdiu* (inquit) *aduersus consurgentes variis temporibus varias hæreticorũ factiones pugnandum fuit, eorum à quibus in certamen prouocabar, in dicendo styli vestigijs insistens, consequens esse arbitrabar, vt ei impietatis pesti, quam diabolus seminaret, eiusdem modi appositis ipsi vocabulis obuiam irem: & maledicta, quæ in Deũ inde nascerentur, reprimerem, vel etiam penitus refutarem: & alijs alias, prout videlicet hæreseos morbo laborantium vtilitas necessariò videbatur postulare, atque his sæpenumero eiusmodi, quæ licet in sacrosancta scriptura nusquam reperirentur, à pio tamen, & sanctis literis consentaneo sensu, neutiquam abhorrerent. Neque (id quod frequenter etiam Apostolus fecit) Græcorum verbis, si ea in rem meam esse animaduerterem, abstinerem. Hoc autẽ tempore*

pore, cõmuni omnium vestrũm proposito simul ac meo arbitratus sum conuenire, si impositum mihi à vestra, quæ est in Christo, charitate negocium, cum ea, quæ sanæ fidei congrueret, simplicitate conficerem: eáque dicerem: quæ à sanctis literis accepissem: & si in his quidem & nominibus & verbis vsurpandis parcus essem, quæ vt voce ipsa cum diuinis literis non conuenirent: eundem tamen, qui in ea haberetur sensum tenerent. Quæ verò eius generis essent, vt præter vocis nouitatem, sensum etiam nobis nouum atque inusitatum adferrent, & apud sanctos viros nusquam in vsu fuisse reperirentur: hæc omnia veluti peregrina, atque à pia fide penitus aliena, repudiarem, atque auersarer. Est igitur fides eorum, quæ dicta sunt, assentiens approbatio, sine vlla hæsitatione, cum summa animi persuasione, de eorum veritate, quæ Dei munere sunt prædicata. Quam fidem Abraham perhibetur habuisse: quippe de quo testatum sit, ipsum neutiquam incredulitate hæsitasse, sed confirmatum fuisse in fide: dantem gloriam Deo, & rectissimè persuasum, quod quæcunque promiserat Deus, potens erat & facere. Quod si fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, fidelia etiam omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate: haud dubiè manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt, aliquid velit reijcere: aut eorum, quæ non scripta, introducere. Cùm Dominus noster IESVS Christus [illegible]erat: Oues meæ vocem meã audient, & pa[illegible]dem dixisset, Psalm. 111.

Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Apostolúsque sumpto ab hominibus exemplo, vehementissimè interdicat, ne quid eorum, quæ in diuinis literis habeantur, demat: aut quod absit, addatur. Sic enim est apud illum. Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Quamobrem nos quoque cum antehac semper illud in animo ratum habuerimus: vt omnem à dominica doctrina alienam vocem & sententiam fugeremus: tum verò hoc ipso tempore (vt supra diximus) hoc à nobis seruari arbitror oportere: cum id nobis simul vobisque tractandum propositum sit, longè diuersum ab argumentis illis, à quibus alio modo alias vel ad scribendum aliquid, vel ad dicendum inducebamur. Quoniam videlicet eo tempore de hæresi confutanda, euertendóque diaboli artificio studiosè agebatur. Nunc autem simplex fidei confessio, explanatióque proposita est: quo fit, vt, cum tractatio nunc dissimilis sit, dissimilis etiam esse debeat stylus.

Notabis in his B. Basilij verbis, 1. Diuersum eius scribendi modum. Disputans enim cum hæreticis, non solis vtitur scripturis, sed etiam non scriptis traditionibus, quæ cum sacris literis non pugnant: imò etiam philosophorum & Gentilium scriptis: Ad Beati Pauli imitationem, qui subinde poëtarum versus suis verbis & dictis admiscuit. Vnde fatetur, traditiones aliquas esse nõ scriptas, quibus magis

sint

sint hæretici conuincendi, quàm scripturis: Tertulliano teste, qui eos indignos censet Scripturarum verbis, quorum sensus deprauant, & sermonem ad suam impiam mentem detorquent. Videtur Beatus Basilius alludere ad nuper tractatum 27. Caput, de Spiritu sancto. In quo, vt vidimus, plures quàm in reliquis scriptis suis, traditiones adduxit. Agens verò cũ piis Christianis, vti consueuit sacris literis ad eos informandos, atque ad diuini nominis honorem & amorem excitãdos. Hoc egregiè præstiterit, cùm alibi, tum in Monasticis suis regulis & institutionibus. *Nota 2.* Ab eo repudiari, veluti peregrina atque à pia fide penitus aliena, ea quæ nouum sensum afferunt, & apud Sanctos viros nusquam in vsu fuerunt. Loquitur de vocũ & doctrinarum nouitate, quã contra veterum Patrum mentem introducunt hæretici. Cuiusmodi sunt, non solùm antiquarum hæreseon dogmata, sed etiam nouorum hæreticorum inaudita veteribus commenta: de non inuocandis Sanctis, de Sanctorum reliquiis abiiciendis, de Romano Pontifice Antichristo, &c. quæ blasphemiæ in auribus Sanctorum Patrum nullo vnquam tempore sonuerunt. *Nota 3.* Fidem esse, non eorum, quæ scripta sunt, sed quæ dicta sunt, assentientem approbationem. Vt intelligas, non solis scripturis fidem concludi: sed etiam non scripta, ver[illegible]a Dei verba

Lib. de Præscript.

com

complecti. Sine scriptura enim credidit Abraham Deo. *Nota 4.* Infidelitatis esse argumentum, & signum superbiæ certissimum, *eorum quæ scripta sunt, aliquid velle reijcere, aut eorum quæ non scripta, introducere:* Non autem quæ extra scripturã tradita, retinere. Hæreticorum est, introducere noua: Catholicorum retinere antiqua: Nouum est, *nihil extra scripturam credendum:* nouum est, *vniuersum Dei verbum scripturæ comprehendit:* nouum, *sacras Reliquias exurendas, Missæ sacrificium de medio tollendum, pro defunctis non orandum, Sanctos necdum in cælis Dei vultum cõtemplari.* Hęc noua sunt: nusquam, neque in literis sacris, neque in Sanctorum Patrum libris descripta. Hæc, & id genus inaudita, introducere velle, manifestissimum est infidelitatis argumentum, & superbiæ certissimum signum. Ecclesia nihil introducit noui: aut, (si potest) doceat hæreticus, à quonam, quando, & vbi introducta sint, quæ ipse calumniatur. *Nota 5.* Ab *Apostolo vehementer interdictum, ne quid eorum, quæ in diuinis literis habentur, dematur, aut quod abest, addatur: siquidem hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.* Qui igitur de corpore sacræ Scripturæ nobis traditæ resecant Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, Iudith, Tobiam, Hester, Machabæos, Epistolas ad Hæbræos, Iacobi, Iudæ, Apocalypsin, Initium octaui capitis Euangelij Ioannis, & qui nouam

Galat. 3.

Scri

Scripturam cudunt, próque Dei verbo obtrudunt, *nihil credendum præter scripturam, omniáque credenda, scriptura comprehendi*: illi sacris literis demunt, isti addunt. At qui duplicem scripturam prout ab Apostolis tradita est, nullo adiecto, dempto, vel mutato; integram retinent, vnam in chartis exaratam, alteram in corde Ecclesiæ digito Dei, hoc est, Spiritu sancto, iam olim ipso Pentecostes die conscriptam: non violant Apostoli interdictũ. Agit igitur B Basilius in Nouatores hæreticos, qui pro more hæreticorum, scripturas mutilant, detorquent, deprauant, & damnatis veteribus, noua dogmata cudunt. Huc pertinent Christi, ab eo allata verba: *Oues meæ vocem meam audiunt: alienum autem non sequuntur*, quod, iuxta hæretici interpretationem, verum non erit. Siquidem totis his proximis mille annis, quibus nulla notitia fuit Caluinianæ doctrinæ, vel Christus nullas oues habuit: vel illæ omnes alienum secutæ fuerunt: quando sola catholica nostra fides & doctrina, per vniuersum orbem obtinebat. *Nota* 6. Semper B. Basilium in animo ratum habuisse, vt omnem à Dominica doctrina alienam & & vocem, & sententiam fugeret. Doceat hæreticus, doctrinam catholicæ Ecclesiæ à Dominica doctrina alienam esse. Nos docemus, verbum Dei scriptum, verbo Dei non scripto cõforme, verbũ Dei nõ scriptum, cum verbo Dei [illegible] per omnia conuenire.

1. Ioan. 10.

HÆRETICVS.

ert.91. Idem Basilius in definitionibus contractis: *Necessarium est & consonum, vt ex sacra quisque Scriptura, quod necesse sit, discat tum ad Dei cultus plerophoriam, tum ne assuescat humanis traditionibus.*

COSTERVS.

Quæstio B. Basilij sic habet: *Numquid expediat ijs, qui Nouitij accedunt, ea quæ de sacris Scripturis sunt, confestim ediscere?* Solutio: *Quæ ad vsum pertinentia sunt, ea vt vnusquisque ex diuinis literis ediscat, & rectum est, & necessarium: cùm ad maiorem animi expletionem in pietate, tum etiam vt ne humanis constitutionibus assuefiat.* Vult Nouitios suos Scripturas sacras memoriæ cõmendare: partim vt earum meditatione occupẽtur, partim, vt prauorum Monachorum obseruationes vitent. Quid hoc ad rẽ? An vult Monachos suos, quos Monasticis legibus instituit, Apostolicas traditiones negligere, & à se traditas regulas obseruare? Constat à B. Basilio plurimas præscriptas regulas, quas hæretici nostri neque in sacris literis inuenient, neque ex iis per necessariam consequentiam educent. Vibi Monasticus habitus in Scriptura, cuculla, collobium, melote, maforte, aliáque à Cassiano descripta; quibus omnium Monachi Basiliani

ib. 1. de institut. Cœnobiorum 37. ex longioribus.

liani ex eius præscripto induuntur ? Vbi preces septem horarum Canonicarum, quas suis imponit? Vbi vota solennia castitatis, paupertatis, & obedientiæ: quæ desertores Monasteriorum, Caluinistarum cryphæi, non verentur infringere ? *Qui* (inquit Beatus Basilius) *postea quã intra re-* 14. Ibid.
reliquorum fratrum societatem asscriptus fuerit, factámque à se professionem rescinderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem professionis suæ testem adhibuit, cuique se solẽni voto obligauit. Si quis verò in Deum peccauerit, quis orabit pro eo ? Etenim qui seipsum Deo semel deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ genus transierit, sacrilegij se scelere obstrinxit: quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subfuratus sit. Et sequenti regula, de 15. Et serm. de institue. Monachor.
virginitate. *Admittenda est virginitatis professio, tãquã firma iam, & eiusmodi, quæ à proprio consilio iudicioque proficiscatur, ratione iam probè adulta: post quod tempus, & præmijs & supplicijs à iusto iudice afficiuntur ij, qui vel benè vixerint, vel malè, pro meritis eorum quæ gesserint. Porrò sententiæ eiusmodi testes assumendi Ecclesiarum Antistites sunt: quod videlicet per ipsos & sanctificatio corporis, veluti res sacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorum testimoniũ confirmatio fit.* Itẽ, de obe- 28.
dientia. *Vbi quis semel se in reliquorum fratrum corpus cooptandum tradiderit, is si membrum poste a ad ministrandum aptum iudicatum fuerit, esto quod ipse dissentiat, vices*

ipsius

ipsius videatur superare, de iudicij periculo prorsus illum esse solicitum sinat, qui ea imperat, quibus vires suæ pares esse non possint : ipse autem parendo obediendoque alacritatem pro virili declaret, studij sui vsque ad mortem, memoria assiduè Dominum tenens, qui factus fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Illud autem Antistitis imperium detrectare, & verbis aduersus iussa eius litigare, magno indicio est, eum, qui id faciat, multis vitijs laborare. fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia morum, atque superbia. Et alibi: *Superiori parendum est, vt oues Pastori, & vt instrumentum artifici, quod se præbet tractandum & non eligit sibi quid facto sit opus ad artem iuuandam.* De Paupertate vero: *Omnis proprietas vitanda est, ne in crimen Iudæ incidamus : furtum est enim priuata possessio.* Item. *Mulieres ab ingressu monasteriorum prorsus arceantur. Apotheca communis sit omnium, neque proprium alicuius quicquam nominetur: Antistitis autem potestas sit, vt ex ijs, quæ in communi posita fuerint, cuique ad vsum pro tempore assignetur.* Item, *Conuenit, vt quemadmodum qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant : ita & qui colendæ pietatis gratia, ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediantur.* Denique, *Monachum oportet, cum primis nihil in vita, quod sui iuris proprium sit possidere.* Hæc & id genus aliæ, monasticæ Constitutiones, sunt

onstitut. naſt. ca. 23.

d. cap. 35.

institut. onach. ser. n. 10

Id. serm. 2.

rm. de cenſi.

sunt ne ex sacris literis desumptæ, an extra Scripturam traditæ? Si illud dicas: quæro, cur ergo Monachos Apostatas ad matrimonia, & proprietatem admittitis: nec eos violatorum votorum damnatis? cur euertitis Monasteria; Cur sacras virgines ad nuptias sollicitatis? Cur apud vos exulat monastica disciplina? Sin alterum dicas: concludo ex Beato Basilio, Apostolicas Traditiones extra sacras literas, sine scripto traditas. Siquidem *ab exordio prædicationis Apostolicæ* (ait Cassianus) *à sanctis & spiritualibus Patribus fundata Monasteria, ad nos vsque perdurant.* Quæ etiam, ait, Beatum Marcum Euangelistam in Ægypto constituisse.

In præfat. ad Castorem Episcop. librorum de instituc. cœnob. Lib. cap. 4. & 6.

HÆRETICVS.

Idem Basilius simile quid habet, quæstion. 98.

COSTERVS.

Interrogatio est: *Cuiusmodi animum habere Antistes debet in iis, quæ imperat, constituit ve obeunda discipulis?* Respondeo: *Quod quidem ad Deum attinet, tanquã Minister sit Christi, & dispensator mysteriorum Dei, metuens ne quid præter voluntatem Dei, quæ ex confessо certa in Sacrosanctis Scripturis sit, dicat, statuat*

statuatue, existátque aut falsus testis Dei, aut sacrilegus, ex eo quod aliquid alienum à doctrina Domini inducat, aut contra eorum quæ grata sunt Deo prætermittat. Quid istud ad rẽ tuã? Beatus Basilius instruit Monachorum Præfectos, ne quid imperent à sacris literis, & doctrina Christi alienũ. Inde tu concludis, nihil extra sacras scripturas admittendum: qua consequentia, nisi sophistica? Absit enim vt Apostolorum doctrina, quã Ecclesiæ sine scripto commiserunt, vel in minimo pugnet cum doctrina, quam scripto tradiderunt.

HÆRETICVS.

Idem in moralibus dicit, quicquid extra diuinam scripturam est, ex fide nõ esse, sed peccatum.

COSTERVS.

Quæstio B. Basilij fuit: *Quid proprium fidelis?* Respondet, *Vt cum certa animi expletione veram esse illorum vim credat, quæ dicta sunt in Scriptura, nihilque reijciat, aut nouum statuere audeat. Etenim si omne quod ex fide non est, peccatum est, vt ait Apostolus: fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei: sine dubio cum quicquid extra diuinam scripturam est, ex fide non sit, id peccatum sit.* Officium fidelis Christiani esse, vniuersam Scripturã admittere, ab ea nihil reiicere, nihilque nouii[illegible] ex eo probat B Basilius: quia quicquid [illegible] diuinã Scripturam est, ex

Moral. reg. 8. cap. 22. quæstion. 2. 3.

Rom. 14.

fide

fide non est. Extra scripturam, appellat, nouas hominum doctrinas, à scriptura alienas: quale est figmentum hæreticorum, *Nihil præter literas sacras admittendum*. Hoc enim est nouum dogma, nulla scriptura expressum, sed cum Scriptura pugnans: antiquissimæ autem Apostolicæ Traditiones, nascente Ecclesia, Christianis sine scripto commissæ, neque nouæ sunt, neque extra Scripturam inductæ, sed cum Scriptura ab Apostolis datæ.

HÆRETICVS.

Ex hisce omnibus constat, Basilium non minùs doctè, quàm perspicuè Pontificiorum errorem refutare.

COSTERVS.

Ex hisce omnibus constat, D. Basilium, sanctissimum, doctissimumque Præsulem, qui pijs legibus & Apostolicis institutis, diuina Scriptura non expressis, vagos Monachos in ordinem redegit, alioſque multos ad disciplinam monasticã piè induxit, nihil contra Apostolicas traditiones, toto orbe receptas, & longo vsu confirmatas, vel dixisse vnquã, vel scripsisse, vel per somniũ cogitasse. siquidem seipsum confodisset gladio suo: cuius monasticæ regulæ nul â scriptura (vt demonstratum est) exprimuntur.

HÆRETICVS.

Quod verò Augustinum, Epistol. 3. ad Volusianum, ad oram libri testem indicas, iterum malam tuam in Patrum scriptis fidem prodis.

COSTE

COSTERVS.

B. Auguſtini epiſtola ad marginem adiecta, refertur ad ſequentia: *Cæterum non inficiamur præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Chriſtianis cognitu ſunt ad ſalutem neceſſaria, perſpicuè ſatis eſſe, Apoſtolicis ſcriptis comprehenſa.* Hoc enim ad Voluſianum ſcripſit B. Auguſtinus. Prudentiæ tuę erat, non mihi, ſed typographo vitium imponere. A te autem peto: Cur, qui ad literas ſacras tam ſeriò prouocaſti, ad nullam me ſcripturam adduxeris? Hactenus enim ex ea appellatione, ne vel vnam abs te audiui ſcripturã. Articulus nouus, tanti momenti, cui totius Caluiniſtici dogmatis ſtructura: veluti fundamento, innititur, nimirum, Omnia quæ credere oportet, eſſe ſcripturis comprehenſa: non ſine Scripturis proponendus erat. Forte, quia extra Scripturam eſt, Scripturis non probatur? ſed propterea nec eſt afferendus. In obiectiones contrarias, eas reſeruas. Ad illas igitur accedamus, & quantum valeant, examinemus.

***

DE OBIECTIONIBVS Hæreticorum aduerſus Apoſtolicas Traditiones.

HÆRETICVS.

HACTENVS, quæ contra ſacrarum literarum perfectionem abs te diſputata ſunt, confutauimus.

COSTERVS.

Duo his paucis verbis, Doctoris hæretici mendacia: Nam, nec ego contra ſacrarum literarum perfectionem diſputaui, ſed contra hæretici inuerecundam inſcitiam, qui vel ipſum perfectionis nomen & notionem non nouit: Neque ipſe me confutauit, qui nullum ſacræ ſcripturæ teſtimonium produxit.

HÆRETICVS.

Supereſt, vt argumenta, quæ ab Orthodoxis proferuntur, à reſponſione tua vindicemus.

COSTERVS.

A Cacodoxis dicendum erat. Nam ego partes Orthodoxorum tueor: qui iam mille quingentis annis ſanam doctrinam, tot ſæculis conſeruatam, tot miraculis probatam, tot martyrum ſanguine conſignatam, tot doctiſſimorum ſanctiſſimorumque virorum ſtudio [illegible]tiaque explo

ploratam, denique in tot hæreticorum impugnationibus firmam, inuiolatam, & incorruptam aduersus omnes hæreses, & alios Infidelium errores felicissimè propugnarunt.

HÆRETICVS.

Quum autem plurima sint & illustria, duo tantum selegisti, quæ, *Hæreticorum obiectiones*, censoria authoritate appellas.

COSTERVS.

Ego Enchiridion, vt compendium controuersiarum scripsi, selegi potiora argumenta: Nam cętera mihi nullius ponderis visa sunt, ea à te expecto, qui ad scripturas appellasti. Hæreticos vos voco, non cēsoria authoritate mea: sed primum quidem ex rei veritate, quia hæretici estis. Vobis hæreticorum definitio conuenit, quorum est, eligere quod credere velint: id tu cum Caluinistis cæteris, dum apertè facis, (siquidem nulla potest à te proferri ratio, cur partes Caluini potius, quàm Lutheri, vel Anabaptistarum, aut aliorū sectaris, quàm quod, tuo iudicio, apud vos purius tractetur Euangelium, quam rationem singuli pro se ferunt,) profectò hæreticus appellari mereris, iuxta Logicorum axioma: Cui conuenit definitio, illi & definitum. Si igitur reipsa hæreticus es, ne indigneris, si nomine re decente voceris. Deinde verò, quia toti mundo (excepta modica colluuie Caluinistarum) hæretici estis: Catholicis, Latinis & Græcis, Lutheranis, Anabaptistis, Tri[illegible], Hussitis, Turcis, Iudæis Europęis

Europæis, Asiaticis, Africanis, Americanis, Indis, &c. Cæterum vt lector hæretici exceptiones cõtra argumentorum solutiones meas clariùs videat: statui argumenta hoc loco cum suis solutionibus referre.

Argumentum primum Hæreticorum.

EX cap. 20. Ioannis: *Multa quidem & alia signa fecit IESVS, in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia IESVS est Christus Filij Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Ergo omnia, quæ ad fidem pertinent, scripta sunt.

SOLVTIO.

Consequentia non valet. Sed inferendũ potius erat: Ergo ea literis testata fuerunt à Ioanne de Christo, quæ ad salutem erant omnibus scitu necessaria. Quod vltrò damus. Plura autem ad fidem pertinẽt, quàm omnes nosse teneantur. Pauca capita nouisse, sufficit ad salutem: de reliquis satis est contrarium pertinaciter non tueri. His porrò verbis Beatus Ioannes indicare videtur, quid se ad scribendum Euangelium mouerit: nempe, vt se aduersus hæreticos (maxim è Cerinthum, & tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui [illegible] Christum ante MARIAM non fuisse [illegible] ipsius natu

naturam commonstraret: quod ait se abun dè, enumeratione miraculorum feciſſe.

In hac ſolutione carpit hæreticus.

HÆRETICVS.

Quod continet ea, quorum notitia ad ſalutem ſufficit, in eo nihil ſcitu neceſſarium deſideratur: quia hæc contraria ſunt. Atqui ſacræ literæ ex tua confeſſione, ſunt eiuſmodi. Ac propterea falsò ante ſtatuiſti, in ijs multa ſcitu neceſſaria deſiderari.

COSTERVS.

Sophiſma eſt, ex loco amphibologiæ, & ambiguitate ſermonis. Dixi, ſacris literis contineri ea capita omnia, quæ Chriſtianis omnibus ſunt cognitu neceſſaria: non autem omnia quæ ad fidem pertinent & quę neceſſaria ſunt cognitu Eccleſiæ, eiusque Prælatis. Duodecim fidei articuli ſufficiunt baptizandis. At Eccleſiæ tradita eſt clauis ſcientiæ, & ſpiritus veritatis, quo norit omnem veritatem, & quæſtiones Scripturarum ac fidei, aduerſus omnes errores reſoluat. Non igitur pugnantia locutus ſum: ſed hæreticus, more ſuo, ſophiſticatur. Non alia dicunt Auguſtinus & Cyrillus: quos ſuperuacaneè citaſti.

HÆRETICVS.

Cæterùm quòd ais, *Plura autem ad fidem pertinent, quàm omnes noſſe teneantur*, nihil dici poteſt inconſtantius. Nam *ad fidem pertinere quod non teneamur*, idem valere, in

ſtatu

ſtatu quæſtionis & explicationis illius ſatis declaraſti. In ijs enim hæc tria, *quæ credere oportet, quæ ad fidem pertinent, omnia creditu & ſcitu neceſſaria*, eodem ſenſu abs te propoſita ſunt.

COSTERVS.

Nihil inconſtanter à me dictum eſt: niſi homini indocto, aut calumniatori. Indoctus es, ſi putas idem valere: *omnes noſſe tenentur, & omnia ſcitu & creditu ſunt neceſſaria.* In Republica, neceſſaria eſt notitia artis ſartoriæ, ſutoriæ, fabrilis, &c. atqui quis dicat, has eſſe ſcitu neceſſarias omnibus? Ita in Eccleſia eſt fidei plenitudo, & notitia: ſed non omnibus. Calumniaris autem, ſi noſti, & impugnas. Peccas enim in Spiritum ſanctum, qui agnitam impugnas veritatem.

HÆRETICVS.

At quænam ſunt illa capita? Nonne quæ ſymbolum Apoſtolorum præſcribit? At illa omnia creditu neceſſaria continere: & precipua quædam capita apertè, reliqua neceſſariâ conſequentia, communi orthodoxorum Patrum conſenſu conſtat.

COSTERVS.

Rectè & præclarè omnia: ſed non ad ſenſum tuum: Nam in primis notitia Symboli Apoſtolici, ſaluari poteſt Chriſtianus recens baptizatus, quia nouit

neceſſaria

necessaria ad salutem suam: Cætera autem quæ fidem concernunt, vt, de Dominica Cœna, de sanctitate & diuina veritate literarum sacrarum, deque id genus alijs fidei mysterijs, quæ extra hoc symbolum credunt Christiani, non video, quo modo à vobis per necessariam consequentiam, ex hoc educi possint, qui nihil præter Scripturam creditis. Profer hanc consequentiam, obsecro: aut desine iactare, quod præstare nequas. Nobis Catholicis omnia fidei mysteria nullo negotio ex Apostolico symbolo, per hanc necessariam consequentiam (quę vobis hęreticis nullius est momenti) concluduntur: *Credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, Ergo credimus admittendum & fide tenendum, quod nobis illa hoc gradu commendat.* Consequentia patet: quia alioqui sancta non esset, qualem eam credimus, cum, proponere mendacium aut falsum pro diuina veritate, non sit sancti: sed impij. Assumo porrò: *At Ecclesia sancta tradidit diuinas literas, tanquam Dei verbum scriptum: item, septem sacramenta; Missæ sacrificium, reliquque quæ eius doctrinâ & mandato credimus & retinemus, tanquã Dei verbum non scriptum literis, sed traditum per manus. Hæc igitur omnia sunt Christianis fide tenenda & obseruanda.*

HÆRETICVS.

Quod [illegible] dicis: *Ioannes indicare videtur, quid*

quid se ad scribendum mouerit, bene mones: sed quod ais: *Nempè, vt aduersus hæreticos (maximè Cerinthum, & tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse) diuinam ipsius naturam commonstraret, quod ait se abundè enumeratione miraculorum fecisse:* id inquam minus bene asseritur.

COSTERVS.

Ita B. Hieronymus: *Ioannes nouissimus omnium conscripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum aliósque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgẽs, qui asserunt Christũ ante MARIAM non fuisse.* De scrip. Eccles.

Et B. Cyrillus: *Quasi repetendo quæ scripsit, intentionẽ Euangelij manifestat: vt enim credatis* (inquit:) *& credentes vitam æternam habeatis, hæc mihi edita sunt. Plura verò Saluatoris fuisse signa dicit, quàm ab eo conscripta sint, quæ relicta sunt, quia sufficere ista putauit ad persuadendum legentibus, quia IESVS est Christus filius Dei viui.* Lib. 12. in Ioan. cap. 61.

Et alibi: *Scripta esse signa* (inquit Ioannes) *quæ IESVS fecit, vt credatis, ipsum esse filium Dei, Deum verum de Deo vero. Ad hunc enim intellectum signa illa & miracula cum potestate nos impellunt.* Lib. 12. thesauri. ca. 15.

HÆRETICVS.

Nec enim de miraculis solùm loquitur Ioannes, cùm ait, *Hæc autem scripta sunt* sed

de iis,& reliquis omnibus quæ antecedũt.

COSTERVS.

B. Ioannes Christi diuinitatem suo Euangelio(vt iam ex B. Hieronymo audiuisti) confirmare voluit. Hoc fecit tribus modis. 1. Dogmata Christi recitando planè diuina, quibus & seipsum confitebatur Deum. (*Ego*,inquiens, *& Pater vnum sumus*) & talia pollicebatur atque præstabat, quæ creaturarum omnium superant vires. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Et, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2. Christi diuinitatem Beati Ioannis Baptistæ, & suo ipsius testimonio comprobando. Nemo enim apertius & sublimius Christi diuinitatem locutus est, quàm hic Euangelista, instar Aquilæ altissimè ad Cælos volans: *In principio* (inquit) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*,&c. Testimonium etiam Baptistę clariùs posuit,quàm cęteri Euangelistæ. 3. Enumerando miracula Christi, quibus doctrinam suam de diuinitate testificabatur. Nõ enim plenam fidem fecissent prædicta omnia,seu dogmata Christi, seu vtriusque Ioannis testimonia: nisi ea fuissent miraculis confirmata. *Vt* (inquit Dominus) *sciatis, quia filius hominis habet potestatem remittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, &c.* Item apud B. Ioannem. *Opera non fecissem in eis, quæ alius*

Ioan.10.

Ioan.6.

Ioan.20.

Ioan.1.

Matth.9.

Ioan.15.

nemo

nemo fecit, peccatum non haberent. Eiusmodi fuerunt, illuminatio cæci nati, & putrescentis Lazari suscitatio, &c. Ioan. 9. Ioan. 11.

HÆRETICVS.

Nec hæreticos solùm refutandos sibi proposuit, sed eadem opera doctrinam fidei Christianæ accuratè docere.

COSTERVS.

Ignoras doctor hæretice, quid interfit inter id, quod ad scribendum mouet, & id quod iam motus, constituit scribere. Itaq; Ioannes ad scribendum inductus est (teste Hieronymo, Irenæo, Epiphanio, &c.) ad hæreses Cerinthi, & Ebionis confutandas: qua occasione oblata, pleráque alia, quæ Christianam doctrinam illustrarent, adiunxit: Non vt perficeret omnia, quæ ad plenam dogmatum formulã in aliis Euangelistis deerant: (ne imperfectionis cætera Euangelia, aut imperitiæ cęteros Euangelistas accusaret: quorum nemo doctrinæ Christianæ formulam constituerat Ecclesiæ tradere) neque vt Christianorum doctrinam post 50. annos, tãquam imperfectam, & minus plenè ab Apostolis traditam, impleret: sed vt plura documenta fidei & testimonia, præsertim de diuinitate Christi, haberemus scriptis consignata: quæ solo verbo hactenus tradita fuerant. Lib. 3. cap. 11. hæres. 51.

HÆRETICVS.

Nã quemadmodũ Paulus de sũma Euãgelij ait, *Non iudicaui me scire aliquid inter* 1. Cor. 2.

vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Ita & Ioannes vniuersam Euangelij doctrinam, fide ea, qua IESVM esse Christum filium Dei credimus, summatim complexus est.

COSTERVS.

Vix assequor, quid dicere velis: nisi fortassis à B. Paulo summam Euangelij dici, Christum crucifixum: & à B. Ioanne, IESVM esse Christum filium Dei. Hoc isto sensu permitto, quo apud Philosophos statuuntur subiecta scientiarum atque librorum: Sicut aiunt, Logicæ subiectum, argumentationẽ: Physicæ, corpus naturale: medicinæ, corpus humanum: Iurisprudentiæ, iustitiã: Theologię, Deũ. Sicut igitur scientiæ istæ totæ in eo versantur, vt subiectorum suorum naturam, proprietates & cõditiones doceãt: ita singulæ scripturę Noui testamenti partes, & vniuersum eius corpus, docẽt IESVM Christũ, & hunc crucifixum. Vis igitur verborũ B. Ioannis hũc esse sensum: Hæc scripta sunt à me, vt hoc Euangelio summã habeatis doctrinæ, quæ Christum Dei filium tibi ob oculos ponat. Inde videris ex Ioannis Euagelio formulam fidei facere, & Christianæ doctrinæ. At erras, hæretice. Multa enim prætermisit Ioannes fidei documenta: nihil de formulis Eucharistiæ, vel baptismi scripsit: nihil de Christi natiuitate ex B. Virgine, de Magorum aduentu, de Ascensione in cælum, de Transfiguratione in Monte, aliísq; multis, quæ

quæ ad fidem atque mores Christianos pertinent, &c. Noluit igitur dicere, se formulam eiusmodi præscripsisse: sed, se ea scriptis mandasse, quę ad docendam Christi diuinitatem satis essēt: *Vt credatis*, inquit, *quia Christus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis*: hoc est, vt hæreticis, qui Christo diuinitatem detrahunt, ne adhæreatis: sed de ea, vt orthodoxam fidem teneatis. Non vult autem omnia mysteria fidei, aut ea omnia quæ credenda sunt, à se suo libro comprehensa esse.

HÆRETICVS.

Meritò statuimus, omnia fidei Christianæ dogmata Euangelio Ioannis contineri.

COSTERVS.

Admirabilis consequentia: *Ioannis Euangelium sat sufficientérque docet Iesum esse Christum filium Dei: Ergo omnia fidei Christianæ dogmata continet:* similis huic: Præceptor docet Ciceronis orationem pro Milone: Ergo vniuersam Rhetoricam, Poësim & Grammaticam. Vis fortassis in hac sententia, *IESVS est Christus filius Dei*, vniuersa contineri dogmata fidei: atque ex ea per consequentiam necessariam educi. Conclude ex ea (obsecro) Baptizandos esse Christianos: sumendam Dominicam cœnam: Matthæi, Marci, & Lucæ Euangelia, itémque Apostolorum literas, esse diuinum verbum. Aut vis fortè, nihil ad fidem pertinere aliud, vt noris

Christum esse filium Dei, Anabaptistico Mennonis errore? Cuius sectæ mulier, ante annos 30. à me interrogata de fide, respondit, Se credere, *Christum esse filium Dei viui*. Quæsiui porrò quid de Incarnatione, Natiuitate, Passione & Resurrectione Domini? *Credo*, ait, *Christum esse filium Dei viui: Hac fide sicut Petrus satisfecit Christo, ita & tibi satisfactum oportet*. Si hanc imiteris, tu videris, qua fide glorieris.

HÆRETICVS.

Præfat. in Euang. Ioan. Rectè enim ait Cyrillus: *Exquisita profecto est, diuinitusq; defluxa omnium Euangelistarum doctrina. Nam cum quasi ab alta specula cuncta circumspiciat, auditorum vndique commodum ita diligenti studio colligit, vt qui veritatem diuinorum sentiunt dogmatum (si recto animo scripturarum sensum inquirunt) facilè quidquid eis conferat, in ea inueniant.*

COSTERVS.

B. Cyrillus ad sacrarum literarum commendationem tria dicit. 1. Euangelia diuinam esse scripturam. 2. quod auditorum commodum vndique diligentíque studio colligant: ad nostram enim vtilitatem & salutem edita fuerunt, & à Deo nobis data. 3. quod qui diuinorum sentiũt dogmatum veritatem, id est, pij Catholici, facilè in eis inueniant, quicquid eis confert, modò recto animo scripturarum sensum inquirant. Id [illegible]m fatemur omnes, cum B. Apostolo [illegible]em hoc loco B. Cyrillus respexisse

ſpexiſſe videtur: *cum omnis ſcriptura diuinitus inſpirata ſit vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Quia ſatis præſidij nobis ſubminiſtrat ſcriptura ad perfectionem: Docet enim illam eſſe retinendam fidem, quam nobis præſcribit & proponit Eccleſia, *columna & firmamentum veritatis: quam qui non audierit, ſit velut ethnicus & publicanus:* tradítque præcepta & exempla virtutum, totiúſque perfectionis vitæ Chriſtianæ. Itaque non vult B. Cyrillus omnia fidei dogmata B. Ioannis Euangelio contineri: ſed ex eo, ſicut ex aliis Euangeliis, aliorúmq; Apoſtolorum ſcriptis, ſat commoda media colligi ad fidei & vitæ perfectionem, dum Eccleſiam iuberis audire, & Apoſtolicam moneris perfectionem imitari. Si tu hoc ſenſu vis vniuerſam Chriſtianam doctrinam Euangeliis concludi, manus dabo: ſed tunc excludi non debet Eccleſia, quæ nobis eſt Magiſtra fidei, & doctrix veritatis.

2. Tim. 3.

1. Tim. 3.

Matth. 18.

HÆRETICVS.

Et Chryſoſtomus de Ioanne ait. *Quæ omnia hic nobis Euangeliſta accuratè explicat, cum ipſi Regi incredibili ſit amore deuinctus, immò & ipſum in ſe loquentem contineat, audieritque ab eo, quæcunq; ipſe à Patre acceperit. Vos dixi amicos*, inquit, *omnia quæcunque*

In Euang. Ioan. prolog.

cunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

COSTERVS.

Omittis præcedentia, doctor hęretice: vt illud, *quæ omnia*, ad vniuersa fidei dogmata referri videatur. At fucum sophisticum facis Lectori. B. Chrysostomus præmiserat summa mysteria diuina in Ecclesia tradi, quibus non soli homines, sed Angeli quoque doctiores fierẽt, iuxta B. Apostoli sen-
Ephes. 3. tentiam: *Vt innotescat Principibus & potestatibus in Cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Hæc, inquit, omnia, iam à me dicta mysteria accuratè explicat Euangelista, respicit Eangelij initium. In principio erat verbum, &c. nimirum, ad amplitudinem, potentiam, æternitatem, & maiestatem diuini verbi, eiúsque propter homines ineffabilem incarnationem. Addit porrò Chrysostomus, B. Ioannem cum cæteris Apostolis à Christo omnia, quæ à Patre audierat didicisse. At nusquam audio, ea omnia quæ à Christo eis commissa fuerant, literis etiam commendata esse.

Secundum argumentum hæreticorum.

ACtor. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile. quæ cœpit IESVS facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus*

sumptus est. Ergo omnia Christa facta, dictaque literis mandata sunt.

SOLVTIO.

Constat B. Lucam non omnia scripsisse, quæ Iesus fecit: aut docuit, quum vix quicquam eorum, quæ B. Ioannes suo Euangelio comprehendit, ipse attigerit, veluti, de cęco nato, de paralytico ad probaticā piscinam curato, de aqua in vinū cōuersa, de Lazaro resuscitato: præterea insignia illa Colloquia habita cū Nicodemo, cū Samaritana, cū Capharnaitis, (Ioan. 6.) & cū Apostolis absoluta cœna Agni Paschalis. Neq; sic loquitur B. Lucas: *scripsi omnia*, sed, *sermonem feci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere, & docere.* Hoc est, (vt B. Chrysost. interpretatur) Summatim aliquid de omnibus attigi, quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit, & qualis noster IESVS.

HÆRETICVS.

Agnosco quidem argumentū nostrum in Antecedente, sed fraudem tuam in cōclusione illius: non enim omnia Christi facta dictaque literis mandata vnquā docuimus, sed ea tantum, quæ saluti nostræ sufficerent.

COSTERVS.

Si illa tantùm vis literis sacris contineri, quæ saluti nostræ sufficiunt: cur nos impugnas, qui idipsum confitemur? Nonne hæc Enchiridij mei verba, *quæ ad salutem sufficiunt*, recitasti? *Cæterum non sufficiunt sine fide illa*

fidei capita, omnibus Christianis ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa. Cur digladiamur, si idem sentimus? Demiror obscuritatem & inconstantiam doctrinæ vestræ. Nunc fateris ea tantum scriptis comprehensa, quæ sufficiunt ad salutem: & impugnas tamen quod dicimus non omnia sacris literis contineri, quæ fidem concernunt. Fortè vis eorum omnium, in quibus fides versatur, notitiam ad salutem necessariam esse? At singulæ sacrorum Bibliorum sententiæ, singulæ historiæ, singula documenta attingunt fidem: cum sint Dei verbum, quod sola fide cognoscitur. Eritne igitur istorum omnium notitia ad salutem necessaria, Christianis omnibus, indoctis perinde atque doctis? Cauillaris hãc consequentiam ex B. Lucæ verbis, hæreticorum nomine illatam. *Ergo omnia Christi dicta, factáque, literis mandata sunt,* quæ tamen ex eius verbis, vestro sensu intellectis, necessariò consequitur. Si enim (vt vos vultis) B. Lucas ea conscripsit omnia, quæ fide credenda sunt: oportuit igitur ab ipso conscriptam esse doctrinã omnem Christi, eiusque miracula, præsertim quæ nobis ab aliis Euangeliis enarrata fuerunt. Nemo enim negauerit, quæcumque à B. Luca prætermissa sunt, & ab aliis Euangelistis conscripta, ad fidem pertinere, atque ad salutem necessaria esse, si ea omnia ad eam necessaria sunt, quę fidẽ concernunt.

HÆRE

HÆRETICVS.

Nec meliori fide Chryſoſtomi interpretationẽ adducis. Hæc enim expreſſa illius ſunt verba: *Non dixit, omnia, ſed, de omnibus: perinde ac ſignis dicat, ſummatim & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ neceſſaria ſunt, vrgentque.* Itaque quod de tuo allinis, *quibus ſatis conſtare omnibus poſſit quis vir fuerit, & qualis noſter Ieſus*, & Chryſoſtomo iniuriam facis, & lectori fucum.

COSTERVS.

Idem cum Beato Chryſoſtomo affirmo, B. Lucas dixit ſummatim & in genere, nõ omnia quæ Dominus locutus eſt & fecit, ſed de omnibus, quantum neceſſariũ fuit ad ſalutem, non quicquid concerneret fidem. *Quædam* (inquit Beatus Chryſoſtomus) *hîc* (in libro Actorũ Apoſtolicorum) *reperire licebit, quæ niſi liber fuiſſet proditus, haud quaquam fuiſſent vlli tam dilucidè cognita: quin potius, quod eſt caput ſalutis noſtræ, fuiſſet occultum, & in obſcuro latuiſſet: tam de his loquor, quæ ad bene viuendum, quàm quæ ad fidei noſtræ dogmata pertinent.* Non igitur ſuo Euangelio complexus eſt dogmata fidei omnia. Quod de meo adieci, *quibus ſatis conſtare omnib. poſſit, quis vir fuerit, & qualis noſter Ieſus*: & veriſſimũ eſt, ſine fuco, & B. Chryſoſtomo non iniurioſũ qui fatetur Euãgelia de Chriſti perſona [illegible] ſtiſq; tractare, ſicut hunc Actorũ [illegible] geſtis & di-

Homil. 1. in Act.

& dictis Apostolorum, & præcipuè Beati Pauli. An parum esse putas, nouisse *quis vir fuerit & qualis noster* IESVS? B. Apostolus hac vna scientia gloriatur: *Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Iniuriam igitur tu ipse facis Christo, cuius notitiam tam parui æstimas & lectoribus fucum, quibus Scoticam tuam scientiam cum mei calumnia vendis. Fateor igitur cum S. Chrysostomo, & Glossa quam citas, aliisque Patribus, à B. Luca ea omnia literis esse commendata, quæ ad salutem sufficerent: non autem omnia, quæ fidem concernerent. Nouerat quidem omnia, (sicut Beatus Ambrosius, & Diuus Augustinus affirmãt) sed non conscripsit omnia: ex omnibus enim elegit, quæ scribenda iudicauit.

1. Cor. 1.

Lib. 1. in Luc. Lib. 4. de cõsensu Euang. cap. 8.

HÆRETICVS.

Cæterum plurima alia à nostris adducuntur, quibus sacrarum literarum perfectio demonstratur: è quibus quædam ad veritatis illustrationem proferemus.

COSTERVS.

Dicam duo: Prius, Argumentis tuis opus non esse, vt sacrarum literarum perfectionem demonstres: eam enim omnes Catholici confitẽtur omnibus suis numeris perfectissimam, & à Deo ipso perfectissimo, atque perfectionis auctore dictatam. Quæximus hoc sacrilegum axioma

ma Caluinisticũ scripturis cõfirmari. *Nihil fide credendum, quã quod sacris literis est cõprehensum, vel ex eis per necessariã consequetiã educi potest:* seu (quod idem valet) *Omnia fidei dogmata sacris literis contineri.* Hoc voco sacrilegum: quia à sacrilegis sacrilegè extra verbum Dei, pro verbo Dei, seu fidei articulo obtruditur idiotis. *Nouum verbum Dei ex mendacio confingere, sacrilegium est.*

Alterum, Extra omnem controuersiã, necessum esse, vt rationes illæ & scripturæ, quæ Christianum hominem ad eam doctrinam euertendam inducant, quæ tot sæculis per vniuersum orbem præscripsit, sint certissimæ, efficacissimæ, clarissimæ, indubitatæ, & quibus nulla ratione occurri possit. Velle enim rem tot sæculis confirmatam, miraculis testatam, summo doctissimorum studio examinatam, exigui momenti ratiunculis, & ambiguis sententiis, non dico damnare, sed in dubium vocare, fatuorum est, qui stulto suo iudicio, non ratione, ducuntur. Inspiciamus igitur nunc doctoris hæretici rationes, an tantam vim habeant ad veterem catholicam doctrinam euertendam.

HÆRETICVS.

Primum, ex Moyse. *Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Deut. 4.
Et expressiùs: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Deut. 12.

COSTE

COSTERVS.

Infer: Ergo libri Moysis omnia quæ ad fidem pertinent, comprehendunt: neque aliquid extra eos est fide credendum. En secta Saducæorum, qui hoc argumento Prophetas, cæterásque veteris legis Scripturas reprobant. Hæreticorum nostrorum sensu, impiè egerunt Dauid, Salomon, Isaias, Ieremias, cæterique Prophetæ, qui multas, extra quinque libros Moysis, scripturas adiecerunt. Dico igitur: Moysen non loqui de verbo scripto, sed de lege verbis tradita. Non enim ait, non adderis ad verbū, quod scripsi vobis: sed quod loquor: Alioquin enim violasset hoc mãdatum Iosue, fidelis minister Moyseos, qui (iuxta communem opinionem) postremum caput Deuteronomio adiecit. Neque præcipit, ne quid amplius à filiis Israel obseruetur, quàm quod Deus per eum mandauit: Non enim Ionadab filius Rechab transgressus est hoc mandatum, præcipiens filiis & omnibus posteris suis. *Ne vnquam vinum biberent, vel domum ædificarent, vel sementem sererent, vel vineas plantarent, neque in domibus, sed in tabernaculis habitarent*: Neque peccauerunt filij, hæc parentis sui mandata religiosè obseruantes, tametsi eorum nihil contineretur libris Moysis. Cauit ergo prædictis verbis, diuino [illegible] Moyses, ne quis ausit legis Mandata [illegible] additionibus, aut mutilationi

Ierem. 35.

tionibus deprauare : quemadmodum à Phariſęis factum fuiſſe Chriſtus arguebat. Matth. 5. 15. 23.

HÆRETICVS.

Aberum, ex Iſaia & Chriſto, *Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Iſai. 29. Matth. 15.

COSTERVS.

Perfice conſequentiam : Chriſtus de Phariſæis, & Iſaias de impiis Iudæis queritur, quòd doctrinas & mandata hominum doceant: Ergo nihil extra ſcripturas ſacras eſt admittendum. Vel Phariſæi, impiique Iudæi fruſtra Deum coluerunt, docentes doctrinas & mandata hominum: Ergo quicumque mandata & doctrinas hominum docent, fruſtra Deum colunt. Quæro horum argumentorum locos, vel Dialecticos, vel Rethoricos, vel Logicos: ſed non niſi ſophiſticos inuenio. Poſterius vitioſum eſt, à non diſtributo ad diſtributum, (vt Scholæ loquuntur) veluti ſi dicas, Fruſtra mihi gratulantur inimici mei: Ergo idipſum fruſtra faciũt, qui mihi gratulãtur, omnes ſeu amici, ſeu cõſanguinei, ſeu filij : En fallaciam conſequentis. In priori argumentatione ſordent omnia, & Antecedens, & Conſequutio. Falſum eſt antecedens, CHRISTVM & Iſaiam de Iudæis queſtos, quod mandata & doctrinas hominum docerent. Non enim ſanctiſ

sanctissimum virum Ionadab filium Rechab accusare voluerunt: qui multò ante Isaiæ tempora, filiis suis Rechabitis humana præcepta extra legem Moysis imposuerat. De quibus sic Ieremias ad impios sui temporis Iudæos: *Nunquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab, filij* Ierem. 35. *Rechab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sũ ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi.* Apertè distinguit mandatum Ionadab à suo, tanquam humanum à diuino. Et ne more vestro, Rechabitas superstitionis insimuletis, audi Dei fauorem. *Domui autem Rechabitarum* Ibidem. *dixit Ieremias, Hæc dixit Dominus exercituũ, Deus Israel. Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Christus verò ita populum admonebat: *Super cathedram Moysis sederunt* Math. 23. *Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere: alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Non loquitur de præceptis diuinis, quæ (teste B. Ioanne) B. Ioan. 5.

gra

grauia non sunt, neque de his, quæ diuinæ Legi aduersantur, ad quę obseruanda Christus nos hortaretur: sed de præceptis humanis ex Cathedra Moysis decretis, cui Cathedrę Deus in veteri Lege, ne errorem doceret, vel peccata mandaret, semper astitit. Itaque triplici de causa reprehenduntur Iudæi & Pharisæi, qui humana docebant. 1. Quod eorum nonnulla mandata & dogmata pugnarent cum diuina Lege: *Deus*, inquit, *dixit honora patrem tuum & matrem, &*, Matth. 15. *qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur: vos autem dicitis, quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrẽ suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Simile est de iuramentis per templum & altare, quod irritabant: & per aurum & donum, quod obligabant. Hæc autẽ mandata non à Cathedra Moysis decreta fuerant, sed priuatorum hominum impietate & auaritia irrepserant. 2. Quod qui grauibus criminibus obstricti tenebantur, de ijs nihil solliciti, fiderent operibus externis, tametsi in se non malis: *Ieiuno*, (inquit) *bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo*: Et apud Isaiam, *Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti?* quibus respondit Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem.* Et apud Dauidem: *peccatori autem dixit Deus* Luc. 18. Isaiæ. 58. Psal. 49.

quare

quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Siquidem opera peccatorum nihil illis ad animarum suarũ salutem prosunt, neque ad æternam gloriã quicquam merentur, quamdiu necdum deposita est voluntas peccandi. Ita Christus hoc loco: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Proinde *frustra colũt me, docentes*, &c. & Isaias, *Et dixit Dominus, eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandatis hominum & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo.* 3. Quod plus studij adhiberent ad rerum leuium & adiaphorarum obseruationem, quales erant, lotiones frequẽtes manuum, calicum, cyathorum & domesticæ supellectilis: quàm diuinorum mandatorum. Hoc enim nomine grauiter reprehendit Pharisæos, accumbens mensæ: *Nunc* (ait) *vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini, mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate*: nimirum, quod calicibus continebatur, ex furto erat. Et hactenus de mẽdacio anteced ẽtis. Ex quo perquàm ineptè concluditur, *Ergo nihil extra Scripturas sacras est admittendum.* Nisi subsumas: *Atqui extra sacras literas nihil traditur, præter mandata & doctrinas hominum.* Hoc porro falsissimum est, & splendidum mendaciũ, vitians ratiocinationem

Matth. 15.

Isaiæ 29.

Luc. 11.

cinationem hæreticam ſophiſmate petitionis principij. Quod enim in quæſtionem vertitur, hoc pro certo aſſumis. Dico igitur, Apoſtolicas traditiones, non humanas, ſed diuinas eſſe doctrinas; quales ſunt, de inuocatione Sanctorum, de imaginum cultu, de Miſſę ſacrificio, de oratione pro defunctis, de quadrageſima & quatuor temporum ieiunio, de vnctione Chriſmatis, de vita Monaſtica: atque id genus plurimis, quæ iam 1500 annis vniuerſa per orbē extra Scripturā obſeruat Eccleſia. Si ab Apoſtolis nobis veniunt: igitur à Chriſto, qui eas Apoſtolos docuit, & præſcripſit, vt non tam Apoſtolica ſint, quàm diuina documenta & mandata. Si mentior: Tu ede nomina illorum hominum, qui nobis illa primi inuexerūt. Et tibi vetuſtiſſimos Patres nominabo, qui ante 1200. & amplius annos, hęc omnia ad Apoſtolos reculerunt.

HÆRETICVS.

Tertium, ex Chriſti teſtimonio: *Scrutamini Scripturas: quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Ioan. 5.

COSTERVS.

Quid ex hoc teſtimonio conaris efficere? Fortè

Fortè sic concludes, Christus hortatur ad Scripturarum lectionē: ergo prohibet reliqua omnia. Si quis discipulo dicat: Lege Ciceronem, eumque tibi familiarem reddito, sequetúrne ei prohiberi lectionē Iulij Cæsaris, Titi Liuij, aliorumque, qui non minùs latine scripserunt? Vide hęretice, quam ineptè sophisticeris. Dico igitur 1. Christum his verbis suis nihil minùs, quàm solas Scripturas pręcepisse legēdas, aut de Apostolicis (quæ necdum extabant) disseruisse. Non enim Iudæos culpat, quod extra Scripturas Ioannis Baptistę testimonium audierint. 2. Iis verbis Iudæorū sacerdotes admonitos, vt, qui nollent suæ assertioni & miraculorum confirmationi, aut Ioannis testimonio fidem præbere, saltē Scripturas consulant: in illis enim se nihil alienum: sed omnia valde consentanea cum ipsis dictis, factisque reperturos. Quis ex his aliquid contra noui Testamenti non scriptas Traditiones concludet, nisi delirus hæreticus, ne dicam phreneticus Sophista? De hac porrò Scriptura pluribus superius, circa caput 2. disserui.

HÆRETICVS.

Quartum, ex Apostoli Pauli confessione petitum est eiusmodi. Quod omnia continet, quæ Paulus Apostolus docuit, illud habet omnia fidei & charitatis dogmata, quę ad salutem necessaria sunt: quia Paulus ait: *Vo[illegible], vt nihil subterfugerim eorum*

Act. 20.

quo

quo minus vobis ea nunciarem, & docerem vos. Item, *Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* At verò sacræ literæ omnia ea complectuntur, quæ Paulus docuit: quemadmodum ipse apertè profitetur: *Auxilium à Deo nactus, perstiti in hunc usque Diem, testificans tum paruis, tum magnis, nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophetæ ac Moyses futura prædixerunt.* Actor. 26. Quamobrem quis de Scripturarum perfectione meritò dubitet?

COSTERVS.

Breuioribus verbis vis argumenti perspicietur: Quæcunque B. Paulus docuit, seu prædicauit, continentur literis sacris: Atqui ipse docuit omnia ad finem necessaria: Ea igitur omnia continentur literis sacris. Assumptionem admitto. Propositio autem probatur: quia nihil aliud docuit, quàm quę scripsit Moyses & Prophetæ. Hoc iterum probatur ipsius Pauli testimonio: *Nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophetæ & Moyses futura prædixerunt.* Quis ad tantas ineptias risum teneat? Tota rationis vis fundatur in Apostoli verbis: *nihil extra ea dicens, quæ Prophetæ & Moyses futura prædixerũt.* Quæro, quid sit, *extra ea?* Dices, Nihil præter ea. Nihil igitur docuit B. Paulus, quod nõ antea scripserunt Moyses & Prophetę. At nõne multa habet doctrina Euangelica, quæ nec in veteri lege inuenies [illegible] ea per necessi

necessariam consequentiam concludes? Vbi doctrina de renouatione & regeneratione per Baptismum, de manuum impositione, de virginitatis præstantia præ matrimonio, de Cœna Dominica, de retinendo coniuge infideli, (de quo Beatus Paulus, *Cæteris dico ego, non Dominus*) de Christi transfiguratione, de Magorum aduentu, deque alijs Christi gestis & dictis, quæ omnia fidem concernunt? Certum est, Nihil non credendum Catholica fide, quod de Christi verbis aut factis Euangelia tradiderunt. Quis autem dicat, ea omnia per Moysen & Prophetas descripta? Proinde quod Beatus Apostolus asserit, Nihil se extra Moysem, aut Prophetas docuisse, intelligendum est de conformitate doctrinæ Christianæ cum veteri Lege: nimirum, quòd illa nihil pugnans cum ista doceat, non autem quòd omnia, quæ ad nostram fidem pertinent, Scriptura vetus contineat.

1. Corint. 7.

HÆRETICVS.

Quintum ex eodem argumentum est: Quod nos potest sapientes reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christum IESVM, illud omnia quæ ad salutem necessaria sunt, comprehendit. Quare, cum sacræ literæ, teste Apostolo, sint eiusmodi, sequitur, omnia in ijs quæ ad salutem necessaria sunt, contineri.

2. Timoth. 3.

COSTERVS.

Rursus [illegible] nebricoso sophismate fucum facis

facis Lectori, confusione & homonymia. Nam 1. confundis ea indoctè, quę valde differunt: nimirum; Esse ad salutem necessarium, &, Ad fidem pertinere. Dixi in Enchiridio, & hîc aliquoties repetij, Pauca illa capita fidei, cuilibet baptizato ad salutem cognitu necessaria, Scriptura comprehendi: vt sunt, quæ nobis sancti Apostoli fidei symbolo proposuerunt. At nego illa omnia quæ fidem concernunt, scriptura contineri. Illam enim concernunt omnia verba seu scripta in Biblijs, seu non scripta: sed verbis Ecclesiæ commissa. Horũ omnium notitia necessaria non est cuiuis Christiano, nõ solùm eorum quę sine scripto tradita sunt, sed ne scriptorum quidem: qualia sunt, Christi miracula, varię historię, documenta, prędicationes, &c. sine quibus saluatur vulgus Christianorum. Hęc tamen sic ad fidem pertinent, vt, si quis eorum quippiam pertinaciter credere nolit, hæreticus censeatur.

2. Peccas homonymia, in voce, *sapientes reddere*, quod in propositione, tuo sensu, est, sufficere ad salutem: At in Assumptione, Beatum Paulum citas, qui non de sufficientia, sed de vtilitate sacrarum literarum loquitur. Sic enim ait: *Omnis doctrina diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad eruddiendum in iustitia, vt perfectus sit homo*, &c. 2. Timoth. 3. Multum interest inter *vtile & sufficere*: cibus ad sanitatem confert, sed non sufficit sine po-

sine potu, sine sano ventriculo, sine aëre salubri. Itaque Scriptura omnis, id est, vniuersa, eiusque partes singulæ, valent, & vtiles sunt ad prædicta (nulla est enim pars eius tam exigua, quæ non doceat, arguat, corripiat & erudiat:) at non solæ sufficiunt. Respondeo igitur ratiocinationi tuæ, falsam esse propositionem Apostoli sensu intellectam: quia non quicquid vtile est ad docendum, &c. id omnia comprehendit: sensu tuo vera est, sed Assumptio falsa: non enim assumit Apostolus, vt tu proponis.

HÆRETICVS.

Sextum argumentum est, quod hominẽ Dei perfectum reddit ad omne opus bonũ bene instructum, in eo nihil ad salutem necessarium deest. Paulus verò hanc laudem sacris literis expressa sententia ascribit, quam sanctus vester Thomas Aquinas eodem modo interpretatur. Nec aliter Chrysostomus ad illa verba Christi, *Scrutamini Scripturas*. Ergo sacræ literæ omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, perfectè comprehendunt.

COSTERVS.

Idem duplex Scoticum sophisma, eodem modo illustratur: tã de necessaria fidei notitia ad salutẽ, quàm de vtili. Non enim affirmat Apostolus, Scripturam omnem ad perfectionem sufficere: sed vtilem esse. *Vtilis est:* (inquit) *ad docendum*, &c *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

HÆRE

HÆRETICVS.

Verba sunt sancti vestri Thomæ, quem Angelicum, & optimum Pauli interpretem vulgò nominatis.

COSTERVS.

Irrides stolide, cuius nec vestigia lambere mereris, hominem angelica puritate castissimum, vitæ integritate sanctissimum, & omni genere doctrinæ celeberrimum: cuius scripta si mente penetrares, hæreticus non esses.

HÆRETICVS.

Sic ergo quadruplex (inquit) *effectus sacræ Scripturæ: scilicet, docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculatiuam: erripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam: vltimus eius effectus est, vt perducat homines ad perfectum. Non enim qualitercunque bonum facit, sed perficit. Hebr. 6. Ad perfectionem feramur, & dicit, vt perfectus sit homo Dei: quia non potest esse homo perfectus, nisi sit homo Dei. Perfectum enim est, cui nihil deest.* In 2. Tim. 3.

COSTERVS.

Præclarissimè sanctus Thomas: qui si ad Scripturæ commendationem plura adiunxisset, nihil dixisset alienum à vero. Sed cū audiam Scripturam perficere, nusquam lego solam sufficere ad perfectionem: quod est caput controuersiæ nostræ. Pharmaca quædam ad multa conferun[illegible] ad

ſtomachi calorem, ad cordis confirmationem, ad capitis purgationem &c. ſed non ſola, ſine alio cibo & potu. Ita ſcriptura perficit: tum quia præſcribit perfectionis documenta: vt, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Et, *Eſtote perfecti, ſicut pater veſter Cæleſtis perfectus eſt, diligentes inimicos, &c.* tum quia nos ad Eccleſiam audiendam remittit: quam nobis Chriſtus totius perfectionis magiſtram dedit: at non perficit ſola, ſed vtilis eſt ad perficiendum: cum plura non ſcripta eodem iuuent. Audi ſanctum noſtrum Thomam, alibi mendacia tua refellentem: *Paulus docebat, vt tenerent traditiones, & documenta, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Hieroſolymis, &c. & has traditiones dupliciter ediderunt: quaſdam verbis, vnde dicit, (per Sermonem) quaſdam in ſcripturis: ideo addit, (ſiue per Epiſtolam.) Vnde patet, quod multa in Eccleſia, non ſcripta, ſunt ab Apoſtolis docta: & ideo ſeruanda ſunt. Nam multa, ſecundum iudicium Apoſtolorum, melius erat vt occultarentur, vt dicit Dionyſius. Vnde Apoſtolus 1. Corint. 11 dicit: Cætera cum venero, diſponam.* I nunc Hæretice Sophiſta, & pro te cita B. Thomam noſtrum, quem vides tuis erroribus aduerſari.

Matth. 19.

Matth. 5.

In 1. Theſſalon. 2.

HÆRETICVS.

Chryſoſtomi verba: *Ad quarum (ſcripturarum)*

Homil. 5. in Ioan.

rarum) *eos testimoniorum relegat, hoc nos exemplo aduersus hæreticos hinc arma sumamus: Omnis enim scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: non aliis abundet, aliis careat: hic enim non est perfectus.*

COSTERVS.

Audio 1. aduersus hæreticos agendum Scripturis, at non solis, 2. omnem Scripturam vtilem esse ad docendum, &c. non autem audio, solam sufficere. 3. Hominem non esse perfectum, si aliis abundet, aliis careat. Quod nihil ad rem facit. Quid ista contra Catholicam Ecclesiam, quæ docet, præter sacras literas extare Dei verbum, in fidelium mentibus descriptum, nobisque ab Apostolis sine scripto traditum? Audi B. Chrysostomum, à me nuper adductum: *Patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine literis: eâdem verò fide digna sunt tam ista, quàm illæ. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignã putamus. Traditio est: nihil quæras amplius.* Eadem ferè ad verbum Theophylactus. Oecumenius verò: *Et sine literis, & per literas sanctiones tradiderunt Apostoli: & vtraque dignissimæ erant quæ seruarentur. Ecclesiastica enim traditio, etiam quæ fit sine scriptis, seruanda est.* Homil. 4. in 2. Thessalo.

HÆRETICVS.

Vnde *fidei canonem, mensuram, stateras, fundamentum, & Dei testamenta,* (quibus nihil addi, aut demi potest) Deo præuio Ecclesia Dei semper appellauit.

COSTERVS.

Agnosco epitheta. Scriptura est *canon* & regula, ad quã omnia dogmata & scripta omnia sunt colimanda: quicquid cum ea non conuenit, resecandum. Est *mensura*, quę iuxta capacitatem vnumquemque suam erudit. Nemo enim illa non proficit, siue doctus, siue indoctus. *Profunda est Scriptura*, ait B. Augustinus, *vt altitudine superbos irrideat, profunditate attentos teneat, veritate magnos pascat, affabilitate paruulos nutriat*: Est *statera*, qua doctrina omnium ponderanda est & æstimanda. Est *fundamentum*, cuius veritate nititur structura Ecclesiæ: ipsa siquidẽ demonstrat Ecclesiã, ipsa docet, ipsa sustentat, ipsa contra hæreticorum errores tuetur, &c. At non solo verbo scripto, sed alio etiam non scripto, quod ipsa per Ecclesiam audirimandat. Deniq; est *testamentum Dei*, cui nefas est addi quippiam, vel adimi. Sacrilegè igitur facitis, vos Caluinistæ, qui ab ea resecatis libros Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ & Ecclesiasticum: quos eadem Dei Ecclesia, quæ his titulis scripturam honorauit, non aliter nobis, at[illegible] eius partes tradidit. Absur-

lib. 5. de gen. ad lit. cap. 3.

sit, vt nos ad sacras literas quicquam adiiciamus: sed præter hoc testamentum, aliud recipimus verbum Dei, sicut ad testatoris testamentum Codicilli nonnunquam ex Testatoris voluntate, inuiolato testamento, adiungi solent.

HÆRETICVS.

Ac propterea celebratur meritò apud omnes, illud Hieronymi dictum: *Quia hoc de scriptura non habet authoritatem, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur.*

COSTERVS.

Hîc rursus agnosco Sophistam. B. Hieronymus opinionem quorundam recitat, *ex Apocryphorum* (vt ait) *somnijs probatam*, De Zacharia B. Ioannis Baptistæ parente, quem volũt inter templum & altare Hierosolymis occisum: at *quia hoc*, (inquit) *de scriptura non habet authoritatem, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur.* Hîc Sophista noster cum suis comministris, tanquam ex generali celebrato axiomate, colligit, *meritò contemnendum, quicquid de scriptura non habet auctoritatem*: fallaciâ consequentis, hæreticis familiari, quæ ex vno particulari, damnat vniuersos: velut, hic sacerdos impurè viuit, ergo omnes: quo loco pari modo concludi posset: Vnus Apostolus Iudas diabolus fuit, & proditor Christi: ergo Apostoli omnes. Cæterùm B. Hieronymum extra Scripturã, multa sen[illegible] docuisse,

demonstrant eius scripta, quibus impugnauit hæreticos. Aduersus Montanos, affirmat, nos vnicam Quadragesimam, non plures ab Apostolis recepisse: contra Vigilantium, propugnat honorem reliquiarum, & Sanctorum inuocationem: aduersus Iouinianum, vota Virginum, & cœlibatum Sacerdotum, &c. Hæc vobis nullâ scripturâ continentur.

HÆRETICVS.

Tanta denique huius rei est perspicuitas, vt Pontificiorum celeberrimi Doctores idem asserant. Nam præter Thomam & Durandum, quorum iam memini, Scotus id expressè docet: & ex Scoto resolutio Theologorum super sententias ait: *His præmissis ponitur talis conclusio. Doctrina supernaturalis nobis necessaria vtiliter & sufficienter habetur in sacra scriptura.*

COSTERVS.

Et quis vnquam hanc Cõclusionem negauit? Videris clausis oculis Andabatarum more (vt ait B. Hieronymus) pugnare, & sagittam extra scopum, quò nõ debes, dirigere. Quæstio nostra est, Sintne omnia sacris literis comprehensa, quæ fide tenemus? Tu aientem partem propugnas, ego negantem. Sed, vt te vides & scripturis, & rationibus destitui, transis ad id probandum, quod super extra controuersiam fuit: nimirum, *omnia, quæ nobis ad salutem*

necessa

necessaria sunt scripturis sanctis contineri. Nec-dum te agnoscis Sophistam? reuerà omne tuum studium in eo ponis, hæreticorum more, vt vicisse videaris. Huc pertinent omnia argumenta tua, quæ non nisi sophismatis constant: huc confusi sermones, huc vitulini saltus, quibus de materia, velut de stadio nunc exilis, nunc resilis. Inconstans & ineptus argutator: & nihilominus gloriabundus Ecclesiæ Catholicæ spretor & irrisor. In te cõuenit illud Isaiæ: *Qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Adduxisti Scripturæ loca, illis velut demonstraturus Caluinistici tui axiomatis veritatem: *Nihil extra sacras literas fide tenendum:* & euersurus antiquam, tot sæculis confirmatam Apostolicarum traditionum authoritatem. Nonne te pudet tuæ malitiosæ ignorantiæ, aut ignorantis malitiæ? Videsne te aranearum telas texuisse? & nil præter pueriles nugas, & aniles næniias adduxisse? Scio te his non inductum, ad Maiorum fidem deserendam: cum tibi conscientia tua argumentorum illorum, quæ hactenus produxisti, vanitatem testetur: sed postquam semel hæretica electione ad Caluini castra transfugisti, vndique ratiũculas & Scripturarũ particulas conquisisti, & corrasisti, quibus sacrilegum axioma cõprobare videretur. At quid dicet supremus Iudex Christus, cui dictorum factorúmque omnium (fortasse enim ne citiùs) accuratissima tibi ratio reddenda erit? Isaiæ 33.

Hæccine (inquiet) sunt argumenta, quibus Ecclesiam meam violastis, vestem meam inconsutilem conscidistis, Rempubl. Christianam perturbastis, Catholicorum bona diripuistis, Reges prouinciis suis spoliastis, ciuile cruentum bellum tot annos fouistis, & vniuersos ritus Catholicos cum orthodoxa fide, de medio tollere satagistis? Tantillis rationibus & nugis ad tanta scelera inducti estis? Quid tunc tu hæretice? Sero quidem sapies, sed cum magno Luthero tuo, & conscelerato Caluino tuo (ni tempore resipiscas) gehennæ tormentis inuoluêris: vbi vermis conscientiæ non moritur, & ignis in sempiternum deuorans non extinguitur.

DE CAPITE VI.

Sitne scriptura intellectu facilis.

HÆRETICVS increpat me, quod hanc tractârim quæstionem: *Quis enim* (ait) *adeo imprudens, aut impudens esse possit, quin multa in sacris litteris obscura esse fateatur?* Respondeo, Magnus tuus Lutherus, qui eam affirmat per se certissimam, facillimam, apertissimámque esse sui interpretem, omnium omnia probantem, iudicantem, & illuminantem, essétque clariorem omnium Patrum commentariis, nullum [illegible] locum afferri posse, quem

Præfat. articul. à Leone X. damnator.

quem ipse non facilè interpretetur. Si vos Caluinistę à Lutheri doctrina hoc articulo dissidetis, noueris vos Caluinistas non solos esse hæreticos, & me non de vobis solis cùm Enchiridion discipulis nostris conscriberem, cogitasse: sed de omnibus nostri temporis, præsertim per Germaniã, in qua versabar, sectariis.

HÆRETICVS.

Contra, Pontificij negant, omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata, sacris literis perspicuè contineri.

COSTERVS.

Doctor hæreticus mentitur. Non enim solis sacris literis, sed etiam Apostolorum symbolo, asserimus omnia dogmata fidei comprehendi, necessaria ad salutem.

HÆRETICVS.

Ac contra statuunt (*Pontificij*) sacras literas ad certam sui in salutaribus dogmatis intelligentiam, & ad controuersias (quę de ea re oriuntur) dirimendas, non sufficere: sed ad vtrumque necessarias esse traditiones, & Patrum scripta.

COSTERVS.

Hîc rursus sophisticatur Doctor, sophista fallacia homonymiæ: Pontificij necessarias docent traditiones & Patrum scripta, ad intelligentiam salutarium dogmatum, & ad controuersias dirimendas, Ergo negant omnia dogmata fidei ad salutem necessaria, sacris literis contineri.

Nullúmne eſt diſcrimẽ inter ſalutare, & neceſſariũ? Nõne multa ad corporis ſanitatẽ ſalutaria ſunt, non tamẽ neceſſaria? Vinũ, perdices, pulli, ad ſanitatem conferunt: at quot pauperes, imò mediocres ſine illis viuunt? Dico igitur, Sicut omnia, quæ ad fidem pertinent, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta, ad ſalutem neceſſaria ſunt (omnia enim ad ſalutẽ noſtrã ſcripta ſunt, & dicta, & ab hęreticis in controuerſiã vocari poſſunt:) ita non omnia, ſed quædã eorũ, ſunt ad eandem cognitu neceſſaria. Illa autem neceſſaria omnia clarè ſacris literis continentur: cætera ſalutaria & controuerſa clariſſimè traditionibus Apoſtolicis ab Eccleſia dirimuntur & explicantur.

HÆRETICVS.

Veri catholici non ſpeciẽ panis in Cæna Domini, ſed verum panem ſtatuunt: Nec Chriſti corpus ſub ſpecie panis in terris latere, ſed in Cælis gloriosè, ad iudicij diem permanere, ex Dei verbo, ſenſus experientia, & orthodoxa antiquitate agnoſcunt.

COSTERVS.

Iterum mentitur Doctor hæreticus: Nemo enim Catholicorum diffitetur, in Euchariſtia reuera adeſſe Corpus Chriſti. Catholici fuerunt ſancti Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Hierſolymitanus, & Alexandrinus, cæteriq́ue Eccleſiæ doctores: qui omnes [illegible] in Euchariſtia idem adeſſe

esse Christi corpus, quod in ara Crucis patiebatur, & sanguinẽ, qui illic effundebatur, & nunc in cælis ad Patris dexteram residet. Nemo Chrysostomum mendacij arguit, quod populũ sic docuisset, aut deinde scriptis mãdasset: *Christus carnẽ suã & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. O Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet & in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Sed de his plura Cap. de Eucharistia, vbi me ad illud deduxeris. Nominas Caluinistas tuos catholicos? at perquã ridiculè sicut se meretrix nominat pudicam, morio sapientem, ebrius sobrium, mendax veracem, sophista doctorem, tenebricosus illustrem, dormiens vigilãtem, sathanas Angelum lucis, diabolus Deum. Hoc verè estis, quod mũdo vniuerso estis, hæretici, cacodoxi, schismatici, seditiosi, perduelles, synogoga sathanæ. Non minus ridiculum est, quod ab orthodoxa antiquitate præsidium quæris: nisi eo nomine intelligas veteres hæreticos, Berengarium, Bertramum, Scotum: aut Iconoclastas, qui Eucharistiam fingebant imaginẽ corporis Domini, aut fortasse mentiris sanctissimos Patres pro vobis stare, quos magno numero quidam de vestro grege nuper pro cõcione aduersus Catholicam veritatem adduxit, sed allatis ab Auditoribus quibusdam citatis libris & locis, sacrilegus impostor mendacij & impostura conuictus fuit.

Homil. ad pop. Anthiol. lib. 3. de Sacerdotio.

HÆRETI-

Quod à nobis hac in re dissentiãt Lutherani, id neutiquam sacrararum literarũ arguit obscuritatem, sed erroris Pontificij caliginem, vnde tandem (vt speramus) penitus emergent.

COSTERVS.

Cur Pontificiam caliginẽ accusas, & non verba Christi: qui de eo, quod manu tenebat, & suis edendum tradebat, dixit: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, bibite, hic est sanguis meus*? Verba sunt testatoris, quæ in Testamentis monent iura perspicua esse debere: sicut Catholicæ Ecclesiæ clarissima sunt, & Maioribus semper fuerunt. Speras Lutheranorum ad vos peruersionem? at post tot colloquia & disputationes res est deplorata: pari vos odio persequuntur cum dæmonibus, quibus vos scribunt agitari, & in reprobum sensum duci. Nec immeritò: cum in vobis obseruarint tot annis diabolicum fastum, superbiam, odium, iniustitiam, qui soli dominari, nulli parere, omnia diripere, Reges ditionibus pellere, ciues in tyrannicam seruitutem redigere; vel patriam deserere, &c. vultis, vt soli sine ratione insaniatis, & ad libidinem vestram omnia inuertatis. De canone, *Hoc est quod dicimus*, de consecrat. dist. 2. à te citato, vide præcedentem Apologiam meam.

pag. 23.

HÆRETICVS.

Porrò, ne sola hæc sua careant fabula, *Coryssoste* [illegible] *ab ipsomet Apostolo institu-*

COSTE

tus legitur. At vbi quæso?

COSTERVS.

In oratione Encomiastica, quam de hoc sancto habuit Leo Imper. ex Proclo Ioannis successore in Patriarchali Sede Constantinopolitana, ex quo ista etiam B. Ioannes Damascenus: *Habebat autem (Ioannes) effigiem Apostoli Pauli in imagine, in loco vbi propter corporis imbecillitatem parumper quiescebat. In hanc ille effigiem, quando perlegebat ipsius epistolas, oculorum aciem intendebat, in eáque non secus, ac si Paulus ipse viuus esset, obstutu defixus inhærebat: beatum illum appellans, totámque animi cogitationem ad illum dirigens, & cum eo versans & loquens contemplando. Post alia Proclus (simulátq; loqui desiit Ioánes) cum oculos fixus interdiusset in imaginem, contemplatúsque expressam eius formam, ei assimilem quem viderat, pœnitentia ductus dixit Ioanni, porrecto in imaginem digito Indice: Veniam indulge mihi Pater, quem tecū loquentem vidi, huic assimilis est, vt autem credo idem ipse est.* Viderat namque toto triduo B. Paulum ei ad aurem loquentem, eáque quæ scriberet, quasi dictantem & suggerentem. Lib. 2 de Imaginibus.

HÆRETICVS.

Miror cur nõ idem de Thoma Aquinate sancto vestro adieceris, Bartholomæũ Monachum secutus, qui scripsit, Oranti illi Christum ex imagine dixisse: Bene scripsisti de me Thoma.

COSTERVS.

Non quia falsum, omisi: sed primò, quia passim omnibus notum, de quo sic in precibus horariis Ecclesia nobis legendum præscripsit: *Neapoli cũ ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit: Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Cui ille, Non aliam Domine, nisi teipsum.* Deinde quia id genus miraculis abundamus, imago sacratissimæ virginis Mariæ, locuta est Beato Bernado, Christi crucifixi Sanctæ Brigittæ. Hæc Romæ visitur in Ecclesia S. Pauli, illa Spiræ in summa æde. Et quid noui, si per imaginem vox edatur, cum asina Balaam locuta sit: &(vt narrat Nicephorus Gregoras) equus pictus, qui S. Georgium Martyrem pro more gestare solet, circa annum Domini millesimum trecentesimum duodecimum, vna nocte bis hinnierit, quod ante annos 50. (vt Imperator testabatur) etiã fecerat.

9. Martij.

Numer. 22.

hist. lib. 8.

HÆRETICVS.

Eiusdem farinæ est, quod addis B. Gregorium Põtificem à Spiritu sancto (quem Petrus Diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielẽ dictabat) institutũ. Quas omnes putidas esse fabulas, ex Chrysostomi, & Thomæ, & Gregorij cum sacris literis comparatio

paratione pluribus, si opus esset, demonstrari potest.

COSTERVS.

De Gregorio scripsit Ioānes Diaconus Romanus, circa annum Domini 870. cum post mortem B. Gregorij nonnulli eius æmuli libros eius in ignē inicere molirētur, *Petrum Diaconum, cum quo in libris 4. dialogorum Sanctus disputauerat, eorum conatum impediuisse, affirmasseq; immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & tales libros exurere, super cuius caput Spiritum sanctum ipse in similitudine columbæ tractantis frequentissimè perspexisset, cumque dudum deuotum populum Diaconus cerneret occasione temporis, cum inuidis resultare. In hoc omnium sententiam dicitur prouocasse, vt si quod dixerat iureiurando confirmans, mori cōtinuò meruisset, ipsi à librorū exustione desisterent: si verò superstes sui testimonij extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum Euāgeliis in ambonem venerabilis Leuita Petrus ascendens, mox vt Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum efflauit, & à dolore mortis extraneus iuxta Pyrgibasim, sicut hactenus cernitur, confessor veritatis meruit sepeliri. Hinc est quod consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie columbæ super scribentis Gregorij caput depingitur.* Hactenus Ioānes Diaconus, ante annos 700. B. Gregorij tēporibus vicinior. Columbā nō [illegible] esse, miraculo testantur histori[illegible] cuortiū volatu

Lib. 4. de vit B. Greg. c. 6.

Cap 70.

volatu suo indicauit dignum Episcopatu Aurelianensi circa annum Domini 380. & S. Seuerum Episcopatu Rauennensi, circa annũ 340. sicut de eo scribit B. Petrus Damianus. Testis est doctissimus vir Raymundus in capite Beatæ Virginis Catharinæ Senensis, quando Deum precabatur, non rarò à parente visam columbam, qua illa se sensit diuino ardore accendi. Hæc sunt hæreticis putidæ fabulæ, qui Pharisaico latratu diuinis miraculis insultant, & dente canino rodunt, quod imitari nequeunt. *Eiusdem*, inquit *farina S.* Et cuius, obsecro, farinæ, nisi cælestis? *Sed cuius farinæ est, quod Paulinus B. Ambrosii amanuensis refert, se eius caput vidisse breui igni cooperiri, cum explicationem Psalmi quadragesimi tertij dictaret, eumque ignem per os eius ingredi vultúmque illustrare?* Familiare fuit sãctis scriptoribus diuino spiritu moueri & scribere. Sed dolet miseris erronibus, quod errorum suorum doctrinam Deus nullo testimonio confirmet. *Tilmannus Heshusius Lutheranus, quando Nurembergæ vesperi in inferiori hypocausto cum conuiuis suis cænabat, inuentus est eodem tempore ab ancicilla in superiori museo scribens.* Sed dæmon in alterutro loco eius personã induerat: nempè in Museo (sicut arbitror) vt dum ille suo abdomini operam daret, ipse diabolicum calamum suum in Catholicos acrius stringeret: nullum enim angelicus aut diuinus spi-

Orat. Encomiast. de eodem.

n. eius vita 9. April.

In vita eius.

Ni
hil

ſpiritus tumultuoſo homini officium præ-
ſtitit, de quo Vvittembergenſes etiam ipſi
Lutherani hoc diſtichon emiſerunt.

Quæritur Heshuſius trina cur pulſus ab vrbe,
In promptu cauſſa eſt, ſeditioſus erat.

Carolſtadius quidem primus noſtri tẽpo-
ris ſacramentarius ſcripſit, paterna Dei re-
uelatione ſibi indicatum, hæc verba, *hoc eſt
corpus meum*, hunc habere ſenſum, *hoc loco
ſedet corpus meum*: Sed à magno Luthero ri-
detur. Vlricus Svvinglius, etiam Sacramen-
tarius, ait, Se nouam eorundem verborum
expoſitionem à Spiritu quodam didiciſſe,
qui nocte ei dormienti ſuggeſſit, *Phaſe eſt
tranſitus Domini*: vbi, *eſt* idem valet, quod *ſi-
gnificat*. Sed cum dormitãtius iſte ignorare
ſe fateatur, *fuerintne* Spiritus ille albus, an
ater: non eſt, quod eius ſomniũ pro diuino
teſtimonio admittatur. Cum ergò Miſelli
deſtituantur teſtimonijs diuinis, & nihil
præter nouas Scripturarum deprauationes,
tanquàm Dei verbum eructent, fabularum
loco habent & rident, quicquid ſupra na-
turã diuinitus apud Catholicos geritur. At
benigniſſimus Deus, ad hæreticæ pertinaciæ
confuſionem, & alatæ ſuperbiæ irriſionem,
non ceſſat his etiam noſtris temporibus, in
ipſorum conſpectu, admirandis ſignis or-
thodoxam fidem noſtram teſtari. Atque vt
alia omittam, eat qui volet, ad Collem A-
cutum, locum iuxta oppidum Sichemium,
Leuca vna propè Diſtemium, & oculis con
templetur miracula, quæ [illegible] à Deo,
meritis

meritis, precibusq; sanctissimæ Matris suæ perficiatur: videbit cęcis visũ redditũ, claudis gressum, leprosis sanitatẽ, alijsq; morbis curationẽ. Loquanij virgo annorũ amplius 40. nata clauda, cuius altera tibia medio pede breuior erat, reuersa domum facta ad B. Virginẽ iam dicto loco peregrinatione & oratione, sanitati restituta est, & breuior illa tibia ad alterius longitudinem diuino miraculo extensa, & viribus confirmata. Non mentior: Mundus vniuersus videt, & stupet, fraudis periculum abest in nata hoc vitio, & 40. annis nota. Quid ad hæc hæretici? Ringuntur inuidia, calumniantur, irridentsimplicitatem nostram, & Dei matrem blasphemant: at ipsa quoque in eorum interitu ridebit, & subsannabit; cum eis id, quod metuendum illis erat, aduenerit.

HÆRETICVS.

Ac sanè perquã absurdum est, quod ineptissima hæc figmenta tibi arriserint potius, quàm ipsiusmet Gregorij non minus vera, quã modesta confessio: qua commentarios suos in Ezechielẽ, Ambrosij & Augustini scriptis, longo interuallo postponit.

Præfa præcem. in Ezechiel.

COSTERVS.

Etiam hîc latet hęreticũ sophisma, quod ex Aristotele, secundùm non causã, vt causam, appellant: *Gregorius sua in Ezechielem scripta longo interuallo postponit scriptis Ambrosij*

brosij & Augustini: Ergo non afflatus Spiritu sancto ea dictauit. Respondeo, Inferendum fuisse potius: Ergo afflatus Spiritu sãcto dictauit: quia tanti viri tãta humilitas, nõ nisi Spiritum sanctum habuit auctorem. Sanctis Patribus semper familiare fuit, de aliis præclarè, de se demissè sentire, loqui, & scribere: quomodo idẽ sanctus Põtifex Innocẽtio Africano, petenti cõmentaria eius in Iob respõdit. *B. Augustini Patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem filigĩnis illius nostrum furferem non quæretis:* Hæreticis verò proprium est, diabolico fastu alios omnes præ se fastidire. Lutheri iactantia est, se vnum plus scire, quàm mille Augustinos, cæterosq; doctores: Caluini superbia, omnes veteres errorum damnare, & tuũ, commystarumq; tuorum, vniuersam Ecclesiam sacrilegis conuitijs insectari. Humilirer de se loqui, vobis est carere Spiritu sancto. At (inquis) cõfessio Gregorij *fuit non minus vera, quam modesta,* modesta (inquam) fuit, & non mendax, quia ex mente, nõ fictè dixit. An vera dixerit, quis censebit? Hæreticus doctor censoriam virgam confestim arripuit, & vera locutum affirmat. Odiosa est comparatio tantorum virorum. Et B. Gregorij non minor fuit semper in Ecclesia, quam Ambrosij & Augustini, ne dicã maior, propter Sedis dignitatem, authoritas. Esto tamen, sint eius scripta minoris momenti, an ideo Spiritu Sancto indigna? Varia sunt Spiritus sancti dona, quæ nonnullis plura largitur, vel maiora, alijs pauciora, vel

l.1.epist.37

vel minora. Desine igitur ineptire, & Sophisticis rationibus simplicium mentes fascinare, & tenebris errorum inuoluere. Admirare potius, & imitare S. Gregorij humilitatem, quæ hanc vberem Spiritus Sancti gratiam & scripturarum notitiam promerita fuit, de qua ante annos 970. Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha præclarè scripsit.

HÆRETICVS.

In prato spirit. c. 51. Multa obscurè in sacris literis proponi, nemini dubium est. Sed an inde colequitur, non omnia fidei & vitę Christianæ dogmata ad salutem necessaria in sacris literis perspicuè reperiri? Ea enim inter nos controuersia est.

COSTERVS.

Rursum mentitur Doctor hæreticus. Nõ enim controuertitur, sintne omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata, ad salutẽ necessaria, in sacris literis perspicuè conscripta: sed, an in ijs reperiantur ea omnia, que fidem concernunt? Illud affirmamus, cum sanctis Chrysostomo & Augustino, quos adduxisti: istud negamus, cum ijsdem, vniuersaque Catholica Ecclesia.

DE

DE CAPITE VII.

An vulgo permittenda sit Scripturæ lectio.

RESPONDI, non tam in eo versari quæstionem, An vulgò liceat Scripturas legere, quam de modo eas legendi. Nemo enim vetuerit, Euangelia & Epistolas dierum sacrorum, quæ in Ecclesijs pro concione enarrantur, præuidere, & à concione repetere; aut alios Sacrarum literarum libros, quos subinde Ecclesiastæ sibi proponunt explicandos: quomodo B. Chrysostomus vniuersam Genesin, & maiorẽ noui Testamenti partem populũ docuit. Nemo etiam prohibuerit priuatim vel legere, vel audire, adhibito doctore perito, qui occurrẽtes difficultates iuxta Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, veterumq; Patrum interpretationem, expediat. Hic enim legendi vel audiendi modus (non enim omnes literas norunt) & lecta auditaque ruminandi, vt salutaris est, ita omnibus commendatur. De eo dictũ est Iosue, & successoribus eius rectoribus populi: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Vt scirent autem quomodo eis in lege versandum esset, ad[illegible]iptura alibi. Iosue. 1.

alios: *Interroga sacerdotes legem. Labia enim* 2. 2.
sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requi- Malach. 2.
runt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Hoc sensu hortatur B. Chrysostomus ad scripturarum lectionẽ: qui non rarò in concionibus suis populo indignari consueuit, quod alia potius profana, quàm scripturas tractaret. Cæterùm quæstio controuertitur. Sitne omnibus passim, doctis pariter, & indoctis, hac ratione permittenda Scripturarum lectio, vt se iudices earũ constituant? hoc est vt eas pro suo quisque iudicio interpretentur, atq; ex eis, quæ suo sensui sapiunt, dogmata colligant? Hæretici id omnes tam veteres, quàm recẽtes semper affirmarunt, tum vt Ecclesiã nouis varijsq; hæresibus vexarẽt, quę necessariò ex hac legẽdi & interpretãdi libertate sequũtur: tum vt rudi populo errores suos cõmodiùs instillarẽt, cui à se excogitatas interpretationes pro genuino sensu obtrudunt. Indocti enim, qui nec Patrũ scripta legerũt, neq; ex se, nisi ex cortice, iudicare norunt, facilè se induci in hæreticorũ sententiam patiuntur. Itaq; quia Apostolus dicit, venturos in nouissimis diebus qui prohibeant nubere, & cibis vesci à Deo creatis. Ecce, inquiunt, nouissima tempora, de quibus hoc loco Apostolus: ecce veritas nuptias Monachis & Sacerdotibus, ecce prohibitum carnium esum certis diebus: quid inde nisi vt Põtificios errorum damnemus & igno[illegible] vel deprauationis sacrarum

lite

literarum? simili fide agũt de cultu imaginum, de Sanctorũ inuocatione. Miser autẽ rudisq; popellus, qui neque circunstantias aut occasiones scriptorũ, neque veterẽ Ecclesiæ morem nouit, assentitur pseudoprophetis. Catholici porrò hanc libertatẽ improbant omnibus sæculis, neque satis tutũ iudicarunt plebeis hominibus sine magno iudicio scripturarũ lectionem passim committere: sed iis solis, quibus per humilitatẽ & piam prudentiam, nihil periculi ex proprio iudicio immineat. Proinde sanctè ab Apostolica Sede constitutũ est, vt Episcopi, animarumq; Rectores hac in re aduigilẽt, nulliq; sacrarũ literarũ lectionẽ negent, cui ex ea spiritale commodum sperant: illis verò quibus periculũ ex eorũ temerario iudicio & pertinaci superbia metuũt, earum lectionem ne permittant. Sicut enim ex se salutaris est vsus vini, sanis & integris: ita febrientibus noxius, & Medicorum imperio interdicendus.

HÆRETICVS.

Quænã hęc inconstantia est, Costere, Amphora cæpit Institui; currente rota, cur vrceus exiit? Quæstionẽ de sacrarum literarum lectione præfigis, ac subitò, quasi tui oblitus, ad earum interpretationem desultas: quę longè alia quęstio est ac propterea distinctè explicari solet.

COSTERVS.

Nulla inconstãtia in me est, sed hebetudo in te: qui non aduertis me [illegible] nctione respondisse: nimirũ, illis S[illegible]arum lectio

lectionem permittendam, qui suo iudicio in earum interpretatione non fiderent, aliis qui sibi earum iudiciũ arrogarent, negandam.

HÆRETICVS.

Veruntamen quum Scripturæ lectionem, non modo licitam omnibus, sed etiã mandatam agnoscas, in eo robur elucet veritatis, cui frustra Pontificij doctores reluctantur.

COSTERVS.

Cur obsecro, mentiris, Doctor hęretice? Ego ne fateor, omnibus Sacrarũ literarum lectionem mandatã? cum enim dixi, de modo esse quęstionẽ propter earum multis in locis perplexitatẽ: quam non quiuis de populo enodare queat, satis aduertere pro tua prudentia poteras, mihi improbari, lectionem omnibus passim concedi, cum B. Hieronymo, qui hanc sui temporis ab Arianis, alijsque hæreticis introductam libertatem deplorat.

Epist. ad Pam. cap. 6.

HÆRETICVS.

Sic enim in Indice librorum prohibitorũ à Pio IV. Pontifice decretum extat: Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi aut Inquisitoris stetur: vt cũ consilio Parochi, vel Cõfessarij, Bibliorũ à Catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellixerunt ex

eius

eiusmodi lectione non damni, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.

COSTERVS.

Optima & sanctissima constitutio, paternumque salutare decretum. In quo notabis 1. Bibliorum Latinorum aut Græcorum nullam fieri mentionem, sed tantum vulgarium in maternam linguam conuersorum. 2. Hæc sacra Biblia vulgari lingua edita, tametsi nihil nisi sanctum & diuinum contineant, multorum tamen temeritate ad ipsorum perniciem cõuerti: quod experimento plurimorum lapsu in varios errores videmus & deplorãmus. 3. Huic tãto malo ab animarum Medicis, qui sunt Episcopi, Inquisitores, Pastores, & Confessarij, ex officio occurrendum esse. 4. Quia vnusquisq; pro innata superbia de se plus æquo præsumit, putátque se omnium lectione dignum: cum secus experientia frequenter demonstret: standum esse prædictorum spiritualium Medicorum iudicio, quibus non rarò, (præsertim Confessariis & Pastoribus) notiores sunt subditi, quàm sibiipsis. 5. Piis & confirmatis in fidei doctrina, hanc vulgarẽ & Catholicam versionem permittendam esse: aliis, quibus periculum timetur, recusandam. Quid hic nõ pium & salutare? Si pestilẽs febris in ciuitate grassetur, quam potus Hispanici, vel adusti vini augeat? nonne fuerit ex re ciuium, si Magistratus edicto illis caueat huius vini potum, qui Medicorum iudicio,

ex naturæ calida & febrili constitutione, eo periclitari timentur : cæteris autem concedat, quorum ex eo sanitas promouenda putatur? Hoc si fiat, non dicetur vini illius potus omnibus interdictus, sed illis tantùm, quibus noxius iudicatur. Ita in Ecclesia Catholica Scripturæ lectio non omnibus, sed iis tantum cauetur, qui Superiorum Iudicio illa ad suam ipsorum perniciem abusuri timentur.

HÆRETICVS.

Sed quoniam te huius Pontificij erroris meritò pudet, & quasi deserto vadimonio sacrarum literarum lectionem permittis omnibus, gratulor tibi hanc correctionem, & Deum precor, vt te magis magísque ex tenebris Pontificiis educat.

COSTERVS.

Non vadimonium desero, sed promitto potius & obeo. Nihil alienum à prædicta Pij IV. Pontificis constitutione dixi: nihilominus quia Deum precaris, vt me magis magísq; ex Pontificiis tenebris educat, hoc non solùm precibus ad Deũ, sed apud me quoque perspicuis rationibus effice. Agnosco his tenebris tantopere me circũfundi, vt multa nõ videam, ad quæ tuo lumine illustrari peto. Hactenus videre non potui. 1. quo loco totis his mille annis vsq; ad Caluini ortum tua latuerit Caluinistica doctrina, quæ ciuitas, oppidum, pagus, castellũ [illegible] docuerit, tenuerit, exercue-

rit, & per omnia crediderit, quod vos pro puro puto Euãgelio, & ipsissima luce proclamatis, proponitis & venditatis. 2. Quis primus: vbi, quando, Catholicos nostros ritus induxerit in Orbem. Legi historicos, & veteres multos, tum sacros, tum profanos: at rituum nostrorum initia nusquam reperio, nemo scripsit à quo, aut per quem sumpserint exordium Inuocatio Sanctorum, preces pro defunctis, sacerdotũ cœlibatus, ciborum delectus, sacrificium Missæ, aliáque id genus, toties à me repetita. 3. Cur Caluini doctrina vestra purior sit Lutherana: cum nihil in vobis cernam, quod Lutherani non exhibeant? His tenebris meis adhibe lumen tuum, vt mihi via ad vos illustris pateat: adhibito simul aliquo, qui à Caluini exortu in vestra fide mortuus, euaserit pœnas Inferni, & diuino testimonio, (quod miraculis Deus dare Sanctis à morte consueuit) cognoscatur cum Christo in Cælis versari, & non in gehennæ tormentis (vt Pontificij affirmant) ardere. Hæc si præstiteris, socium me habebis dogmatum tuorum.

HÆRETICVS.

Ad interpretationem igitur transeamus. Est autem ea duplex: Publica, quæ in Ecclesia publicè docenda consistit: & Priuata, quæ in vsu priuato occupatur. Ad priorẽ, vocationẽ legitimã, & doctrinã solidiorem requirimus: ab altera verò neminem excludimus fidelium, qui[illegible]orum

suorum mensuram minimè excesserit, & adhibita diligentia, rectam interpretandi viam fuerit secutus.

COSTERVS.

Tria in eo requiris, cui priuatã Scripturarum interpretationẽ permittis. 1. vt donorum suorum mensuram non excedat. 2. vt diligentiam adhibeat. 3. vt rectam interpretandi viam sequatur. Quid si horum aliquid illi desit? quid si sutor vltra crepidam diuina mysteria cõtrectare velit? quid si diligentiam adhibere nolit, neque alios consulere, vel doctorum libros inspicere, quos idiota rusticus (præter maternum idioma nullum scies) vel legere nescit, vel intelligere? quid si demum rectam interpretandi viam secutus non fuerit: affirmat tamen se rectissimam, suo iudicio, tenere viam: an tali scripturarum interpretationẽ committendam putabis? Video hæretice, te idem nobiscum dicere, & sola contradicendi libidine, spiritu contradictionis in Ecclesiam Catholicam ferri.

HÆRETICVS.

Quum ea, quæ ad salutẽ necessaria sunt, satis perspicuè in sacris literis reperiri, demonstratum sit: quis ab iis pro modulo exponendis Christianos repellat?

COSTERVS.

Tu ipse: qui prædictas tres conditiones in omnibus Christianis non reperies: quas tamen [illegible] vt necessarias, præscribis, quos idoneos

idoneos sacrarum literarum interpretes facis.

HÆRETICVS.

Quamuis enim ad maiores difficultates explicandas, non quiuis è populo accommodati sint: an propterea penitus, tanquam profani, aut iudicij expertes, ab omni sacrarum literarum interpretatione arceri debent?

COSTERVS.

Non arcentur omninò, sed cum iudicio admittuntur. Exegisti paulò ante tria: non plura exigimus nos: in hoc vobis prudentiores, quod de his conditionibus Ecclesiastici Superioris sententiam requiramus. At (inquies) confundis facultatem legẽdi, & interpretandi. Dico, idem valere hoc loco, legere & intelligere: seu, (quod idem est) interpretari: quando enim de permittenda lectione scripturæ disputamus, non de ea lectione, quæ fit sine intellectu, loquimur: sed de ea, quam is, qui legit, intelligit: hoc est, cuius sensũ percipit. Hoc autem, quid aliud est, quam interpretari: &, quid verba vel sententiæ significant, edicere? Cui igitur interpretationẽ interdicis, eidẽ negas legendi facultatem: ne, si fortè vel mensuram donorum suorum excesserit, aut diligentiam non adhibuerit, vel rectam significationem secutus non fuerit, nouos inducat errores. Quid si vxor tua lectis sacris literis, in illis te[illegible] (qua-

lis es) pseudoprophetam, scripturarum deprauatorem, Reipubl. pestem: (quam ei mentem scripta Anabaptistarum, aliorúmque hæreticorum indere possunt) hácque opinione imbuta, legat in libris sacris hostes populi Dei, etiam à fœminis, de medio sublatos: Sisaram à Iahel, Holofernium à Iudith, nõ sine Encomio muliebris sexus: videátque in Beato Paulo præceptum diuinum, *Auferte malum ex vobisipsis*: atque his omnibus ritè diligentérque expensis, si penes se constituat te simili modo conficere: an vtiliter Scripturas legeret? an ei lectionem permittes, si quid tale suspiceris? At, inquis, non rectam interpretationem sequetur. Prorsus sequetur rectam: nihil enim in verborum & historiarum intellectu errabit: sed, quæ clarissima sunt, malè accommodabit.

Iudic. 4. Iudith. 13.

1. Corint. 5.

HÆRETICVS.

Sint sanè multa in sacris literis difficilia, quæ etiam doctos exerceant: non pauca tamen adeò perspicua sunt, partim per se, partim fideli piorum & doctorum interpretum in sacris literis conferendis industria, & rei experientia, vt etiam à vulgo, adhibita diligentia, intelligi, & vtiliter explicari possint.

COSTERVS.

His omnibus abuti possunt, (sicut hactenus abusi fuerunt) homines imperiti.

Nam

Nam vnde, nisi ex literis sacris, didicit Dauid Georgius vitriarius se Christū esse, Deique filium: & Ioannes Leydensis sartor, se verissimum Dauidem? 1. quæ in Scripturis perspicua sunt, illa in exemplum trahunt. Quomodo ante paucos annos in Germania ad Rhenum, Prædicans Caluinista vxorem exosam in partes secuit: exemplo Leuitæ Ephratæi, qui mortuum coniugem in partes duodecim concîdit: at miser Prædicans à vinearum custodibus ditionis Treuirensis, cum sacco deprehensus, cum putaretur vuarum furtum commisisse, aperto sacco visus est humana membra gestare: fassúsq; veritatem meritas pœnas dedit. 2. Quæ clarè scripta sunt, illa ex praua interpretatione mentis illius, qui dixit, peruerso sensu accipi possunt. Sicut Iudæi multa, quæ de Christo scripta sunt, de Dauide, Salomone, alióve aliquo intelligunt. Sic Argentinensis quidam hæc verba, Heli, heli lamasabathani, tanquam à desperante accepit dicta, & Christum affirmauit damnatum. 3. Eadem ad sensum illum detorqueri possunt, qui errori recens excogitato non reluctetur. Quo modo à vobis clarissima verba Christi, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*: Noui tropis à manifesto sensu transferuntur. 4. Quæ ex se obscura sunt, indoctis perspicua erũt. Sicut Iudæis Christi dicta, *Soluite*

Iudic. 19.

Matth. 26. Ioan. 3.

Ioan. 2.

templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: quæ illi tanquam clara, de Hierosolymitano templo acceperunt. Et Ariani, *Pater maior me est: De die illo nemo scit, neque Angeli, neque filius, nisi solus pater.* Et vos Caluinistæ, quod Beatus Petrus de *solutis doloribus inferni*, dixit, ad pœnas gehennæ referetis, quas Christum blasphemo ore asseritis toleraſſe. 5. Quę clariſſima ſunt, ea inuoluta cenſebuntur obſcuritatibus, ſi eum erronea opinione non conueniant. Sicut Arianis & Tritheiſtis, *Ego & Pater vnum ſumus, Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt.* Et vobis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, &c. quæ ad aliud quidlibet potius, quã ad pœnitentiæ ſacramentum referetis. 6. Si quæ difficilia repererint, & conſilio eguerint doctorum, in triuio, aut quadriuio hęrebunt: dubij, ad quos diuertere debeant: cum in tanta ſectarum diuerſitate nemo ſit, qui non ſe fidelem, pium, induſtriúmque Doctorem pronunciet: neque tamen cum aliis in eiuſdem loci expoſitione conueniat. Exemplum eſto in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*: quorum aliqui ducentas explicationes numerauerunt. Ad ſe igitur arbitrabuntur pertinere, ex omnibus vnã, quæ ſuo palato ſapiat, eligere, vel nouam comminiſci, quæ ſuo inſtituto conueniat. Quid ni enim ipſis liceat, quod licuit aliis? Ex quibus omnibus efficio, ſanctiſſimę

Ioan. 14. Marc. 13.

Actor. 2.

Ioan. 10. 1. Ioan. 5

Ioan. 20.

ctissimè non sine delectu vnumquemlibet rudem idiotam ad sacrarũ literarum, non dico seriam interpretationem admittendum, sed ne ad lectionem quidem, qua ad potestas verba ad suum sensum intelligendi detur: hoc præsertim tempore, quo hæreticorum permissu, singulis tribuitur de Scripturis iudicium.

HÆRETICVS.

Propterea meritò doctrinam Pontificiam auersamur, quæ hunc lectionis & examinis sacrum literarum laborẽ nõ omnibus permittit: contra verò in eo maximè occupamur, vt quosuis ad serium diuini verbi studium excitemus & inflammemus.

COSTERVS.

Hîc denuò tibi ipsi contradicis. Nuper illis tantum hunc laborem permisisti, qui donorum suorum mensuram nõ excederent, & qui rectam interpretandi viam sequerentur: Nunc quosuis excitas & inflammas. In priori sententia conuenit tibi nobiscum, in posteriore aduersaris nobis.

HÆRETICVS.

Rectè enim Chrysostomus: *Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum, scripturarum ignoratio, magna salutis perditio, nihil scire ex diuinis Legibus. Errores & hæreses*

ses peperit, ea vitam corruptam inuexit, hæc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest (inquam) fieri, vt quis sine fructu discedat, qui assidua attentáque scriptarum lectione fruatur.

COSTERVS.

Sanctissimè loquitur sanctissimus Pater. Nihil sacrarum literarum lectione vtilius, vel magis salutare: sed his, *qui donorum suorum mensuram non excedunt, & qui rectam interpretandi viam sequuntur*: nihil autem ea pernicioſius his, qui mensuram excedunt, & à recta via aberrant. Magnus Lutherus tuus (sicut nuper ex doctissimo Cardinali Hosio recitaui) dicere solet, Scripturas esse librũ hæreticorũ: quod non aliũde, quàm ex scripturis prauè intellectis, oriantur hæreses. Igitur da mihi hominẽ, qui donorũ suorum mensurã non excedat, neq; à via recta discedat, & huic potestas liberrima fiet sacras literas legendi, & apud se priuatim interpretãdi. Cõtrouersia nostra in eo videtur consistere, quis modus sit eiusmodi hominis dignoscendi. Nos dicimus, ex Pastoris & Cõfessarij, quibus iãdudum pernotus est, iudicio accipi debere: tu, qui omnibus passim lectionem & interpretationẽ permittis, nihil huiusmodi requiris. Modus ergo dignoscendi erit ex lectionis euentu nimirũ, si in ea non excedãt mensurã, nec à via recta declinent. At hic modus non caret periculis: vt enim quidã ea sunt humilitate, vt non errent, non desunt tamen

tamẽ innumeri, qui excedãt mẽsurã & grauiter labãtur, quib⁹ serò paratur medicina.

HÆRETICVS.

Nec ad diligentem solùm Scripturæ lectionem & meditationem: sed etiam ad doctorum & piorum Ecclesiæ Pastorum conciones audiendas, eásque ad verbum Dei examinandas exhortamur.

COSTERVS.

Duo præscribis idiotis: vnũ, vt piorum, doctorum, & Ecclesiæ Pastorũ conciones audiant. Nemo igitur audiat hæreticos Prædicãtes: vtpote qui neq; Pastores Ecclesiæ sint ab vllo legitimo missi, neq; pij, sed hæretici, quibus extra Dei Ecclesiam non patet salus. Cum disertis verbis prædixerit de illa Propheta Isaias, *Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit*: sicut extra arcã nemo euasit diluuium. Demus tamen, vos esse legitimè ad prædicationis munus admissos, hìc noua prudentia vtẽdũ, qui vestrũ pij sint & orthodoxi. Lutherani sibi hoc arrogabunt: vos Caluinistæ vobis: neq; minus Anabaptistæ sibi. Alterũ quod præscribis, est, vt Auditores isti cõciones ad verbũ Dei examinẽt. Itaq; nõ doces discipulos, sed cõstituis Iudices, & dogmata tua rudi populo examinãda proponis. Et quid, si nasuto alicui quędã recta, quædam non satis conuenienter ad Sacram Scripturam dicta iudicentur, nimirum, si vel alibi aliud legerit, vel nouam explicationem magis probet, nonne causam illi præbebis nouæ [illegible]os ex- Isai. 60.

cogitandæ? Sicut enim Catholicus nō est qui non omnia admittit fide credenda: ita Caluinista nequit esse, qui à vobis vel in vno recedit. Existimas, eos omnes qui te audiunt, non aliter, atque tu eis sacras literas proponis, eas accepturos? Id nō nullis planè rudibus, & Caluini erroribus imbutis, facilè admisero (nam hac de causa totus es in sacrarum literarum lectione tantopere omnibus commendāda, vt populus indoctus, qui te audit, ex vestris explicationibus intelligat omnia:) nō existimo tamen idem in omnes conuenire posse: cum non desint, quibus à te producta in concionibus loca aliud dicent, quàm tu dicere voles.

HÆRETICVS.

Qua in re vt Deum sequimur ductorē, ita meritò à sententia Pontificia dissidemus. Vos enim plusquam Pharisaica arrogantia Christianorum vulgo rerum sacrarum imperitiam, vobis verò scientiam & iudicium earum arrogatis. Sic Pharisæi.

Ioan. 7. *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eū, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicta eſt.* Item cæco. *In peccatis*

Ioan. 10. *natus es totus: & tu doces nos?*

COSTERVS.

Impotens perturbatio animi exprimit hæretico mendacem calumniam. Mentitur quod [illegible] vulgo rerum sacrarum velimus [illegible]. Ideo quippe sacris omnibus

bus diebus, & quotidie per Aduentũ Domini, per Quadrageſimam, per Octauas, item ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, aliiſque multis feriis ad Populum frequẽtes concionamur: vt in his, quæ fidei ſunt, & Chriſtianæ religionis, plenè inſtituatur: exponimus præter Epiſtolas occurrentes & Euangelia, etiam libros ſacros veterum more, catechiſmum tradimus pueris ac rudioribus: vnde diſcimus experientia, catechiſticos pueros noſtros multo in Chriſtiana doctrina prouectiores pleriſq; Rabbinis veſtris Prædicantibus: norunt Angelicam ſalutationem, veſtris incognitam, ſciunt diſcrimen inter mortale & veniale peccatum, numerum Sacramentorum Eccleſiæ tenent, & veram catholicam Eccleſiam demonſtrant, de ſtatu & loco animarum poſt mortem certiores ſunt vobis, qui de his adhuc aut inter vos, aut cum fratribus veſtris Lutheranis diſceptatis. Non ideo affectamus rudium imperitiam, quod eos ad Scripturas non remittimus: *Fides ex auditu eſt.* Et, *Cæli enarrant gloriam Dei. Qui vos* (inquit Dominus) *audit, me audit.* Nunquam hoc nomine repræhenſi fuere Iudæorum Sacerdotes & Proceres, quod vulgo Moyſis aut Prophetarum libros non obtruderent: neq; populus ipſe, quod legem non legeret. A plebe exegit obedientiam, *Quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: Interrogate Sacerdotes legem*: à Sacerdotibus peritiam legis *requirite*, (in

Rom. 10. Pſam. 18. Luc. 10.

Matth. 23. Aggæi. 2. Ioann. 5.

Luc.10. Ioan.3. (inquit) *Scripturas*, &, *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Itē, *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Itaq; nō est Pharisaica arrogantia plus sibi tribuere scientiæ, quā vulgo. Hoc enim tibi arrogas, qui te scribis Doctorē & Professorem Theologię: vtique maiorem discipulis & auditoribus, quos doces. Neq; hoc vitio datū est Phariſæis, sed duo hæc graui repræhensione digna fuerunt: Vnum, quod populo, qui à Christi verbis pendebat, maledictionē imprecarētur. Alterū q; id sine ratione, & solo odio Christi facerēt. Oportuisset libros sacros euoluisse, & quid illi de promisso Messia dicerēt, consuluisse, atq; tunc populum de veritate pleniùs instruxisse, in dubiis autem Christum præsentem cōsuluisse. Hîc ego conscientiā tuā cōpello, precórq; sincerū Lectoris iudiciū: sitne in vobis Pharisaica, aut plusquā phanatica arrogātia? Vos præ vobis veteres omnes spernitis, dānatis ignorantiæ scripturarum sacrarū & transgressionis mandatorū Dei, accusatis idololatriæ, & intolerandæ superstitionis: vt, qui Christi corpus adorarint, Sanctos inuocarint, Missas celebrarint, pro defunctis orarint, &c. Vnde necessum est (auctoribus vobis) vt cū cæteris idololatris gehennæ ignibus crementur: siquidem *Idolu seruientes, regnū Dei non consequentur.* Quæstus est apud me vir nobilis sectę vestræ cū in dubio, ex religione vestra moto, quēdā consuleret P[illegible]dicantium vestrorū, eūque rationi

1.Corinth.6. Galat.5.

tionibus premeret, ab eo cum indignatione repulsum fuisse, quod cum Laicus esset & idiota, non acquiesceret Ministri verbis: cumque ne sic quidem Nobilis finem vrgendi faceret, re ad Consistoriũ per Prędicantem delata, excõmunicationis sententia de vestra Synagoga eiectũ esse. Quid hoc arroganti fastu intolerabilius? Noua introducitis, veteres dãnatis, cõuicti ignorantiæ cõuitiamini. Nos cõtra suscipimus sanctos Patres, fidei nostræ propagatores: & si quis idiotarum dubia mouet, damus operã, vt cũ Dei gratia nihil instructionis prætermittatur. Catholica enim fides ot sæculis probata tot disputationibus examinata, tot miraculis confirmata, & tot libris doctissimorũ, sanctissimorũq; virorũ illustrata, sine tenebris errorũ claret, & sine indignatione communicatur.

HÆRETICVS.

Sic vestros Doctores à fidelibus auditorib⁹ (quos animales & carnales, vt vos spirituales, appellatis) admoneri minimè sustinetis: nimirũ quod, vestro iudicio, imperiti sint, & sacris operã nõ dederint. COST.

Ter his pauculis verbis mẽtitur doctor hęreticus Patimur enim facilè nos admoneri: Immò id frequẽter rogamus Auditores, vt si quid scrupuli, ex his, quę docemus, habeãt, confidẽter accedãt, cãdidéq; proponant, immò iureiurãdo fidẽ facimus silẽtij, ne terreãtur metu delationis. Animales & Carnales nõ oẽs Audi[illegible] appellamus

mus (sicut alterum mendacium fingit) sed quibus hoc nomen cum Corinthiis con-
1 Corinth. 3. nit: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*, ait Apostolus. Qui opera carnis exercent, anne carnales dici debeant? At hi inter catholicos non desunt. Nomen, *secularium*, damus populo: Ecclesiastici materno idiomate, *spirituales*, appellantur: tum quod ipsorum muneris sit diuina spirituáliaque tractare, orare, cõcionari, confessiones fidelium audire, sacrificium incruentum Missæ offerre, &c. tum, vt eo nomine admoniti, hoc esse cõnẽtur, quod dicũtur, spiritui, nõ ventri addicti. Quo sensu B. Paulus gentilẽ Præsidem appellauit, *Optimum*: *Non insanio*, (inquiens) *optime Feste*. *Tertium* mendacium, quod carnales appellẽtur à nobis Auditores, quia imperiti sunt, & literis operam non dederunt. Nam, vt dictum est, non carnales, sed seculares dicuntur: quia rebus secularibus & externis ex vocatione dediti, non quia indocti: nam etiam doctissimi Iurisconsulti, & medici, alijque peritissimi Theologi, nullis sacris ordinibus initiati, aut religione, in numero & appellatione Secularium habentur.

Act. 26.

HÆRETICVS.

Hinc illud obiicis: *Ne sutor vltra crepidã*: quæ sanè turpis in Christi Ecclesiam contumelia est.

SOSTERVS.

Nõne præceptũ à te nuper datũ est, ad scriptura

pturarum interpretationem, non admittẽdum, qui donorum ſuorum menſuram exceſſerit. Dum enim hanc exigis cautelã, vt non excedat donorum ſuorum menſuram, excludis eos qui excedunt. Quid aliud ego communi prouerbio dico? ne Sutor vltra crepidam, Hoc eſt, ne excedat menſurã donorum ſuorum. Queritur B. Hieronymus, *ſolam Scripturam artem eſſe, quam ſibi omnes vendicant, garrulam anum, delirum ſenem, ſophiſtam verboſum*: cum artes aliæ omnes non prius tradãtur aut vſurpentur, quàm à Magiſtris diſcantur. Apud vos omnes legunt, docent, interpretãtur. &, (quod ex eo conſequitur) de dogmatibus iudicant, & noua comminiſcuntur. Ad Paulin. c.

HÆRETICVS.

Qua de re inſignis Chryſoſtomi exhortatio: *Quid igitur à vobis contendimus, vt vnæ dierum in hebdomada, vel ſaltem Sabbatho curæ vobis ſit Euangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum diſquirere, quid clarum, quid obſcurũ in his ſit annotare velitis, quid pugnare videatur, cum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quàm attentiſſimos exhibeatis. Hoc pacto non parum vtriſque noſtrum emolumenti prouenerit. Siquidem nobis non multo opus erit labore, vt Euangelij vim oſtendamus: quum denique ipſam vobis*

bis sententiam, quantum ad verba, iam familiarem reddiderit. Vos autem & acutiores & perspicaciores efficiemini, non ad audiendum & doctrinam duntaxat percipiendam: sed & ad docendum alios.

COSTERVS.

Rectè sanctèq; monet Chrysostomus cõcionum suarum Auditores, vt futuram de scriptura lectionem præuideant, dubia notent, & quid clarum, quid obscurum in ea sit, obseruent: sicque præparati concionem audiant. Hoc in scholis quoq; profanis præscribi discipulis à præceptoribus solet. Sed istud quid ad rem? Præuidenda est lectio, vt præceptoris dicta clariùs intelligã: Ideo lectione, me Iudicem & interpretem scripturarum constituam: inepta conclusio.

HÆRETICVS.

Act. 18. Ideoque virum eloquentissimum & optimum Apollo, non puduit pleniùs in doctrina Christiana à plebeis hominibus Aquila, & potissimum Priscilla, vxore Aquilæ institui.

COSTERVS.

Nec istud quicquam ad rem nostrã. Non enim quærimus, possint ne peritiores Laici imperitiores ea docere, quę norũt. Hoc faciunt Matres filijs, mariti vxoribus, & anus iuuenculis, ex præscripto B. Pauli. Apollo de Christo nihil præter ea nouerat, quæ à B. Ioanne Baptista didicerat: Aquila & Priscilla, eo in Christiana doctrina peritiores,

1. Cor. 14. Tit. 2.

in

instruunt imperitum: qui conciones audierunt, eis illas referre solent, qui non adfuerunt. Quæstio nostra est, Sit ne permittenda lectio scripturarum his, qui sibi earum interpretationem arrogant?

HÆRETICVS.

Ex quibus satis apparet Christianorum turbam, tanquàm omninò imperitam, ab omni sacrarum literarum interpretatione & Iudicio à vobis iniquissimè excludi: scilicet, vt sublata iudicij libertate, & Scripturæ luce, traditionum humanarum iugo liberè Ecclesiam opprimatis.

COSTERVS.

Notet prudens Lector, apud hæreticos Christianorum turbam, licet imperitam, Iudicem constitui, & interpretem sacrarum literarũ. Nihil ergò apud eos certum, nihilque fixum, quod non possit vnius de turba iudicio euerti. Inde tot ineptissimæ hæreses & sectæ, Adamitarum, Clancullariorum, Condormiensium, Eiulantium, Dæmoniacorum, Polygamystarum, &c. quia quisque imperitus permissum sibi à prædicantibus Lutheranis & Caluinistis iudicium de scripturis vsurpauit. Ecclesia porrò Catholica, quæ semel ab Apostolis tradita fuerunt & tot sæculis confirmata in dubium non vult à quoquam reuocari. Dubia iubent Apostoli probari: non autem quæ certa sunt. Ideoque Beatus Paulus Apostolicum decretum Concilij Hierosolymitani nõ probari, sed seruari. Qui in Ecclesiam ad[illegible]tut, ei se

1. Thess. 5. 1. Ioan. 4. Actor. 15.

sa

sacramento obligant, doctrinam eius Catholicam obseruaturos. Nulli igitur de ea licet dubium mouere. Mentitur porrò hic rursus Doctor hæreticus, ideò nos lucem scripturæ subterfugere, vt humanas traditiones imponamus. Humanas traditiones appellat doctrinam Apostolorum non scriptam: de sacrificio Missæ, de inuocatione Sanctorũ, cæterisq; id genus, quæ Caluinistę blasphemant. At si hę sunt traditiones hominum, quis eas primus Orbi imposuit? nominet authorem, tempus & locum: vel desinat ineptè mentiri. Docueram in Enchiridio plerisq; sacræ Scripturæ & veterum Patrum testimonijs, Sacerdotum & Concionatorum esse, populo sacras literas & Christianę religionis dogmata proponere & explicare. Aduersus ea sic hæreticus.

HÆRETICVS.

Vt multus es, Costere, in eo demonstrando quod controuersia caret, & mutus in eo, quod probari oportuit?

COSTERVS.

Non caret controuersia, quod impugno: Siquidem contendo, Idiotis permissam nõ esse publicam diuini verbi tractationem: quã vos eis, fratresque vestri Lutherani & Anabaptistę permittitis. Memineris, enchiridium meum in Germania, non aduersum vos solos Caluinistas, conscriptum fuisse, sed

sed contra hæreses omnes, quę potissimum Germaniam vtramque infestant, catholicam veritatem propugnare. Ab Anabaptistis, indoctos passim ad cathedras admitti, ex Ioanne Leidano sartore, Dauid Georgio Vitriacio, Henrico Nicolao nauta, aliisque id genus de fęce vulgi, notius est, quàm vt pluribus confirmari debeat. Lutheranorum Prędicantes plerique sunt eiusdem farinæ. Est apud nos Bruxellę, qui Vilnę in Lituania nouit prędicantem, ex carnifice: In oppido Keiserslauter Ministrũ verbi egit Ioannes Stoltzen, qui Argentinæ 1554. vtraq; aure ob furtum commissum, à carnifice priuatus fuit. In Auerhaim pago Germaniæ, concionabatur rusticorum barbitonsor, qui etiam à meridie sacris diebus tibicen, præcinebat choreis. De Catharina Sellin vxore Matthæi Sellin, quę Argentinę Dei verbum (more veterum Beguinarum, de quibus in Concilio Viennensi) publicè tractauit & Doctorem Ludouicum Rabum impugnauit. Nota est historia & cõtentio. Et vos Caluinistę ab eadem farina non estis puri. Nouianno 1566. Prædicantem Geusium, prope Tungros, qui se mihi fatebatur literas nescire: cui cum aliquando rustici offerrent legenda Biblia: Non est, inquit, mihi opus lectione, qui hęc omnia memoria tenco. Et quid Bergis ad Zomam? Nonne Basilius senior, pannorum textor, Prædicantẽ egit? Cuius filius Iacobus Basilius iunior, vt hanc paternæ in[illegible] notam à se repelleret, nuper non est v[illegible] hæreti-

Vide Nasum Cent. 1. mendacio 64. Clemen. 1. de relig. domib.

ca

ca procacitate & petulantia, aduersus indulgẽtias, hoc anno Catholicis ab Apostolica Sede donatas, ineptum libellum edere. Cum vestra hęresis Bruxellam nostram occupabat, non deerant sutores, alijque viliores opifices Prædicãtes. Hoc anno certum impurissimi apostatę Sacerdotis vnius de numero Prædicantium vestrorum literis fratri suo Catholico sacerdoti persuadere conata est defectionẽ ad vos: quibus meretricia procacitate & petulãtia tractat & irridet sanctissima religionis mysteria, literas has penes me habeo: en fructum libertatis vestræ.

HÆRETICVS.

Cùm Leonis Papæ sententiã cites, qua Monachi à publico docendi munere arcẽtur, cur iã illi inter concionatores vestros, non aliquem tantùm, sed etiam primum occupant locum? Hic scilicet vester est cum Maioribus consensus.

COSTERVS.

Quia non solùm Monasticen profitentur, sed etiam Sacerdotio sunt consecrati. Monachorũ est, nõ concionari, populumve docere, sed precari Deum, meditari, sanctáque vita & austeritate nobis diuinum fauorem promereri. Hoc Paulus Eremita præstitit, hoc Antonius, Hilarion, Macarij, Stylites, aliiq; nobiles Monachi & Eremitæ. Ad Episcopos attinet, & Presbyteris, Diaconisque concessum est verbum Dei populis [illegible] onere. Itaque si ad Monasticẽ

acce

ccedat ſacer ordo, iam Monachis committitur publica functio. Res illa noua non eſt: ſicut nouo mendacio calumniaris: quia Monachi fuêre ſancti Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ioãnes Chryſoſtomus, Gregorius Magnus, & B. Auguſtinus, qui ex monaſterijs ad ſacerdotiũ promoti, curam docendi populi ſuſceperunt. Vos autem cur Monachos præficitis Cathedris veſtris? Monachi fuerunt Lutherus, Bucerus, Martyr, Œcolampadius, Bernardinus Ochinus, Thomas Tieldius, Cornelius Antonij, Iacobus de Vbienſen, Ioannes Bogaert, Euerardus Bommelenſis, Ioãnes Damius, & ſeptem illuſtres illi Apoſtatæ, Melchior Roman, Abraham Carmelita, Edmundus Beauval, Antonius Gineſtet, Baſilius ſeu Ioannes Colen, &c. quos editis libellis celebrare voluiſtis. An fortè Monachatum ſacrilegis nuptijs excuſſerunt? Si veſtra cum veteri Eccleſia conſentit, ede exemplum. Apoſtatas damnant, atque deplorant ſancti Patres, quos vos Caluiniſtæ cum magno Luthero parente veſtro, mirificè prædicatis, & ad Apoſtaſiam excitatis.

HÆRETICVS.

Audi quid de priuata interpretandi facultate Baſilius ſentiat. *Oportere ſubditos eos, qui in Scripturis imbuti ſunt probare ea, quæ à doctioribus dicuntur, & quæ ſcripturis ſunt conſona, recipere: quæ alienæ reijcere, &*

& eos, qui in huiusmodi doctrinis alienis perseuerant vehementer auersari.

COSTERVS.

Priorem B. Basilij locũ ex quæstione 95 compendio explicata, de industria prætermitto, quod de eo superiùs paulò ante obiectiones egerim. Hic verò locus ex regula 72. morali nihil de plebeis, sed de peritis loquitur: *Auditores*, inquit, *qui sacrarum literarum periti sunt*. à quibus vult iudicium de nouis Cõcionatoribus ferri, vt, qui cõsentanea sacris docent, admittantur: qui secus, reijciantur. Huc affert ex Matthæo. *Væ homini illi, per quem scãdalum venit*: Ex Ioanne, *Qui non intrat per ostiũ, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro*: Ex B. Paulo, *Licet nos, aut Angelus de Cælo, euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Prophetias nolite spernere: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Vult nouas prophetias probari, non autẽ antiqua dogmata Apostolica, tametsi non scripta reprobari, vel examinari. Iubet autẽ cum B. Paulo anathema illis dici, qui præter id, quod à Maioribus accepimus, hoc est, contra Apostolicam doctrinã, quippiam nouiri nuehere moliuntur. Quorum doctrina ad antiquam est exploranda: cum qua si pugnet, explodenda.

Matth. 18.

Ioan. 10.

Galat. 1.

1. Thess. 5.

HÆRETICVS.

Paulus Apostolus ad Colossenses ait; *Ver-*

Coloss. 3.

bum

lum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonefacientes vosmetipsos. Hieronymus ad eum locum: *Hic ostenditur, verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam laicos habere debere, & docere se invicem, seu monere.* qua sententia quid possit illustrius, & ad doctrinæ Pontificiæ refutationem magis accommodatum?

COSTERVS.

Instituatur igitur argumenti forma, ad hanc refutationem doctrinæ Pontificiæ clariùs perspiciendam, *Apostolus monet, vt Dei verbum ita abundanter habitet in Christianis, vt mutuo se doceant, & commonefaciant: Hieronymus item affirmat: hæc de laicis dici: Ergo repellenda est Pontificiorum doctrina, qui non omnibus Christianis passim sine discrimine permittunt sacrarum literarum lectionem, vel interpretationem.* Consuetum sophisma est, à non causa ad causam. Nullam hic vel à B. Paulo, vel à D. Hieronymo mentionem audio sacrarum literarum, sed verbi diuini: cuius abundantia haberi potest, non solùm lectione, sed auditu concionum & admonitionum. Itaque dico, summoperè ab Ecclesia Catholicæ Prælatis, cum Beato Paulo, desiderari, vt Christiani omnes abundent scientia, sapientia, notitiáque rerum diuinarum. Huc enim referuntur conciones, lectiones, & omnes Ecclesiastici ritus & cæremoniæ: vt [illegible] & lectu

aspectu discant diuina. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet*, ait Moyses, *& det eis Dominus spiritum suum?* Sed vehementer cauendum est, ne, dum libertas fit de sensu scripturarum iudicandi, omissa, spretaque notitia diuina, ad nouam hæresin deflectant. Hæretici huc libertatem suam referũt, vt omnes, ipsorum auditis nouis somniis & commentitiis erroribus, cum ipsis, ex scripturis nouo modo intellectis, de Apostolicis dogmatibus & traditionibus sententiam ferant: vetera omnia, cum suo nouo censu non consentientia repudient & damnent. Hoc nemo vnquam sanctissimorum Patrum probauit. Legant scripturas, eásque interpretentur, qui possunt: at Traditiones Apostolicæ, quæ iã plus mille quingentis annis obtinuerunt, & scripturis ipsis Noui testamenti vetustiores sunt, de Christi Domini nostri voluntate per spiritum veritatis fidelibus datæ, & tot seculis confirmatæ, iniudicatæ relinquantur. Præscriptio 1500. annorum nunquam in dubium vocanda est, quicquid aduersus illam excogitetur. Qui aduersari vult, impugnet præscriptionis antiquitatem: &, si potest, doceat, vbi, quando, à quo initia habuerint: quæ nos ad Apostolos, atque ad Christum ipsum referimus.

HÆRETICVS.

Nec obstat B. Iacobi monitũ: *Nolite plures magistri fieri.* Siue enim Magistrorũ nomen,

Iacob. 3.

men, cum Beda & plerisque aliis, ad publicum docendi munus: siue, cum aliis, ad rigidam morum censuram referamus: nihil ad propositam controuersiam facit.

COSTERVS.

Multum ad rem præsentem facit B. Iacobi admonitio. Agit enim aduersus eos, qui (vt ait B. Hierony.) *docent, antequam discant: volentes esse legis doctores* (inquit B. Paulus) *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Priscis enim illis temporibus indidit diabolus hanc primis hæreticis mentem, (quam eorum posteri, per manus Patrum suorum cuiusque seculi hæreticorum acceptam, etiamnum firmiter retinent) vt ex scripturis perperam intellectis, Catholicam doctrinam impugnarent, sibique discipulos Pharisæorum more asciscerent: quos, erroribus suis imbutos, iudices constituerent sacrarum literarū. Sic (teste B. Epiphanio) Cerinthus, dum Legem cū Euangelio misceret, discipulos suos Antiochiam misit, qui sese B. Paulo opponerent: quorum occasione prima Synodus Hierosolymitana conuenit. Hinc statim multi doctores: dum pro se quisque discipulos colligit, & noua dogmata fabricat. *Magistros plures,* (ait Beatus Augustinus) *tunc fieri existimo, cum diuersa, atque inter se aduersa sentiunt. Cum vero ipsum dicunt omnes, & vnum dicunt ab omnibus, veri*

Ad Paulinū. 1. Timoth. 1.

Hæres. 28. Actor. 15.

In præfatione lib. de tractationum.

magistri magisterio non recedunt. Vult igitur B. Iacobus plurium Magistrorum occasionem tolli: quæ ab hæreticis probatur, quando licentiâ interpretationis scripturarum, cuilibet noui quippiam excogitandi potestatem faciunt.

HÆRETICVS.

Quare ex hisce apparet, fidelium turbã, pro donorum suorum modulo, posse & debere, ad priuatam sui & proximi vtilitatem, sacras scripturas modestè, & sanctè legere, & interpretari?

COSTERVS.

Ex hisce apparet, fidelium turbam, dum pro suo iudicio scripturas sacras legit & interpretatur, infinitis erroribus mundum contaminaturam. Vnusquisq; enim de turba aliorum placita reiiciet, sua probabit: & pro donorum suorum modulo, sanctè, modestéq; ex officio, & data sibi facultate, se gessisse putabit (arbitrium enim donorum pro modulo suo, non alteri quàm sibi permittet.) Nam vnde ex vno Luthero tot hæreses, quam ex hac legendi & interpretandi licentia? Ex ea, peritiores excogitarunt grauiores: vt, Sacramentarij, Vbiquetistæ, Triteistæ, Svvenckfeldiani: indocti, fœdiores: vt Anabaptistæ, Adamitæ, Dauid Georgiani, Leidani, Libertini. Ante Lutherum, vt non fuit hæc libertas, ita pax summa, & vnica fides ac religio colebatur: vbi licentia [illegible] vinculum rupit, quisque instar indomi

mitorum equorum, quoquo verſum
Audio non deeſſe vobis Ioannem Ar-
m Amſtelrodamenſem miniſtrum,
ſe triennium nouitatibus ſuis de
inatione, Franciſcum Iunium ve-
gitauit: itaque etiam vos Calui-
nouis ſchiſmatibus fructum per-
ceſſæ libertatis.

DE CAPITE VIII.

Hæreſium aduerſus Catholicam veritatem obiectiones.

PRIMA.

CHRISTVS præcepit auditoribus ſuis, vt doctrinam Chriſtianam ad regulam exigant ſacræ ſcripturæ, *Scrutamini ſcripturas*: Igitur permiſſum, imò mandatum eſt vulgo Chriſtianorum, iudicium de ſcripturarum interpretatione, & negotiis fidei. Ioan. 5.

SOLVTIO.

Neganda eſt conſequentia. Primò quidem, quia Chriſtus non indoctæ plebeculæ locutus eſt, ſed Sacerdotibus, Leuitis, & Phariſæis: qui clauem acceperunt ſcientiæ: de quibus idem dixit: *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Et quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* quos conſtat [illegible] Luc. 11. Ioan. 5.

promiscua multitudine, sed principes viros: qui ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem legauerant, vt interrogarent eum, *Tu quis es?* Deinde verò, quia Ioan. 1. *scrutari scripturas*, nõ est, scripturas ad suum sensum quolibet torquere, vel hoc quoque hactenus inauditam interpretationem, ad nouum dogma confirmandum comminisci: sed est, doctrinam cum scriptura conferre, eo sensu intellecta, quem trãdiderunt Maiores.

HÆRETICVS.

Ratiocinationem nostram agnoscimus, Costere.

COSTERVS.

Igitur vis Christianorum vulgo non solùm permissum, sed etiam mandatum iudicium de Scripturarum interpretatione & fidei negociis? Itaque debebit vxorcula tua (quæ vna de vulgo Christianorum est) immo villicus tuus, denique omnes auditores tui, hac mente te audire, vt tanquam censores iudicent, recténe scripturas ad rem tuam adduxeris, & doctrinam fidei scripturis consentaneæ explicueris. Si cui ergo interpretatio tua & doctrina improbetur, qui aliam, vel alibi lectam, vel auditam, aut nouiter à se excogitatam, magis probet: ei non erit nefas tua dogmata damnare (cum ad Iudicis officiũ spectet, damnare, approbare.) In quibus, si suo iudicio

iudicio deprehendatur hęresis, licebit vtique ei pari ratione, te hæreticum pronunciare. Si hoc concedis auditoribus tuis Caluinistis: eodem iure permittendum est Lutheranis & Anabaptistis, si de grege eorum quis tam se tibi præbeat auditorem. Et si illis, cur non Catholicis priuatis & singulis? quibus si hanc facis potestatem, cur eam derogas Ecclesiæ Catholicæ: quę lectis concionibus, aut (quod idem in hoc negotio valet) libris tuis, iudicat doctrinam tuam Caluinisticam ex diametro cũ Orthodoxa fide pugnare, scripturas torquere & deprauare, & nihil solidi ex sacris literis adducere? Ne mireris igitur, si te hæreticum nomino: vtor potestate abs te mihi data: ex scriptura diligenter lecta & cum Patrum scriptis examinata, fero iudicium: quod mihi non minùs licet, quàm rudibus tuis idiotis. Iudicet æquus lector, an præter officium faciam.

HÆRETICVS.

Sed solutionem improbamus. Negas quidem consequentiam duabus de causis: sed neutra satisfacit.

COSTERVS.

Nouerit ex Logicorum scholis hæreticus, Respondentis esse admittere, vel (etiã nulla allata ratione) negare: Obiicientis, ratione probare. Itaque ego, qui Respondentis partes sustineo, consequentiam ne-

gaui: adieci tamen, quæ me ad negandum moneret, priorem hanc rationem: quia Christi verba non plebi, sed doctoribus Iudæorum dicta sint. Id manifestum feci tam ex his quæ antecedunt prædicta verba: quàm quæ sequuntur. Illi enim loquebatur Iudæis, qui eum persequebantur, (inquit Euangelista,) *quia hæc* (miracula) *faciebat in Sabbato. IESVS autem*, inquit, *respondit eis*. Constat, non à plebe, sed à primoribus motam domino persecutionem. Præterea *loquebatur eis, qui ad Ioannem miserant*: hi fuerant Sacerdotes & Leuitæ Hierosolymitani, non aliqui de plebe. Ad illam enim missionem respexit hîc Christus: vt rectè notauit Diuus Chrysostomus. Denique eisdem loquebatur, quibus prædicta verba adiecit: *Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ ex solo Deo est, non quæritis*. Hos fuisse Principes, testatur Ioannes alio loco: *multi ex Principibus crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*. Populus autem & credebat, & sequebatur, & confitebatur. Itaque totus illius sermonis Dominici contextus manifestè demonstrat, Christum non plebi, sed Doctoribus & Sacerdotibus Iudæorum locutum.

Ioan. 5.

Homil. 39. in Ioan.

Ioan. 12.

HÆRE

HÆRETICVS.

Nam quod primum obiicis, Christum non indoctæ plebeculæ, sed Sacerdotibus locutum, quia ait, *Vos misistis ad Ioannem:* Id minimè consequitur. Nam Ioannes ait, [illegible] Iudæos Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas: qua ratione vulgus minimè excluditur. Nã quod publica authoritate fit, an nõ rectè etiam populo eius cõscio, nisi reclamet, asscribi potest? (Ioan. 1.)

COSTERVS.

Memineris te partes impugnantis sustinere, ne respondentis. Itaque probandum tibi est, à toto populo missos fuisse ad Ioãnem Sacerdotes & Leuitas: quod ego negaui. Probatio tua est, Quod publica authoritate fit, fit conscio populo: id iterum nego: multa enim à Magistratu constituũtur, præter populi notitiam: præsertim à Synedrio 72. Seniorum, ad quos summę causæ referebantur, & quorum erat de Regibus & Prophetis iudicium.

HÆRETICVS.

Deinde, licet Sacerdotes gloriam aucuparentur, an propterea soli? quasi verò non suo fermento (à quo tam sollicitè suos Christus dehortatur) sectatores suos infecerint.

COSTERVS.

Contine te, obsecro, in argumentandi ratione: Tu partes Respondentis assumis, quæ hoc loco meæ sunt. Conuince, Christum populo locutum, & no[illegible] quod ego

teneo) solis peritis Iudæorũ. Dicis, populus etiã gloriã aucupabatur: concedo, quid inde? Ergo etiam populo dixit, *scrutamini scripturas*. Nego consequentiam. Probas, quia ex eo affirmo, solis locutum Primoribus: quòd illi gloriam aucupa[illegible] co, ex toto contextu à Patribus colligi, & à me clarè videri, Dominum hoc loco sermonem habuisse non ad plebem, sed ad Doctores. Esto tu in opinione tua contraria: ego meam, & sanctorum Patrum retineo: quam tu mihi rationibus tuis eximere debes.

HÆRETICVS.

Præterea, cum Christus adiiciat, Iudæos voluisse ad horam exultare in luce Ioannis: an non potius id ad populum pertinet, quàm ad Sacerdotes: cum hi ferè spreuerint Ioannem, illi verò in pretio habuerint?

COSTERVS.

Ad Sacerdotes pertinet, quòd *ad horam exultare voluerint in Ioannis luce*: hoc est, breui tempore (aiunt Patres) non diu. Ideo enim ab eis ad ipsum missi sunt Sacerdotes, quæsituri, num ipse esset Christus: quòd de eo, propter vitæ austeritatem, & nobilitatem, maiorem concepissent opinionem, illumque Christo vero anteferrent. Sed non diu in ista existimatione perseuerarunt. Vt enim cœpit Ioannes Christum verum commendare, eique discipulos suos [illegible]mittere, eosque quaqua ver-

sum

sum ad eum prædicandum dirigere, (sicut de Apollo, aliisque duodecim in actis Apostolicis legimus) Pharisæorum in Ioannem amor refrixit, & fauor in odiũ transiit. Hoc est quod dicit, *Ad horam*, plebs ver[illegible] ad breue tempus, sed constans in eius amore permansit. Act. 18. & 19.

HÆRETICVS.

Denique Scripturæ examen non solum doctoribus, sed etiam auditoribus commendari, ex similibus Prophetarum & Apostolorum sententiis constat.

COSTERVS.

Non hîc quæritur, quid alibi hac de re Scripturæ moneant: sed, An propterea Christus conuincatur hoc loco non solis doctoribus, sed etiam plebi locutus. Ego ex contextu sermonis totius (vt ante dixi) mihi, cum sanctis Patribus, persuadeo, locutũ non huic, sed illis: tu me coge sententiam mutare, quod necessum est, ad infirmandam solutionem meam. Nihilominus quia productæ à te Scripturæ, loco nouorum argumentorum sunt, singulas discutiamus, & earum momenta ponderemus an tanta sit illarum vis, quæ te, & Symmistas tuos, ad orthodoxam Catholicę Ecclesiæ fidem deserendam, cogere debeat.

HÆRETICVS.

Beatus (inquit Dauid) *vir ille, qui non ambulat in consilio impiorum, & viæ peccatorum non insistit, & in consessu derisorum non sedet: sed in lege Iehouæ [illegible] declaratio* Psalm. 1.

tio eius, & in lege eius meditatur die ac nocte.

COSTERVS.

Infer: *Ergo scripturæ examẽ non solùm Doctoribus: sed etiam auditoribus commendatur.* Nonne te pudet huius consequentiæ: qui te Doctorem & Professorem Th[illegible]egiæ facis? Dauid commendat meditationem legis, tu inde concludis examen Scripturę, ille vult vt die noctuque meditemur Dei legem, vtque ad eius mentem vitæ nostrę rationes componamus: tu colligis ex eo, permitti plebi dogmatum fidei examen ad literas sacras. Nescis, quid inter Legem & Scripturam interfit, atque inter meditari & examinare? Lex etiam sine scripto datur: Dei præcepta, lex Dei sunt: illa sine scripturarum aliarũ lectione cognoscuntur. Meditari legem, est eius apud se vim, dignitatem, obligationem expendere: atque vitam nostram ad eam conformare. Video omnes Caluinistarum meditationes in eo cõsistere, vt Apostolica dogmata, tot sæculis conseruata, ex Scripturis impugnent. Bella meditatio: quæ Hæreticos, non pios facit.

HÆRETICVS.

Psalm. 118. Item, *Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.*

COSTERVS.

Iansen. paraphrasi. *Sensus est.* Felices sunt, qui vt innocenter viuant, & conuertantur secundùm legem, summo studio inuestigant, præcepta

cepta Domini, quibus suam nobis voluntatem testatus est: & vbi ea intellexerint, tum, reliquis omnibus posthabitis, pro virili studeant placere illi. Hinc tu consueto sophismate cõclude: Ergo omnibus est legenda Scriptura, & suo iudicio exponẽda, ad eamque omnis Ecclesiæ doctrina examinanda. Pudenda conclusio Sophistæ.

HÆRETICVS.

Et Ioannes: *Probate spiritus, an ex Deo sint.* 1. Ioan. 4.

COSTERVS.

Neque hìc Scripturæ fit mentio. Probãtur noua dogmata non lectione solùm, sed auditu quoque. Cum vestri Symmistæ Bruxellæ Caluinistica somnia pro Dei verbo, in templis populo proclamarent, Catholici omnes nouitatem errorum deprehenderunt, non tam ex sacris libris, (quos multi, nescientes literas, ignorabãt) quàm ex doctrina consueta, à Maioribus accepta: quam pij omnes aduertebant à Ministris vestris, suis nouis cõmentis euerti. Omitto, (quod tu in fabulis tuo more habebis) non defuisse, qui auditis Prædicantibus vestris, non sine miraculo, tantopere perhorruerunt, atque si dæmonem ipsum audissent, sua verba boantem. Narrabo rem, ante 10. aut 12. annos in prouincia Angliæ Norfolke gestam: quam mihi vir fide dignissimus, ab ipsiusmet nobilis viri ore, cui contigit, accepta retulit, cuius nomini, (quod adhuc [illegible] esse credatur

datur) parcendum putaui: Iste igitur vir nobilis, à Regio Senatu deprehensus catholicus, cogitur adire concionem Caluinistæ: recusat: vrgetur etiam à suis, metu non solùm bonorum (quibus abundabat) spoliationis, sed etiam aliorum malorum, quæ à Caluinistis tyrannicè inferri solent: paret tandē vel inuitus. Vt est in tēplo, corripitur ardorib⁹ internis intolerādis, & siti vehementissima: effertur domū sitim quęrit sedare potu: quicquid cereuisiæ adfertur, exhaurit integrum vas cereuisiariū epotat, & neque intumescit, neque lotium reddit, neq; sudat. Accurrunt Ministri vestri, mirantur æstum: quibus ille, Non est, ait, morbus: sed Dei mei manus, quæ peccatum meum ingressus in Ecclesiam vestram hac sæueritate vindicat. Adducitur catholicus sacerdos: & ecce, peracta confessione, & absolutione sacramentali data, sanitati restituitur. En probatio Spiritus vestri, sine lectione. *Vnctio*, ait B. Ioannes, *docet vos*. Hoc est, gratia fidei, quam in Ecclesia, etiam sine literis, didicistis, per quam difficile non est de oppositis ferre iudicium.

1. Ioan. 2.

HÆRETICVS.

Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

COSTERVS.

Efficax, & non puerile vel ridiculū argumentum scilicet: quo miselli persuadētur omnia legere, omnia examinare, omnia iudicare. Nihil vox (*omnia*) nihil excludit.

dit. Legenda ergo non ſolum ſcriptura ſacra vniuerſa, ſed hæretici libri quiliber, Caluiniſtarum, Lutheranorum, Anabaptiſtarum, Tritheiſtarum, Svvenckfeldianorum: atque retinendum ſequendumque quod bonum eſt cuiuſque iudicio. Cur ergo mei libelli aduerſus vos editi, à vobis proſcripti ſunt? cur nemini eos licet in Batauiam inferre? cur nuper extremo ſupplicio affectus eſt nuncius, qui eò libellos ad pacem paræneticos inuexerat? cur hîc ſolum nõ habet locum, *omnia probate*? Diſce ergo, probari poſſe omnia incerta: non autem, quorum bonitas vel malitia explorata, notáque eſt. An cibum veneno infectum, ipſemet probare voles, ſi aliorum experientia vitium eius noris? Dogmata Caluiniſtica, aliáque hæretica, vt ſunt notiſſimæ malitiæ, ita noua probatione, lectione librorum veſtrorum non egent: Pari modo orthodoxa fides catholicorum, iam mille quingentis annis per vniuerſum Orbem probata, vſurpata, commendata, totque ſanctiſſimorum martyrum ſanguine confirmata, tot virorum doctiſſimorum ſcriptis laudata, & inter tot Gentilium machinas, Iudæorum inſidias, & hæreticorum tela & oppugnationes integra, incorrupta, illæſa, ſibique per omnia ſimilis, noua tuorũ ſeu doctorũ, ſeu rudium idiotarum, ſutorum (inquam) ſartorum, textorũ, lixarum, &c. quibus tu eius

eius iudicium, committis) probatione non eget. Si probãda omnia, cur non etiã scripturarum libri: quos pleriq; hodie, vestra libertate inducti, in dubium vocãt? Cur ex apparentibus dissonantiis Euangeliorum aut aliorum librorum, non [illegible] aliquos cũ Iuliano & Porphyrio, errorum damnare? Matthæus dicit, Centurionem ad Christum accessisse: Lucas negat. Iste refert cæcũ curatum à Domino, ante ingressum in Ciuitatẽ Ierichuntinam: Ille cũ Marco, post egressũ de ciuitate, hoc editũ miraculum. Quàm differũt ambo in Dominica genealogia? Dauid ait, *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*: S. Paulus contra, *Ascẽdens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Michæas dicit. *Tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda*: Matthęus aliter, *Nequaquã minima es*, &c. Quàm Patres laborant, vt omnes Scripturas concilient? Cur nõ liceat ergo idiotis tuis, cẽsoriam virgulam his scriptis apponere, omnia probare, & suo iudicio examinare? Denique, quia solum vultis Scripturã canonem esse fidei & veritatis, quid si quispiam ex eius lectionibus, eius sentẽtias ad Ecclesiæ dogmata examinet: &, vbi vos Ecclesiã erroris dãnatis, quia (vestro iudicio) cum Scriptura pugnat, ipse in Scriptura errorẽ ponat? Siquidem in sacris literis nusquã videt noui Testamenti libros commendari, vel ad eos dogmata fidei collimanda

Matth. 8. Luc. 7.

Matth. 1. Luc. 3.

Psalm. 67.

Ephes. 4.

Mich. 5.

Matth. 2.

manda mandari: contra verò in ijs, Eccle- 1. Timoth. 3.
siam legit *columnam & firmamentum veritatis, ipsam audiendam*, tanquàm, *à Spiritu veritatis omnem veritatem edoctam*: Et in eius fidem ab omnibus scripturarum interpreti Matth. 18. Ioan. 14.
[illegible]endũ. Hoc enim dicet esse quod Rom. 12.
Apostolus ait: *Siue prophetiam, secundum rationem fidei*: id est, Nemo scripturas sacras aliter explicet, quàm iuxta fidei dogmata, quę ab Ecclesia traduntur. Cur ergo potius Ecclesiæ doctrina ad sacras literas, quàm sacrę literę ad Ecclesiam examinendę erunt? Vidē hæretice doctor, quò te abducit vox, (*omnia*) tuo sensu generatim accepta?

HÆRETICVS.

Coloss. 3.

Item, *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonefacientes vosipsos in psalmis, hymnis, in canticis spiritualibus in gratia, cantantes Deo & Patri per ipsum.* Quem locum ad Christianorum vulgus pertinere, Hieronymus demonstrat.

COSTERVS.

Superius respondi, nihil hic de scripturarum lectione dici, sed de sapiētia: quæ sine lectione varijs modis habetur, auditu, meditatione, oratione. B. Antonius suis literis admirationi fuit doctissimis philosophis: & D. Franciscus summis Teologis. S. Thomas Aquinas plura fatebatur se oratione, quàm lectione didicisse. B. Catharina Senensis, B. Brigitta, & plerę que sanctę [illegible]es, quantum

rum meditatione, non tam lectorũ, quàm auditorum, profecerint diuinarum rerum sapientiâ, testantur libri ab ipsis, non sine admiratione, conscripti. Non igitur quæritur, debeant ne omnes Christiani ad sapientiam eniti: sed an debeat eis sacrarum literarum lectio & interpretatio, pro suo cuique iudicio, permitti?

HÆRETICVS.

Nec aliter Chrysostomus exponit. *Inhabitet*, inquit, *in vobis opulentè non simpliciter, sed cum multa opulentia. Audite quotquot estis mundani, & vxoribus præestis ac liberis, quomodo & vobis potissimum præcipiat Scripturas legere: idque non simpliciter, neque obiter, sed magna diligentia.* Et paulò post: *Neque moreris alium Doctorẽ, habes oracula Dei nemo te docebit, quẽadmodum illa. Alius tibi multa sæpe, siue per vanam gloriam, siue per inuidentiam inuidebit. Audite obsecro, seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, &c. Hoc demũ malorum omnium causa est, quod scripturæ ignorantur.*

COSTERVS.

Similibus B. Chrysostomi verbis superiùs à me responsum est. Sãctissimus Patriarcha frequens est in cohortatione subditorum suorum ad scripturarum lectionem: non vt eas suo sensu dijudicẽt, sed vt prælectione parati ad conciones accedant, & à concione relegant & ruminent audita, patrésque familias

familias ea domi vxores & liberos doceãt. *Quos* (inquit) *estis, verũ nõ irrationales, sed rationales. Multa & vobis committit Paulus. Qui ad instituendum mittuntur, non semper in eo commorantur vt discant, alioquin non addiscerent. Si semper discetis, nunquam docebis: omnia humeris nostris injecta. Vos oportebat duntaxat à nobis institui, vxores verò à vobis, & liberos: at omnia nobis obeunda relinquitis: quapropter & multã sustinemus molestiã.* Pia querela, quod parentes & mariti concionantem audiant tantummodo, non soliciti audita vel retinere, vel sibi commissos docere. Refert igitur B. Chrysostomus eo exhortationẽ suã, vt quisque Biblia legat (præsertim familiarum patres) ad pleniorem concionum intellectum, quibus ipse Scripturas interpretabatur: non vt eas iudicio suo exponat: multo minùs, vt ex ijs, suo sensu intellectis, iudicium sibi de traditionibus Apostolicis arroget: quod vos hæretici vultis. Homil. 9. ad Coloss.

HÆRETICVS.

Quare ex hisce omnibus liquet Christũ iustè potuisse ac voluisse, non solùm doctores, sed etiam vulgus Iudæorum ad sacras literas scrutandas prouocare.

COSTERVS.

Ex his omnibus liquet, potuisse quidem Christũ vulgus ad scripturas scrutandas cohortari, non autem voluisse: siquidem totus eius sermo (vt circunstantiæ declarant)

ad

ad doctores habebatur. Manet igitur firma solatio mea, & infirma iacet cõfutatio tua.

HÆRETICVS.

Altera verò partim aliena est, partim falsa. *Quia* (inquis) *scrutari scripturas, non est, scripturas ad suum sensum quolibet torq. Verò nouam, atque hactenus inauditam interpretationẽ, ad nouum dogma confirmandum comminisci.* Quis mortalium id negat?

COSTERVS.

Qui vulgo potestatem facit, scripturas suo sensu interpretandi, & de negotijs fidei iudicandi, is ei concedit, ex iudicio suo nouas explicationes excogitandi facultatem, vt nouis suis erroribus illas accommodet: quod non à plebe modo, sed à vobis Rabbinis quoq; fieri deploramus. Quid enim agitis aliud, quàm noua dogmata cõminisci, & ea deprauatis', aut detortis scripturis confirmare? Vobis placent Sacerdotum & Monachorum connubia: huc detorquetis Apostoli verba *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse*: ad esum carnium vetitis diebus, deprauatis Christi verba; *Nihil quod intrat in os, coinquinat hominem*. En vestram scrutationem Scripturarum. Itaque vobis hæreticis, *scrutari scripturas*, est eas ad vestrum sensum quolibet detorquere: quod ego hîc nego esse ex mente Christi.

HÆRETICVS.

Sed, an inde (quod tibi probandum est) con

consequitur, non licere Christianorum vulgo sacras literas pro suo modulo ad ipsarum normam interpretari, & de negotijs fidei iudicare?

COSTERVS.

Vis Doctor Theologus celebrari, & rationē argumentādi ignoras. Nescis, me respondentem agere, te impugnantē? Meum igitur non est probare, (vt hic ineptis) sed probationes tuas, & obiectiones repellere. Argumentabaris ex verbis Christi, *Scrutamini scripturas*, vulgo permissum, imo mandatum esse, de sacrarum literarum & fidei negotijs iudicium. Ego consequentiam negaui, motus duabus causis: Priore, quòd illa verba à Christo non plebi, sed doctoribus Iudæorum essent dicta. Quam solutionem tu hactenus infirmis rationibus impugnasti, neque me, vt etiam vulgo dicta esse fatererer, cogere potuisti. Altera negationis meæ causa fuit hæc, quam modò tractas: Christo, *Scrutari scripturas*, non esse, eas ad cuiusq; iudicium torquere: ideóque ex his non sequi, vulgo esse permittendum iudicium scripturarum, & dogmatū fidei. Non enim voluit Dominus his verbis rudē plebeculam constituere diuinarum scripturarum interpretem, & negotiorum fidei iudicem. Tuum erat, Doctor hæretice, ratione docere, hanc tuam conclusionem ex illo Antecedente sequi.

ÆRE

HÆRETICVS.

Addis deinde: *Sed est; doctrinam cum scriptura conferre, eo sensu intellecta, quem tradiderunt Maiores.* Rectè: modò (quod sæpe fit) à sacris literis non dissentiant, non autem absolutè, vt perperam docetis.

COSTERVS.

En: doctor hæreticus non sibi soli censorium munus arrogat: sed tali ratione auditores suos instituit, vt etiam illi de doctissimis, sanctissimisque Patribus censuram ferant. Vxorcula eius, sutor, sartórque eius, de sanctorum Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, Hieronymi doctrinis, & Scripturarum interpretationibus iudicium ferent. Proponatur illis B. Pauli sententia, *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*; dicaturque à prædictis, aliisque doctissimis sic intelligi, vt nemo ad Episcopi dignitatem euehatur, qui fuerit bigamus: statim reijcient interpretationem, tanquam à Scriptura alienam. Quam ob rem? quia (ipsorum iudicio) vult Apostolus Sacerdotibus omnibus ineunda esse connubia. Par ratio est omnium locorum, quę in errorum suorum confirmationem producunt hæretici.

HÆRETICVS.

Maiores enim in honore habendi sunt, tanquam testes: sacræ vero literæ omnibus prę ferendæ, & in summo pretio habendę, tanquam fidei canon.

COSTE

COSTERVS.

Optimè vtrumque, & de Maioribus, & de Scripturis. Veneraris Maiores, tanquam testes: eorum igitur testimonium cur repudias? Testantur scriptis suis Ecclesiasticas tradi[illegible] inuocationis Sanctorum, incruenti sacrificij, orationis pro defunctis: aliorúmque rituum quos vos damnatis ab Apostolis ad se perlatas esse: Testantur itẽ, hanc nostram Ecclesiam Romanam, ad sua vsque tempora incorruptam perseuerasse. Testantur præterea, scripturas non vestro sensu, sed Catholico intelligendas esse: Testantur denique, noua dogmata vestra cum diuina veritate pugnare. Illorum igitur testimonio cur fidem non adhibes? Si credere non vis, vt doctoribus: crede, vt testibus. Illi enim sinceri testes sunt doctrinę fidei, quæ suis tẽporibus toto Orbe in Ecclesia tenebatur & colebatur. Sacras literas omnibus præferimus: neque de textu, sed de sensu, quęstio est. Tu hęretico fastu, scripturę nomine accipis, non scripturæ verba, (quæ nobis vobiscum cõmunia sunt, & maioris venerationis quàm vobis (sed hæreticum sensum vestrum: sicut iam de *Episcopo vnius vxoris viro*, demõstratum est, & in similibus locis pari facilitate demonstrari potest.

HÆRETICVS.

Quod iudicium, non solùm Patres orthodoxi, sed etiam antiqua Pontificum decreta, à quibus postea turpi[illegible]adi-

[illegible]one

scil. Tridet. sessione 4.

ctione defecerunt) comprobant ac præscribunt.

COSTERVS.

Impingis contradictionem Ecclesiæ Catholicæ, quam, hactenus præter te, eius nemo deprehendit. Citas Gratianum distinctione 9. qui ex varijs B. Augustini libris docet, Canonem sacrarum literarum omnium Episcoporum scriptis anteferendum, neq; in eũ vllius hominis scripta referri debere. At quis istud negat? Concilium (inquis) Tridentium, sessione quarta. Eius verba sunt: *Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, &c. Hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, vt sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruetur, quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster IESVS Christus Dei filius proprio ore primum promulgauit: deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicare iussit: perspiciensque hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quàm noui Testamenti, (cum vtriusque vnus*

Deus

Deus sit auctor) nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit, & veneratur. Hactenus verba sacri Oecumenici Concilij Tridentini. Quid hic est pugnans cum decreto Gratiani, aut verbis D. Augustini? Concilium affirmat orthodoxorum se Patrum sequi exemplar: & hæreticus doctor ait, illud cum Patribus pugnantia loqui. Fortasse pugnat: *Patrum scripta non esse æquanda scripturis,* (quòd B. Augustinus dixit.) &, *Extra literas sacras recipiendum esse verbum Dei, non scriptum, sed traditum?* At illud verbum Dei non scriptum, ineptè confundit hæreticus, cum scriptis Patrum. Hoc enim verbum cum sit Dei verbum, non est verbum hominis, sed Christi aut Spiritus sancti diuino ore dictatum: quod ab Apostolis ad nos delatum est, non Patrum scriptis, sed doctrina Spiritus sancti: qui vt primum delapsus est in Apostolos, primósque Christianos, ita in Ecclesia perseuerat, eámque retinet & auget sapientia diuina. Sancti Maiores nostri non sunt Auctores sed (sicut paulò ante fatebaris) testes veteris doctrinæ. Testantur quippe, eandem orthodoxam doctrinam ab Apostolis ad se incorruptam defluxisse: quæ per ipsos deinde, per sequentia secula decurrens, ad nos eadem prorsus & inuariata pe[illegible]. Ex-

rasti igitur, Doctor hæretice, in hac censura tua: sicut & in cæteris consueuisti.

Secunda obiectio.

Beroenses commendantur, quod quotdie scrutarentur Scripturas, an illa quæ à Paulo & Sila dicebantur, ita se haberent: Ergò licet populo idem præstare.

Act. 17.

Solutio.

Concedi potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroenses, qui scripturas ab Apostolis pro concione expositas, cum ipsa eorum explicatione conferebant: considerabántque vtrum nouis modis, à veteribus ignoratis, scripturas torquerent: an verò Maiorum doctrinæ & interpretationi cõsentanea dicerent. Hoc ipsum optandum est, ab omnibus fieri: & iis præsertim temporibus, quando noua dogmata in mundum inuehuntur, Scripturarúmque centonibus comprobantur. Tunc enim conferendæ sunt nouitates illæ cum vetustate Ecclesiæ: & noua interpretatio cum antiqua interpretatione Maiorum: cum qua si pugnat, reiicienda est, & (iuxta B. Pauli admonitionem) anathemate percutienda.

Ad Galat. 1.

HÆRETICVS.

Quam das manum, Costere, eam libenter amplectimur. Atque vtinam in reliquis etiam propius ad veritatem reuertaris. Itaque dissentiatum est hac quidem parte: nec

nec iam amplius de iis, ad quos interpretationis ius, & doctrinæ examen pertinet, sed de modo illius controuersia est.

COSTERVS.

Sicut hæreticis omnibus familiare semper fuit sacras literas, & sanctorum Patrum scripta, ad suos errores detorquere: ita hæreticus iste mala fide in verbis meis versatur. Triumphum canit ante victoriã. Mentitur, me ius interpretationis scripturarum & doctrinæ examen laicis, & rudi populo tribuere. Dico, nemini Christiano, qui in Baptismatis sacramẽto nomen & fidẽ Ecclesiæ Catholicæ dedit, licere Christianam doctrinam in dubium vocare: vel de illa, tot seculis probata, quæstionem mouere, aut nouum examen instituere: vel literas sacras nouis interpretationibus ad suam mentem trahere. Nego itaque, ad plebem pertinere ius interpretationis, & examen doctrinæ. Hoc porrò addo, si quis noua aliqua, & hactenus inaudita dogmata inuehere velit, ea Catholicis examinanda esse: non ad nuda verba sacrarum literarum, (quæ sola scripturam non faciunt) sed ad genuinum ipsarum sensum. *De intelligentia* (ait Beatus Hilarius) *hæresis est, non de scriptura: & sensus, non sermo fit crimen.* Lib. 2. de Trinit. Hæreticus verba mea arripuit, sed perperam (suo more) intellecta. Ego nouorum dogmatum ad sacras literas examen cuiuis permitto: sed literas sacras accipio non solum textum, quem quilibet prauare potest: sed verba cum Cath[illegible] sensu.

Hunc sensum norunt fideles, partim lectione, adhibitis Veterum commentariis: partim auditu sacrarum Concionum.

HÆRETICVS.

Hîc statuis Maiorum doctrinam, interpretationis canonem: sed quo auctore?

COSTERVS.

Galat. 1. Ioan. 4. B. Paulo: *Si quis vobis euangelizauerit, præterid, quod accepistis, Anathema sit.* Et Christo: qui Spiritum veritatis cum Ecclesia, ad finem vsque seculi mansurum promisit. Verbum Dei scriptum in corde Ecclesiæ, certissimus testis est, & fidelissimus interpres verbi diuini, in membranis conscripti.

HÆRETICVS.

Non enim Beroenses dicuntur examinasse Pauli dicta, ad Maiorum interpretationem: sed ad sacras literas.

COSTERVS.

Literas sacras non faciunt sola verba, sed sensus.

HÆRETICVS.

Quandoquidem Maiorum interpretatio, sectarum vitio corruptissima erat.

COSTERVS.

Sicut nobis Catholicis ignotæ non sunt hæreticorum sectæ, & earum corruptelæ scripturarum: Ita piis Israelitis nota erat sincera doctrina, & genuina sacrarum literarum interpretatio, quam ipsi à Maioribus per manus acceperant. Extat etiamnum apud Hebræos vetustissimi Doctorum

rum libri, qui ab hinc bis mille annis scripturam sacram explicuerunt: quorum interpretationes, vt sine inuido affectu (quo posteriores Iudæi mouentur) & sine sectarum erroribus, qui postea exorti sunt, conscripserunt: ita orthodoxam de Christo fidem confirmarunt & illustrarunt.

HÆRETICVS.

Ac propterea Christus multis in locis tam grauiter eam reprehendit.

COSTERVS.

Non veterum explicationem scripturarum reprehendit: sed adiectas à Nouatoribus deuteroses. Doctores semper ad scripturas remittit, necdum falsis interpretationibus corruptas.

HÆRETICVS.

Deinde quum superioribus prolixè & solidè demonstratum sit, Maiorum doctrinam ad sacrarum literarum trutinam examinari oportere: certa & constans interpretationis veræ norma dici non potest.

COSTERVS.

Prolixè conatus es demonstrare: at te solidè demonstrasse, est solidum mẽdacium. Maiorum doctrinam accipimus illam, quę ab Apostolis Ecclesiæ tradita, per Maiores nostros longo tractatu ad nos peruenit: hanc qui velut dubiam examinat, Hæreticus est, & Anathema esto.

HÆRETICVS.

Nec aliò pertinet sententia Pauli: sed

etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id, quod vobis euangelizauimus, Anathema esto.

COSTERVS.

B. Apostoli Pauli verba: *Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, Anathema sit*, generalem sensum habet: nimirum, nihil à nobis admittendum noui, quod doctrinæ à Maioribus acceptæ, aduersetur. Iubet igitur Apostolus, sine examine, sine querela, sine controuersia, doctrinam Maiorum retinendam: illam enim accepimus, & non aliam.

Obiectio tertia.

Matth. 11. Christus Patri cælesti confitens, quia abscondisset hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasset ea paruulis, significare voluit, non minùs inesse gratiæ imperitæ multitudini, quàm inflatis doctoribus. Non sunt igitur rudes, ab interpretatione & iudicio scripturarum arcẽdi.

Solutio.

Neganda est consequentia. Quia paruulorum nomine non quiuis imperiti, sed humiles, ac nullius rei cognitione tumentes intelligendi veniunt: quales erant Apostoli piscatores illi quidem & demissi, nullo spiritu inflati, nullius artis inanis arrogantia subnixi ambulantes: non tamen indocti, vtpotè qui totum triennium æterni Patris diuinam sapientiam docen-

tem

tem audierant, & mentem ipsam intus erudientem senserant. Gaudet igitur Christus, non tumidos peritiâ legis Pharisæos, non inflatos naturalium rerũ cognitione philosophos, sed humiles, & à mundo contemptos præcatores, ad Christianam sapientiam primò quidem à se discendam, deinde verò aliis communicandam delectos: eò ferè modo, quo B. Apostolus Paulus: *Videte, inquit, vocationem vestram, fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Indocti, qui præ se Maiores pro nihilo putant, suúmque iudicium totius Ecclesiæ anteponunt, non sunt in istorum paruulorum, de quibus CHRISTVS loquitur, sed in turgidorum, ne dicam sapientium, sed sciolorum, numero reponendi. 1 Cor. 1.

HÆRETICVS.

Aberras à scopo, Costere: Nam quis adeò rudis & imperitus est, vt sermonis tui fallaciam non obseruet?

COSTERVS.

Nulla fallacia loquor: Negatione consequentiæ, obiectioni respondi: causam eius negatæ adieci: quod Christus paruulorum nomine non rudes, sed humiles diceret: Tuum est, (si argumenta) nosti) certa ratione consequutionem [illegible]

HÆRETICVS.

Quoniam imperitæ multitudinis, & rudium nomine, non quoſuis imperitos, ſed Chriſtianorum vulgus ita appellamus: non ſimpliciter, ſed comparatè cum doctioribus, & ratione humanæ ſapientiæ. Non alioqui & Deum Patrem in Chriſto norunt, quæ vera ſapientia eſt, & Chriſti verbo ſe ſubiiciunt, quæ ſumma demum humilitas eſt.

COSTERVS.

Videris hac ratione confirmare conſequentiam: Imperitum vulgus Chriſtianorum non omninò indoctum eſt, quia ab incunte ætate Chriſtum didicit: eſt etiam ſumma humilitate, quia Chriſti verbo ſe omnes ſubiiciunt: quæ demum ſumma humilitas eſt. Reſpondeo, In vulgo veſtro humilitatem deſiderari: procul abeſt à ſumma humilitate, qui ſe vniuerſi Orbis iudicio anteponit. Quis veſtrum non ſe conſtituit Iudicem, & cenſorem Patrum? quis non irridet Apoſtolicas traditiones? quis non damnat Eccleſiam Catholicam? At, inquis, ſumma eſt humilitas, Dei ſe verbo ſubiicere. Infirmus humilitatis gradus eſt, ſoli ſupremo Principi velle parere. *Humilitatis virtus habet hæc tria:* (inquit Beatus Bernardus) *Superiori ſubdi, vt ad eius æqualitatem nulla ambitione vel inuidia rapiatur: æquali non præferri, ne illicito appetitu ſuperior velle fieri videatur: minori ſubdi potius, quàm præponi.* Et alibi: *Noli te homo,*

In ſententiis.

Serm. 17. in Cant.

comparare

comparare Maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quę igitur humilitas in vobis, qui non vni, nõ aliquibus, non minoribus, non Maioribus tantùm: sed Ecclesiæ vniuersæ, Catholicis omnibus, toti Orbi præponi vultis? Sint igitur rudiores vestri prudentiores, sint scioli, sint nasutuli: at paruuli non sunt, non humiles, non demissi, non pauperes spiritu, sed turgidi, inflati, elati, ad Doctorum suorum exemplum. *Prudentiæ suæ, innititur* (ait B. Hieronymus) *qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.* In decret. dc constit. c. 5.

Obiectio quarta.

Ioannis 6. 45. Affirmat Christus ex Prophetis, *Erunt omnes docibiles Dei*, siue, vt Græcis est, θεοδίδακτοι, hoc est, *docti à Deo.* Ait namque Isaias, *Ponam vniuersos filios tuos, doctos à Domino:* & Ieremias, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Igitur non opus est plebi alio doctore, sed omnibus licebit interno Spiritus instinctu, scripturas exponere. Isai. 54. Ierem. 31.

Solutio.

Malè colligũt aduersarij. Nõ enim Prophetæ scripturarum omnium diligentiã

sine Doctore externo, à solo Deo volunt Christianis omnibus infusum iri: sed duo alia prædicunt Messiæ temporibus euentura. Alterum, quod omnes docendi sunt à Deo: hoc est, diuinitus communicandam omnibus scientiam, quod [illegible] à Christo Deo, & Patris sapientia: primò quidem, quando per se ipse Deus cum hominibus conuersatus, cæleſti doctrina, ore suo Sacrosanctomortales imbuit, & per Apostolos eorúmque successores, eadem mdũum diuina scientia collustrauit: deindè verò dum quotidie per se ipse fidei virtutem Christianis infundit. Alterũ, *quod non docebit vnusquisque proximum suum*, non quidem nihil, sed, *nosse Dominum*. Significauit enim Propheta his verbis: temporibus Christianorum tam publicam fore, & omnibus manifestam orthodoxam fidem, tam conspicuam Ecclesiam Catholicam, vt ea neminem possit fugere. Statim enim cum lacte sugendam Dei notitiam, & ipsis infantibus à parentibus instillandam. Quod totis 1500. annis vidimus in Ecclesia, per vniuersum Orbem à Catholicis egregiè præstitum esse. Voluit igitur Propheta indicare, Ecclesiam Christi non fore inuisibilem, sicut quidam docuerunt: neque vllo vnquam tempore ita supprimendam orthodoxam fidem, & ita abditam in occulto futurã, sicut his 1500. annis coguntur hæretici fateri sua dogmata in latitasse: vt ne vnum quidem homi

hominem ante sui hæresiarchæ ætatem nominare possint, qui idem prorsus in omnibus, quòd ipsi, professus fuerit.

HÆRETICVS.

Audio Libertinorum argumentũ, quod nobis ante affingi non potest, quum diuini verbi ministerium summo habeamus in pretio & honore.

COSTERVS.

Non solùm Libertinorum, sed hæreticorum omnium argumentum est: qui, quũ solam Scripturam sacram omniũ controuersiarum fidei constituant iudicẽ, & quẽlibet Christianum pro modulo suo eius interpretem, coguntur fateri, Christianos omnes à Deo doctos, nullo alio doctore ad Scripturarum intelligentiam egere. At (inquis) nos diuini verbi ministerium summo honore & pretio habemus. Sed vos Prædicãtes apud vulgus nullo pretio meremini haberi. Quãdoquidẽ literas sacras, non vt doctores, Patres, & Magistri discipulis, sed, vt Causidici vel Aduocati Iudicibus proponitis: nõne plebẽ constituis interpretationis tuæ & doctrinæ iudicẽ? Nõ igitur eã doces, sed informas Iudicẽ, & Oratorũ more, in tuã conaris pertrahere sẽtentiam: sed quia tuo permissu Iudex est, liberam sibi seruat suo sensu iudicãdi potestatem. Ne mireris igitur, si multi iudicio suo à vobis deficiant: & vos nõ vt Doctores suos, sed vt ineptos, & garrulas fabulas spernant. Memini in Germani[illegible] Prædicãtes

hæreticos à Nobilibus suis ignominioso nomine (*mein schelm*) vocari: ne tantopere honorifico ministerio tuo glorieris, à populo iudicandus.

HÆRETICVS.

Interim ne nihil nobis ex hoc loco putes esse subsidij: ita ex eo sanctius & verius sententiam nostram possumus comprobare. Qui diuinitus à Spiritu sancto de religione docti sũt, illi pro suo modulo sacras literas possũt intelligere, & interpretari: Omnes fideles, teste Christo, sunt eiusmodi: Ac propterea à iniquissimè ab omni sacrarũ literarum interpretatione à vobis excluduntur.

COSTERVS.

Falsa est propositio. Eos omnes ad Scripturarum interpretationem admittendos, qui fuerint à spiritu Sancto de religione docti. Non enim vt literas sacras interpretentur, aut legant, sunt docti à Deo: sed, vt credãt. Pueruli infuso fidei dono credunt, & docentur à Deo: his tamen nemo Scripturarum interpretationem committit.

HÆRETICVS.

Cæterùm quæ de Ecclesia visibili attexis, ea in tractatu de Ecclesia diluentur: quemadmodũ & nouitatis accusatio, antè confutata est.

COSTERVS.

Si non aliter diluentur illa, quàm ista confutata sunt, parum apud me efficies: cuius

cuius plenam conuersionem tam sollicitè queris. Affirmo ingenuè, si mihi Respub. toto Orbe nominare possis, quæ, ante Caluini aut Lutheri tui tempora, eandem per omnia vobiscum doctrinam tenuerit, & palam professa sit: ego pro vobis ero. Hanc demonstrationem declinas, quia non suppetit, quod demonstres.

Obiectio quinta.

Maiores nostri, & Ecclesiæ doctores, cum fuerint homines, erroribus obnoxij, errare potuerunt: Non igitur, quicquid illi dixerint, ex oraculo editum existimari debet.

Solutio.

Verum est, singulos homines tam doctos, quàm indoctos posse errare, & pro fidei regula accipiendum non esse, quod singuli vel dixerunt, vel scripserunt: vniuersos tamen simul errare nunquam permittet ille, qui se suæ Ecclesiæ præsto futurum promisit vsque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

HÆRETICVS.

Quòd, singulos homines tam doctos, quàm indoctos errare posse, nobis concedis, id amplectimur: & merito inde ex Inductionis natura concludimus, Ergo vniuersi simul errare possunt. Quia vniuersitas nihil aliud est, quàm singulorum congregatio.

COSTE

COSTERVS.

Doctor es, & Dialecticam nescis? Non est Inductio, sed Sophisma, huic simile: Singuli baiuli hoc onus ferre nequeunt, Ergo neque simul omnes: item: Singuli Scabini neminẽ adiudicare possunt morti: ergo neque omnes simul. Vnus florenus non facit diuitem: ergo neque mille.

HÆRETICVS.

Nec obstat Christi promissio: *Ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi*? quoniam ea (vt plurib. cap. 3. huius libri demõstratum est) non solum ad vniuersos, sed etiam ad singulos, & pios quoslibet verbi Ministros, & fideles pertinet. Ac propterea nihil ad rem facit.

COSTERVS.

Consulat lector, quid eodem capite demonstrationi tuæ responderim. Hoc tantùm hic addam (Respondentis agens partes) Christum siue ad singulos fideles, aut verbi Ministros, siue ad vniuersos, sermonem suum retuleris, Ecclesiam sponsam suam nõ excluisse. Vnde cõsequitur: quod cum Ecclesia Catholica perseueret vsque ad consummationem sæculorum: ex quo item concluditur, eandem Ecclesiam in fide errorem admittere non posse. Sicut enim Christus ab hæretico abest: (*quia sine fide impossibile est placere Deo*) ita ab vniuersa aberit Ecclesia, si errorẽ tueatur. Si ergo cum Ecclesia præsto est, ad finẽ vsq; sęculi, (c) spiritus veritatis constãtem

præsen

Hebr. 11.

Ioan. 14.

præsentiam addixit) necessum est, vt ipsa fidem Orthodoxam perpetuò teneat.

HÆRETICVS.

Deinde verò, quod vnanimẽ omnium Maiorum consensum, fidei regulam constituitis, in eo erratis plurimũ: quia ea regula incerta est, & fallax.

COSTERVS.

Maiorum consensum, hoc sensu constituimus fidei regulam: quia nobis est testis orthodoxæ fidei Catholicæ, & Christianæ doctrinæ Ecclesiæ. Quę doctrina Ecclesię, non est aliud, nisi verbum Dei: ad quod, tanquàm ad certissimam normam, collimanda sunt dogmata omnia. Si enim omnes diuersorum locorũ & ętatũ scriptores, viros sanctissimos & doctissimos Ecclesiarum Præsules, cernimus in eandem rem conuenire: (sicut omnes quasi vno ore, scribunt de Sanctorum inuocatione, reliquiarum honore, sacrificio Missæ, oratione pro defunctis, & cęteris, à Nouatoribus controuersis,) certũ nobis esse debet, eorũ sęculis eandem fidem & doctrinam in Ecclesia fuisse. Et hæc regula fallax non est, sed certissima, & constantissima, & firmissima, nimirum, verbum Dei scriptum in corde Ecclesiæ.

HÆRETICVS.

Nam vnde obsecro, vniuersalis ille Maiorum consensus cognoscetur, nisi ex veterum Episcoporum & doctorum scriptis?

COSTE

COSTERVS.

Cognoscetur ex vnanimini cõsensu Ecclesiæ. Si enim ab hac ætate nostra, per omnia sæcula ad Apostolos conscendas: eandem vbique apud Catholicos cernes doctrinam fidei, eadem sacram[illegible], eandẽ Ecclesiasticos ritus, & eandem hãc doctrinam in Patribus leges.

HÆRETICVS.

At doctores non vniuersam Ecclesiam, sed alteram tantùm partem constituunt.

COSTERVS.

Doctores, vt priuati homines, non dico alteram, sed ne millesimam quidem Ecclesiæ partem constituunt: vt scriptores, testes nobis sunt Christianæ doctrinę suorum temporum: vt doctores, nobis sunt Magistri, qui à Maioribus suis acceptam doctrinam eruditè illustrarunt, & fideliter ad nos transmiserũt: vt Episcopi & Ecclesiarum Præsules, in Oecumenicis Conciliis, tanquàm Reipubl. Christianæ capita, vniuersam Ecclesiã repræsentant, & Spiritus veritatis Christique præsentiam, & assistentiam certissimè agnoscunt.

HÆRETICVS.

Deinde verò cùm perpauci ex Maiorum infinita multitudine, fidem suam literarum monumentis tradiderint, & ex scriptis eorum bona pars iniuria temporis intercideri[illegible], id quod supereſt, dici non potest, [illegible]mè consensus vniuersus.

COSTE

COSTERVS.

Cum veterum scripta nobis testes sint doctrinæ Christianæ, quæ per Orbem vniuersum eo quoque seculis cõseruabatur, sat librorum habemus, qui nobis veterum doctrinam, & Christianorum ritus testentur. Nullum sæculum caruit doctissimis, sanctissimisque Ecclesiasticis scriptoribus, qui fidẽ suorum temporum scriptis mandarunt: sicut singula secula percurrenti ad oculũ patebit. Singulis item seculis varia diuersis locis conuenere Episcoporum Concilia, qui de negotijs fidei, & Christianorum vita multa decreuerunt. Denique historicis sua fides debetur, qui suorum & præcedentium temporum res conscripserunt. Meminisse enim hîc debes, nos in maiorum consensu non tam ob id vim ponere, quod illi sic cẽsuerunt, & docuerunt, quàm, quod scriptis suis fidem, & Christianam doctrinam Ecclesiæ sui temporis contestentur, quam ipsi cõseruarunt & promouerunt, & eandem integram ad nos transmiserunt.

HÆRETICVS.

Denique cum interdum à sacris literis, à se mutuo, & à seipsis dissentiant, (vt antè à nobis demonstratum est) regula fidei dici non possunt.

COSTERVS.

Iam dixi, Doctorum libros [illegible] esse fidei

fidei regulam, sed testes doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ: quæ non minus est regula fidei, quàm diuinæ literæ in membranis scriptæ. Vtraque enim ex ore diuino processerunt, tã quæ scripta sunt, quàm quæ non scripta: sed per manus tradita, Ecclesia ad nos, ostensis accepit, & ad nos vsque deduxit. B Vincẽtius Lerinensis ante 1200 annos, quærens, quomodo in scripturis sacris veritas à falsitate discerneretur, in tanta interpretum partim hæreticorum, partim Catholicorum diuersitate, respondet: *Vt diuinum canonem secundùm vniuersalis Ecclesiæ traditionem, & iuxta catholici dogmatis regulas interpretemur: in qua item Catholicæ, Apostolicæque Ecclesiæ* (ait) *sequamur necesse est vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quando pars contra vniuersitatem, nouitas contra vetustatem, vnius vel paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certè plurium catholicorum confessionem rebellauerit: præferamus partis corruptioni vniuersitatis integritatem, in qua eadem vniuersitate, nouitatis prophanitati, antiquitatis religionẽ, itemq; in ipsa vetustate, vnius siue pauciſſimorũ temeritati primum omnium generalia, si qua sunt, vniuersalis Cõcilij decreta proponamus, tum deinde, si id minus est, sequamur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum, quibus adiuuante Domino fideliter, sobriè, sollicitè obseruatis, non magna difficultate noxios quosque exurgentium hæreticorum deprehendemus errores.* Hactenus ex B. Vincentio. Ante docet, 1. nouitatem Cal-

B commoniterior. c. 38.

uini

uinisticam, quæ veterum omnium doctrinã euertit, explodendam. 2. In dissensione veterum interpretum, sequendam vniuersitatem: hoc est, non vnius vel paucorũ adhęrẽdum interpretationi, sed cõmuni Ecclesię, vel [illegible]. Itaq; si quã interpretationẽ Generale aliquod Concilium decreto suo confirmat, (quod à multis aduersus nouas hęreticorũ detorsiones factum est) ab illa nulla ex causa recedendum esse, sed iudicium nostrum Ecclesiæ decreto & sententiæ subiiciendum.

HÆRETICVS.

Quare ex hisce perspicuũ est, quã ineptè ex vnius doctoris sententia, vniuersi Orbis consensum communem concludas. Sic enim ais: *Cum enim lego B. Chrysostom. in Græcia, B. Hieronymum in Palestina, Ambrosium in Italia, Augustinum in Africa, Hilarium in Gallia, Orosium & Prudentium in Hispania, eodem sęculo ante 1200. annos eadẽ prorsus nobiscum sentientes populos sibi commissos pro concione docentes: dubitare non debeo eandem per omnem Ecclesiam fuisse fidem ante 1200. annos, quæ hodie etiamnum à Catholicis retinetur.*

COSTERVS.

Reuerà, doctor Hęretice, ineptus es valde. Primum enim, non ex vnius Doctoris sententia, vniuersi Orbis consensum concludo: reciraſti namque verbis meis septem doctissimos viros vnius sententiæ diuersis

in

in Prouincijs celeberrimos Scriptores. Deinde ex horum conformibus scriptis & cõcionibus, (siquidem nominati isti ferè omnes Episcopi fuerunt, & Christiani populi Doctores) demonstro eandem plebis reliquę fidem, quę à doctoribus suis, & Episcopis pendere solet. Denique ex eorum consensu doceo, omnes vbique religionẽ catholicam nostram tenuisse. Tanta enim vigilantia curabant greges suos, & fidei integritate: vt ne ad minimos errores dissimularint: An tacuisset D. Hieronym. malleus hæreticorum: An D. Augustinus, hæreticorum profligator: An B. Hilarius, hæreticorum terror: An S. Ambrosius, Imperatorum vindex: An B. Chrysostomus, imperterritus vitiorum errorumque impugnator? Quia igitur vbique eadem pastores docebant, concludo, eandem fidem nostram vbique viguisse.

HÆRETICVS.

Verùm vt omittam, Costere, quod de vestro, cum hisce Patribus in doctrina consensu falsò gloriaris.

COSTERVS.

Si falsò glorior, quare omittis? Non est exigui momenti, me in hac re mendacem conuincere: siquidẽ ab eo pendet meus ad vos transitus, hoc est, mea salus, vestro iudicio. Apostolicæ doctrinæ primùm de-

mon-

monstres corruptorem, & nouorum somniorum vestrorum antiquitatem. Doce, (quod sæpe postulaui) vbi religio vestra ab hinc 100. 200. vsq; ad 1000 annos publica professione & ritibus seruata fuerit: & ego meus debo. An parui est apud te mea salus?

HÆRETICVS.

Ex te quæro, an non septem, octo, nouem, decem diuersarum Prouinciarũ Doctores in errore aliquo possint conuenire?

COSTERVS.

Possunt vtiq;: sicut varia Concilia Africæ, Ægypti, & Syriæ, B. Cypriani errorem iurata sunt, & sicut Caluinistici doctores in Gallia, Anglia, Scotia, Hollandia, Zeelandia, Frisia, Germania, &c. eosdem profitentur errores.

HÆRETICVS.

Si concedis, vides haud dubiè, quàm perperam ex paucorum sensu, vniuersum Ecclesiæ consensum metiaris.

COSTERVS.

Non ex sensu, vel consensu plurimũ doctorum metior consensum Ecclesiæ: sed ex tranquillo & pacato consensu multorum, quem aliorum prælatorum nemo interturbauit, vel oppugnauit. Consensum multorum Episcoporum & Conciliorum Prouincialium in B. Cypriani errore statim turbauit S. Stephanus Romanus Pontifex, atque omnes ad veritatis & Catholicæ doctrinæ vitã reuocauit. Sectæ vestræ, [illegible] vete-

veterum hæreticorum, euerſę ſunt & damnatę à Concilijs & ſanctis Patribus, ſimulatque in lucem prodierunt. Tu doce quibus Concilijs, aut ſanctorum Patrum ſententijs damnata vnquam fuerint Eccleſiæ noſtræ dogmata: in quę iam nominati Patres inuenerunt, quæ vos hæretici nouis ſomnijs veſtris impugnatis. Profer exempla, quæ minaris: & non minis procacium meretricum more, ſed rebus ipſis, & veris armis pugna.

HÆRETICVS.

At, inquis, *Sicut hiſtoricis ſua debetur fides, ita multò magis his Paſtoribus atque Doctoribus.* Agnoſco, hiſtoricis ſuam deberi fidem, ſed non abſolutam: quia in multis errare potuiſſe, & erraſſe, compertum eſt, & idem antiquis illis ſcriptoribus vſu venit.

COSTERVS.

Quando omnes hiſtorici, qui eodem ſeculo vixerunt, ſuorum temporum res geſtas, quarum fuerunt oculati teſtes, poſteris mandarunt: quis tam ſit inuerecundus, qui illis deroget fidem, præſertim ſi ſint & eruditione, & ſanctitate conſpicui, & in eandem rem conueniant? Prophanis Hiſtoricis fides habetur, cur non habeatur ſacris? At omnium ſeculorum omnes tum hiſtorici, tum doctores, ſummo cõſenſu, (nemine diſſentiente) teſtantur, ſuis tẽporibus, inuocatos à Catholicis vniuerſis, in Eccleſia ſanctos: incruentum Miſſæ ſacrificium à Sacerdotibus offerri Deo, pro viuis atque

de

defunctis solitū: Sãctorum reliquias summo habitas honore, &c. Cur narrantibus omnibus, non credas? Errarint hi & illi in nonnullis incertis: at omnes simul errasse, insanum est credere: & omnes historias in dubium vocare, stultissimi est capitis.

HÆRETICVS.

Quod verò veterum doctrinam ita excollis, vt nostri temporis homines neque pietate, neq; eruditione, cum ipsorum minimo conferendos esse censeas, id minimè ferendum est.

COSTERVS.

Ferre debes, velis nolis: coniunxi sanctitatem miraculis claram, cum illustri doctrina, & indefesso studio atque labore. Tu Caluinum tuum & doctorculos Caluinistas postponi Patribus indignaris: sicut Lutherani suum excucullatum Lutherum. De quo sic Spangebergius: *Hic vir Dei Luther plus prudentiæ & intellectus veriq; spiritus Dei habuit in minimo digito suo, quam omnes monachi & sacerdotes, Episcopi, Papæ, Patres, Concilia, vniuersitates ab initio Papatus, nemine excepto.* Lib. de 7. dæmo. Et Franciscus Lambertus Apostata Franciscanus:

Sceptrũ, Bulla, scholæ, regis, Papæ, Monachorum,
Vni Luthero nil sociata nocent.
Christus habet primas, habeas tibi Paule secũdas:
Ast loca post illos proxima Lutherus habet.

En quanti faciat hæresiarcham suũ impura colluuies hæreticorum? At vbi sanctitatis testimonia? vbi miracula? vbi morborũ curationes, dęmonum eiectiones, mortuorum ad vitam reuocatio? Caluinus verbo Burlæũ occidit: magnum miraculum, Ananiæ & Saphiræ morti conferendum, si non ad cõmentitiam morti suscitationem patratum esset. Lutherus eiecturus dæmonẽ, eò angustiarum, teste Frederico Staphilo, redactus fuit, vt pro dæmone, intestinorũ suorum excrementa ferè expresserit. Caluino inusta stigmata, sanctitatis fuerunt testimonium, & Luthero, abdomen vino & venere crassum.

Act. 5.

HÆRETICVS.

Nam quamuis nostræ tenuitatis conscij, id de nobis meritò possimus ac debeamus fateri: de multis tamen id sine magna in Deum ingratitudine, & in homines iniuria, dici non potest.

COSTERVS.

Multi isti, vel nostri sunt, vel vestri: hoc est, vel Catholici, vel hæretici. Nostri omnes sine vlla in Deum ingratitudine, vel in homines iniuria, sũma veneratione admirantur sãctissimorum veterum Patrum pietatem, quãtam ex eis nullus diuino miraculorũ testimonio videtur consequutus eruditionem in se, aliisq; multò agnoscunt

in se

inferiorem: vt qui ab ipsis illam, tanquàm à Magistris, acceperint: & eò quisque doctior sit, quò plures libros Maiorum euolverit, & assecutus fuerit. Nam præter ea, quæ scriptis ediderunt, recondita illis fuit sublimis sapientia: cuius eorum libri nobis, tanquam scintillæ, indicium faciunt. 2. Timoth. 3. Vestros autem, quis sanctos dicat? qui vt sacrilegi, perduelles, raptores, cupidi, elati, superbi, blasphemi, incontinentes, immites, proditores, proterui, cælum terræ miscetis: Reges ditionibus priuatis, Ecclesias diripitis, Monasteria diruitis, & denique, (vt ad oculum patet) omnia sacra pessundatis. Scientiam, aut sapientiam veram, quis hæreticis tribuat? vtpote qui falsas conclusiones ex falsis propositionibus colligitis. Caluinistarum sapientia est, Romanum Pontificem ipsissimum esse Antichristum; in Eucharistia merum esse pistorium panem: Sanctos necdum contemplari vultum Dei, sed nescio quibus adhuc latebris concludi: neque ipsam Dei matrem nos precibus suis adiuuare posse: in his aliisque id genus, cum tota Caluinisticorum Magistrorum sapientia consistat, quis iudicet illos sapientes: & non errones, hæreticos, & pseudopropheras? Quænam illis irrogatur iniuria, si minimo sanctorum doctorum Patrum posthabeantur? Disce, nullam veram, extra Catholicam Ecclesiam, reperiri sapientiam: neque eum quicquam sapere, qui cum Ecclesia non sapit.

HÆRETICVS.

Quamuis enim Patres antiqui sua habuerint ad eruditionem subsidia: duobus tamen maximè necessariis, ad solidiorem sacrarum literarum notitiam comparandam adiumentis, librorum copia, & linguarum doctoribus caruerunt.

COSTERVS.

Quod ad copiam librorum attinet, dicam duo: *Vnum*, Primis illis Patribus Ecclesiæ doctoribus tantâ, atq; nobis, librorum copia non fuisse opus: vt qui vniuersam Christianam doctrinam, non ita nuper ab Apostolis acceptam, recenti adhuc memoria tenebant: succrescentibus autem hæresibus, præsertim quarto seculo, post Gentilium persecutiones, confirmãda erat orthodoxa fides scriptis doctorum: ne pro rectis dogmatibus, hæreticorum errores instillarentur: atque vt Maiorum suorum fides posteros non lateret. *Alterum*, Non defuisse etiam tunc doctorum virorum libros, qui Ecclesiæ doctrinam sua eruditione illustrarunt: quorum non pauci iniuria temporum interciderunt: nonnulli tamen ex omni seculo ad nos venerunt. Sanctus Dionysius Areopagita refert à se scriptos libros diuinorum hymnorum, de Symbolica Theologia, de intelligibilibus & sensibilibus, de legali sacerdotio, de anima, de iusto atque iudicio, hypotyposeon

Theo

Cæleſt. hier. c. 7. 15. Eccleſ. Hier. cap. 3. De diuin. nomin. c. 2. 4. 11.

Theologicarum, & Theologicarum institutionum. Ait etiam Beatum Hierotheum (quem suum in diuinis literis institutorem nominat) de Theologicis elementis, & de diuinis hymnis scripsisse. Recitat quoque Beati Ptolomæi, de sacra Theologia, & Euangelio, elegantem sententiam. Clemens Alexandrinus varios citat veterum libros, qui nobis desunt: vt & Eusebius & Beatus Hieronymus in scriptorum Ecclesiasticorum catalogo: aliique permulti. Non est igitur, quod nostram ex recentiorum librorum copia sapientiam, illorũ doctrinæ præferamus. Erant (fateor) cariores libri, sed non deerant ampliſſimæ bibliothecæ, neque facultates Ecclesiarum necessariis & vtilibus comparandis. Ibid. ca. 2. 3.

HÆRETICVS.

Deinde quàm pauci ex Latinis Patribus vllam Græcæ linguæ notitiam habuerunt? quàm rari ex omnibus Patribus Hebrææ linguæ fuerunt periti? Atque hinc factum est, vt à genuina Spiritus sancti sententia longius, præsertim in veteri Testamento, sæpius aberrarint.

COSTERVS.

Respõdeo. 1. Septuaginta seniores, ab Eleazaro Pontifice ad Ptolomæũ Philadelphum Hierosolymis in Ægyptum missos, tanta fide vniuersam Hebraicã scripturam in Græcã linguam transtulisse [illegible] vnium

Iudæorum, qui translationem audiebant, iudicio, summa esset Græcæ versionis cum Hebraica veritate consensio. Hoc testatur Aristeas, vir doctus, alter Legatorum ad prædictum Pontificem Eleazarum à Rege missus. 2. Hac interpretatione sanctos Apostolos & Euangelistas, quando Græcè scribebant, vti consueuisse: eámque populis Christianis tanquàm veram, & ad tempora vsque sua incorruptam tradidisse. 3. Primis illis Ecclesiæ temporibus Græcã linguam Romano orbi communem fuisse: qualis est nunc Occidenti, lingua Latina: & nobis Belgis, lingua Gallica. Vnde etiam ethnici appellati sunt græci, vt eos B. Paulus vocat, qui Romanis Græcè scripsit, cum posset latinè: & nõ pauci ex Græcia transierunt in Galliam: vt B. Dionysius Areopagita cũ comitibus, B. Irenæus Episcopus Lugdunensis, S. Martialis Episcopus Lemouicensis, S. Ægidius Athenienſis, B. Crescẽs, quem Apostolus affirmat abiisse in Galatiam, cuius loco B. Epiphanius contendit legendum esse, Galliam: quia Moguntiæ primus Christum prædicauit, vt catalogus Episcoporum Moguntinorum testatur. Hinc factum est, quod primi illi Occidentis Episcopi Græcè nouerint, neque Hebraicis libris eguerint: nobisq; quibus maior est addiscendæ Hebraicæ commoditas, in sacrarum literarũ notitia non cesserint inferiores. 4. Sanctos Apostolos eadem, qui illis à Christo apertus fuerat.

Ad Philocratem fratrem, de 72. interpret.

Rom. 1.

2. Timoth. 4.

Epiph. lib. 1.

Luc. 24.

fuerat, sacrarum literarum sensum successoribus suis tradidisse: nominatimque Romanæ Ecclesiæ, cui (vt nuper ex Tertulliano diximus) *Vniuersam doctrinam cum sanguine suo profuderunt.* Ideóque in his, quæ fidei sunt, nunquam ab ea Ecclesia erratum est, neque in scripturarum interpretatione, neque in doctrina religionis aut morum. Si Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiarum omnium magistræ & matri (sicut antiqui Canones loquuntur) totam suam doctrinam profuderunt Apostoli, quis se, vel alium ausit cum eius sapientia conferre: nisi hæreticus, qui se non veretur vniuerso Christiano Orbi præferre? Hic igitur sensus, & donum Spiritus sancti Scripturas interpretandi, in eadem Ecclesia perdurat, & in omnes eos transit tum Episcopos, tũ Doctores, qui ab huius matris vberibus Catholicam doctrinam suguntiuxta vaticinium Isaiæ: *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Si qui, sciolorum more, suum sensum sequuti, in errores lapsi fuerunt: non Ecclesiæ, neque Scripturæ imputari debet: sed eorum temeritati. 5. Post Apostolorum tempora, in Gentilium persecutionum perturbatione fuisse 72. seniorum versionem non parum corruptam: partim Iudæorum malitia, vt quæritur B. Iustinus: partim ab Ethnicis, qui sacros Codices omnes de medio tollere satagebant: partim ab hæreticis, qui (vt Patres queruntur) multa in Scripturis de-

De præscription. hær.

Isaiæ 60.

Dialogo cum Tryphone.

prauabant: partim ab indoctis scriptoribus, qui ad marginem notatas Theodotionis mutationes in textum transtulerunt. At, (quæ Dei est bonitas) in his quæ mysteria fidei attingunt, nullus error irrepsit. Ac proinde, quicunque versionem illam, etiam corruptam, olim sincera fide explicuerunt, nihil vitij ad doctrinam Catholicam attulerunt. 6. Hæreticum consultò nihil de vitæ sanctimonia, quam ego cum doctrina cõiunxeram, loqui: sic enim scripseram in Enchiridio: *Secundò, quod viri sanctitate conspicui, miraculis clari, doctrina illustres, studio laboréque indefessi, minus existimandi sunt errasse, quàm nos: noui homines, qui neque pietate, neque eruditione cum ipsorum minimo sumus conferendi. Nec enim credibile est, viros huiusmodi, præsertim in rebus, quæ fidem attingunt, à Deo sic destitutos: vt ipsi errarint, & concionibus doctrináque sua in errorem alios induxerint.* Non sola librorum lectio, vel notitia sapientem facit: sed vitæ sanctitas, cum eruditione. 7. Veteribus Doctoribus non defuisse sua ad eximiam doctrinam subsidia: quibus cum multi Catholici, tum maximè hæretici Magistri, destituuntur. Nam primum Angelica puritate castimoniam seruabant: ideóque in illos conueniebat, quod Christus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Deinde paupertate sua contenti, vel communem vitam sine peculio ducebant, vel eleemosynis victitabant, nulla

Matth. 5.

tempo

temporalium cura distracti. Præterea, summa sobrietate corpus macerabant, vt ingenium acuerent: non ignari, quod *pinguis venter non gignat tenuem sensum*, vt Beatus Hieronymus loquitur. Denique diuinis meditationibus & precibus dediti, magnam dierum partem, & noctes insomnes in orationibus ducebant. Ideóque ad diuinos afflatus aptissimi, scripturarum sacrarum mentem liberius rimabantur, sincerius aspiciebant, & sancti Spiritus instinctus purius hauriebant. Nulli etenim plenius, vel copiosius Christianam doctrinam illustrarunt, eáque plures populos ad Christi fidem adduxerunt: quàm sancti, continentes, pauperes & docti Monachi: quibus vtraque Germania, aliæque non paucæ Prouinciæ, suam conuersionem acceptam ferunt. Tu nunc, Doctor Hæretice, ista studiorum auxilia in tuis Doctoribus & Prædicantibus quære. 1. Vxor si desit, violatur Apostoli præceptum: *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse.* Voluptas omnis cæcitatem mentis inducit: siue licita sacro coniugio, siue illicita thoro meretricio. 2. Familia alenda, liberi educandi, quietem tollunt, tempus furantur & curis torquent. 3. Ieiuniorum Ecclesiasticorum osores, sacræ Quadragesimæ (quæ Dei imitationem habet, vt ait Beatus Ignatius) violatores, qui nullo (vt aiunt) coinquinantur vllo tempore, quod in os ipsorum dirur:

Ad Nepot. de vita Clericorum.

1. Timoth. 3.

Epist. 7.

qua sobrietate attollunt ex terris mentem in Cælum? Denique meditationes vestræ sunt, (vt superius vidimus) ex Scripturis Apostolicas traditiones, & Ecclesiæ dogmata examinare, & vestro iudicio minus congrua reprobare & reiicere. Hoc enim dum permittis, pro suo cuique modulo, tuis idiotis: quid non agant Rabbini Synagogæ vestræ?

HÆRETICVS.

Nec mirum est, aut incredibile, (vt opinaris) Patres in nonnullis, etiam quæ fidem attingunt, interdum aberrasse: & doctrina sua alios in errorem induxisse: quia id Origenis, Cypriani, & multorum aliorum exemplis compertum est.

COSTERVS.

Nunquam affirmaui, Patres omnes ab erroribus in negotiis fidei immunes fuisse. Sed vnum dixi semper, non simul omnes in eundem errorem conuenisse: cui nunc alterum addo: Eorum neminem in his, quæ ad fidem pertinent, errasse: quando Romanæ Ecclesiæ doctrinam tuebantur & retinebant. Tu profer vnum, si potes: Errauit Origenes, fateor: sed vt hæreticus, à Demetrio Alexandrino Patriarcha, & aliis Episcopis damnatus; vt Beatus Hieronymus testatur. Errauit & Tertullianus, ad Montani hæresim à muliercula seductus, & odio Romani Cleri

Lib. 1. contra Ruffin. Tertull. lib. de anima.

Cleri stimulatus. Hos, similesque in suo sẽsu pertinaces Ecclesia vobiscum, vt hæreticos damnat. B. Cyprianum martyrẽ qui authoritate Concilij Africani, ab Agrippino Carthaginẽsi Episcopo celebrati, motus, errorem de rebaptizandis hæreticis vehementius propugnabat; suscipimus & veneramur: tum quòd pertinacia non scinderit Ecclesiam, sed in eius charitate permanserit, nunquam ab aliquo catholico Præsule communione priuatus: tum quod (vt B. Augustinus sperabat) tandem veritatem agnouerit: tum quòd quicquid ab ipso in B. Stephanum Romanum Pontificem (qui eum pro Sedis suæ merito & officio monuerat) peccatum fuit, falx passionis demessuerit. S. Eutychius Constãtinopolitanus Patriarcha, errore de mortuorũ resurrectione infectus, B. Gregorij, tunc Pelagij 2. Romani Pontificis apud Tiberium Imperatorem Legati, institutione, sententiam mutauit: sicut ipsemet Beatus Gregorius rem gestam describit.

D. Hieron. de script. eccles.

Lib. 2. contr. Donatist. c. 4 & Epist. 48. ad Vincentiũ.

Lib. 14. Moral. c. 31, 32.

HÆRETICVS.

Quod verò obiicis, *Eos, qui ante annos 1200. ad Ecclesiæ gubernacula sederunt, ab Apostolorum temporibus solis 300. annis abfuerint, eorum doctrinam, tanquàm viciniores, longè melius cognouisse, quàm nostri temporis homines*: Illud minimè concedimus. Nam eadem habemus instrumenta, quæ illi: sacras

nimirum literas, & subsidia (vt modo ostendi) longè maiora.

COSTERVS.

De subsidiis aliis modò egimus. Vicinitas sanè vt loci, ita & temporis plus fidei ad traditionis notitiam facit, quàm distantia: hoc si negas, sine ratione cum experientia pugnas. Illis igitur sanctis Patribus, qui solis trecentis annis ab Apostolorũ sæculo distabant, vt B. Athanasio, Basilio, Naziãzeno, Chrysostomo, Hieronymo, Epiphanio, Ambrosio, Augustino, &c. sanctosque Martyres inuocabant, eorum reliquias colebant, Sacrificium Missæ ad altare pro viuis atque defunctis celebrabant, aliosque ritus nostros obseruabant, quos ab Apostolis se per Maiorum suorũ manus accepisse affirmabant: nonne maior est habenda fides, quã vobis Nouatoribus, qui post 1500 annos hos ritus, tanquàm humana figmenta reiicitis? Quæ ante 300 annos sunt gesta, veluti institutio Ordinum mendicantium, vita, moresque Sanctorum Francisci, Dominici, Thomæ Aquinatis, &c. variorum hæreticorum errores & schimata: vt, Albigensium, Vvaldensium, Flagellantium, &c. bella, seditiones, aliáque id genus: nobis, ex Maiorum recentiori memoria & narratione, atque ex variorum scriptis, qui literis ea mandauerũt, magis comperta sunt, quàm posteris nostris, ad quos hi libri non pertingent

tingent. Quot sunt enim scripta, quæ post primam editionem intercidunt; & tamen vno vel altero sæculo perseuerant? Ita prædicti Patres tertij & quarti sæculi à nato Domino, partim ex relatione Maiorum, partim ex priorum temporum scriptoribus (quorum libris nos caremus) rectius ea nouerant, quæ ab Apostolis tradita & Ecclesiæ commissa fuerant.

HÆRETICVS.

Nam quàm misere Maiores illi decepti fuerint, qui ex traditionibus hominũ, Apostolorum doctrinam cognoscere studuerunt, ex Papiæ, Irenei, & aliorum antiquissimorum Patrum erroribus, demonstrat Eusebius. Histor. Eccl. lib. 3. c. 33.

COSTERVS.

Papias vir sanctus, simplicitate erravit: (erat enim homo ingenij pertenuis, ait Eusebius facilius quam conueniebat, credens quorumuis narrationi: fefellitabatur enim ab vno quolibet, qui cum Apostolis conuersatus fuerat, eorum dicta factáque: & singulis fidem adhibebat. Vnde lapsus est in errorem millenariorum: *existimans Christi regnum post vniuersæ carnis a mortuis resurrectionem, mille annos humano & corporeo more, in terra hac cotinuatum, & stabilitum fore.* Quem errorem potissimum hausit ex Beati Ioannis Apocalypsi, perperam à se, aliisque intellecta; cuius errorem [illegible] viri

autctoritatem) secuti fuerũt Iustinus, Irenæus, & plerique alij, vt ex eorũ falsa opinione discamus, non quorumuis dicta pro traditione Apostolica, aut Christiana doctrina suscipere, sed ea tantùm, quæ nobis vniuersa commendat Ecclesia. Hi igitur Patres non ex veris Apostolicis traditionibus lapsi sunt, sed ex nimia, faciliq; credulitate: fierique potuit, vt B. Papias inter alios, etiam nonnullos hæreticos cõsuluerit: & ignorans, eis, tanquàm veris catholicis, fidem præbuerit. Docens Christianos, non omni spiritui credere, & vobis nouis hominibus aures non dare, sed Catholicæ Ecclesiæ: in qua spiritus veritatis incorruptam conseruat omnem veritatem.

HÆRETICVS.

Denique quòd Patres antiquos, *Iudices incorruptos* vocas, agnosco lubens: sed ea conditione, vt ab iis si cubi errarint, ad Dei Verbum, tanquam summũ iudicem, liceat prouocare.

COSTERVS.

Et quid si vos in diuini verbi explicatione erretis? An non perinde homines estis, atque prædicti Patres, Papias, & Irenæus, qui ex erronea Apocalypseos interpretatione errorem acceperunt: textus nõ perficit Scripturam, sed sensus: neque scriptura est iudex, sed iudicis lex: ad quam Christianorum supremus iudex Ecclesia, sententiarum rationem intelligit & sumit.

HÆRE

HÆRETICVS.

Quam viâ non solùm faciũt, sed etiam præscribũt. *Neque enim* (inquit Augustinus) *disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere, si fortè inueniremus quod aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab alijs intellecto, vel à nobis. Talis ego sum in scripturis aliorum, tales vol, esse intellectores meorum.* Epist. 111. Fortunat.

COSTERVS.

Præclarè omnia Beatus Augustinus: sed inde quid efficis? *Nullius Doctoris, Episcopi, veteris aut recentioris Patris scripta, inter canonicas scripturas habere debemus.* Esto: quis ea inter illas habet? *Licet nobis, salua honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere si aliter senserint, quàm veritas habet.* Admitto: conclude. Ergo reprobanda sunt Conciliorum Generalium decreta, & Apostolicæ traditiones. Consequentiam nego: tũ quia traditiones illæ diuinę sunt, & non humanæ; tum quòd neque in illis, neque in Conciliorum decretis, quicquã inuenies, quàm quod veritas habet. At (inquis) addit, *diuino adiutorio vel ab alijs intellecto, vel à nobis*: Itaque si ego [illegible] ve-

ritas

ritatem quid in illis deprehendam, respuere licebit. Dicam, non diuino adiutorio, sed diabolico mendacio, te falsitatem in veritate deprehendere. Sicut stultis falsa sunt vera, ita vobis hæreticis, mendaciũ est Dei verbũ, & verbũ Dei est mẽdacium. Corrupti estis Iudices veritatis: quam solam retinet Ecclesia columna, & firmamẽtum veritatis.

CIRCA CAPVT IX.

De numero Sacrorum librorum.

DIXI in Enchiridio, à plerisque hæreticis multos libros sacros de numero canonis Ecclesiastici expunctos: quod malum ne Orbi eueniret, Deum in mentibus Ecclesiæ Sacrorum librorum humerum inscripsisse. Ecclesia quippe est iudex Catalogi istius, sicut & interpretationis Scripturarum. Atque Concilium 4. Carthaginense, Florentinum, & Tridentinum.

HÆRETICVS.

A Thomas de Vio Caietanus, Cardinalis S. Sixti, non solum de Epistolæ Iacobi authoritate dubitauit; sed etiam secundam Petri non esse ipsius, &c. mirandum ergo, te festucam in oculis Lutheri adeò ostentare, & trabem in oculis Cardinalis tui, silentio præterire.

COSTE

COSTERVS.

Caietanus nimia libertate abusus, nonnullis erroribus doctrinam suam cõtaminauit: non tamen cum tuo magno Lutheро conferendus. Hic enim Ecclesiæ vnionem scidit: à Præsulibus Ecclesiæ, adeoque à Romano Pontifice admonitus, correptus, & instructus, in errore pertinaci voluntate perstitit, denique ab Ecclesia resectus, &, vt hæreticus infamis, de cuius resipiscentia spes nulla reliqua erat, damnatus, innumerarum hæresum, tam quas sui sectatores retinent, quam quas Caluinistæ, Anabaptistæ, aliique similis fæcis Nouatores ex ipso hauserunt, auctor, fõs & origo fuit. Caietanus iudicio suo plus æquo fisus, humana fragilitate in plerisque à veritate aberrans, nunquàm ab Ecclesia desciuit, schisma non fecit, scripta omnia sua Apostolicæ Sedis iudicio submisit, nunquam ab ea pro pertinaci damnatus. Hæreticum autem facit, non error, sed pertinacia.

HÆRETICVS.

Nõ à solo Ecclesię iudicio, quod mutabile est, pẽdere nos decet, sed rationes item, quib⁹ ea nititur, perpendendæ, & libri de quib⁹ dubitatur legẽdi, ac diligẽter cũ reliquis exploratæ fidei scripturis cõferendi sunt, & antiquę Ecclesię testimonia cõiungẽda, vt veritas illustretur. Fieri enim potest, vt Ecclesia in diuersas partes [illegible] acta,

Cum

contrarium errore quodam humano sentiat: quemadmodũ Hieronymi ætate contigisse constat. Nam epistola ad Hebræos, à Græci sermonis Ecclesiis, inter canonicas scripturas recepta erat: Apocalypsis verò reiecta: Latina verò Ecclesia, in vtroque contrarium sentiebat.

COSTERVS.

Dicam septem: *Primum*, insignem esse calumniam, & sacrilegam vocem, quod Ecclesiæ iudicium mutabile sit. Quod semel spiritu veritatis, (qui ab ea nunquam separatur) in fidei negotio constituit, hoc vt Sacrosanctum, & inuariabile cõseruat. Tu profer vel vnicum exemplum, si potes & audes, huiusmodi variationis. Hæc omnium Patrum vox semper fuit, non modo Episcoporum in Conciliis, sed ipsorũ quoque Imperatorum: *Quæ patefacta sunt, quærere: quæ perfecta sunt, retractare, aut quæ sunt definita, conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis, gratiam nõ referre, & ad interdictæ arboris cibum, improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Si quis retractat, Anathema Secundum*: In negotiis fidei perquirẽdis, & libris canonicis inuestigãdis, semel imponẽdũ esse finẽ. Si enim res istæ semper incertæ maneãt, peribit nobis veritatis & fidei regula, quod est, scriptũ verbũ Dei: dũ singuli quos probabunt libros & dogmata, recipient, si non arridebũt, reiicient. *Tertium*

Leo Papa epi. 43. 47. 51. 63. 78. S. Athanas. in Apolog. 2. Damasus ad Aurelium. Actio. 3. Cõc. Chalcedon.

tium: Horum sacrorum à non sacris libris discernendi authoritatem, non esse cuiusuis. Sicut enim non humana sapientia conscripti fuerunt: ita non nisi per illos discerni debuerunt, quos constat diuino spiritu afflatos. Hoc spiritu repletus Esdras, restituit veteris Legis scripturas per Babylonicam captiuitatem corruptas: vt ait Beatus Irenæus, easque collegit, & quæ sacræ erant, à non sacris distinxit. Apostolorum quoque munus fuit, nobis literas sacras tradere, & commendare. Priuatorum hominum spiritus incerti sunt: neque nobis, nisi diuino miraculo, constare potest, quis diuino spiritu moueatur. *Quartum.* Ad Ecclesiam Catholicam pertinere huius rei, sicut & cæterorum negotiorum fidei iudicium. Primò, quia illi certissimo addicta est à filio Dei assistentia Spiritus sancti: qui cum ea manebit in æternum, docebítque non vnam, sed omnem veritatem, & *suggeret*, inquit, *vobis omnia quæcunque dixero vobis*: hoc igitur spiritu veritatis edocta, non fallitur, neque fallit. Secundò, quia quæcunque in huiusmodi iudice necessaria sunt, ea omnia in Ecclesia reperimus. Desideras viros, in sacris literis peritos, in fidei dogmatibus eruditos, in historijs versatos, eos, si vlquàm inuenies, in Ecclesia inuenies: neque solùm per Orbẽ sparsos, sed in Œcumenicis quoque & aliis Cõciliis, ad quæ ex omnibus Christiani Orbis partibus doctissimi quique conueniunt. Illius igitur,

lib. 3. cap. 2.

Ioan. 14.

tur est, de canonicis libris statuere, eosque à non canonicis secernere. *Quintum*, Ecclesiam Catholicam ab exordio suo, vniuersam quidem Christianam doctrinam Apostolorum institutione didicisse, & accepisse: non tamen statim illam vniuersam sic promulgasse, vt nulli sine hæreseos nota liceret de quibusdam vel aliter sentire, vel dubiũ mouere, sicut, de rebaptizandis hæreticis, & de mille annis regni Christi post cõmunẽ resurrectionem constat, quos errores plerique Catholici & tenuerunt, & docuerunt. Quarum rerum veritatem Ecclesia postea, partim Concilijs Œcumenicis,)quæ ad eiusmodi conuenire solent (partim communi omnium Patrum consensu, declarauit & confirmauit: à qua confirmatione & decreto nemini catholico permissum est contrarium tueri. In horũ numero fuit Sacrorum librorum catalogus: qui tametsi vniuersus ab Ecclesia agnosceretur & probaretur, quamdiu ipsa tamen decreto suo numerum non definiuit, fas fuit Catholicis eos libros non admittere, quos videbant dubiæ fidei apud viros doctos.

Sextum, Aliquot seculis permissam à Deo hanc librorum incertitudinem: partim vt hæreticorum figmentum aduerteremus, qui volunt scripturam sacram ex seipsa cognosci, sicut doctor iste hæreticus magno labore temerè suasit, sed non persuasit. Si enim ex vi sua cognosci potest,

cur

cur tot seculis à multis repudiata est epistola ad Hebræos, Apocalypsis, & plerique alij libri, tum Veteris, tum noui Testamenti? An fortè indocti erant Hieronymus, Athanasius, alijque, qui non omnes libros pro diuinis & indubitatis admiserunt? Partim, vt in Ecclesia Dei eundem spiritum veritatis perpetuò agnoscamus & veneremur: quo spiritu ipsa diuinos libros à non diuinis secreuit. Neque cum hæreticis, existimemus Ecclesiam Christi sponsam, & domum Dei cõuentum esse solùm merorum hominum, qui humano iudicio omnia decernant: sed cœtum diuinum, cuius membra sint quidem homines, spiritus autem sanctus animæ loco eum reformet, moueat, doceat, conseruet, atque dirigat. *Septimum*, Falsum esse, distractam fuisse Ecclesiam Beati Hieronymi seculo, in patres diuersas. Licet enim plerique Latinorum non receperint epistolam ad Hebræos, nec multi ex Græcis Apocalypsin, cum ab Ecclesia Catholica definitum nõ esset: tamen semper maior pars Latinorum agnouit vtrumque librum, & pro canonico admisit. Africa ad Latinam Ecclesiam pertinebat: in qua, Carthagine 44. Episcopi conuenerunt, & omnes canonicos nostros (inter quos est epistola ad Hebræos) receperunt. Concil. 3. Canon. 47.

Circa idem tempus Beatus Innocentius Papa, ab Exuperio Tholosano Episcopo

pro

pro more Ecclesiæ de variis quæstionibus, ac nominatim de catalogo librorum sacrorum consultus, eundem nostrum illi præscribit: quem etiam B. Papa Galasius in Cõcilio 70. Episcoporum obseruati præcepit. Philastrius Italus, Episcopus Brixiensis, qui cũ B. Hieronymo & Ambrosio floruit, refert eos inter hæreticos, qui negarunt, epistolam ad Hebræos esse B. Pauli Apostoli. Vides igitur, non solùm à Græcis, sed à Latinis etiam, per Africam, Italiam & Galliã, hanc B. Pauli epistolam pro canonica habitam. Iam quòd multi Græcorum agnouerint B. Ioannis Apocalypsin, testes sunt S. Dionysius Areopagita, qui eam nominat arcanam & mysticam visionẽ dilecti Discipuli, diuinamque Domini IESV, & altissimam Theologiam. Origenes, de Ioanne qui supra pectus Domini recubuit, sic ait, *Scripsit item Apocalypsin, in qua præcipiebatur illi vt conticesceret, & septem tonitruorum voces minimè omnino scriberet*: B. Irenæus, ex Apocalypsi rationem numeri Antichristi colligit: eandem agnouit Sanctus Iustinus martyr esse Beati Ioannis Apostoli: Sanctus Athanasius numerat eandem inter libros Noui testamenti, & eâdem vtitur contra Arianos: In Concilio Ancyrano, quod in Galatia celebratum est, sub annum Domini trecentesimum decimum tertium, sic legimus, *Ioannes Apostolus Apocalypsis Sacramentum in spiritu*, non in corpore vidit.

Epist. 3. cap. 7. Tom. 1. Conc. post eius epi. Hæres. 41.

Cap. 7. Eccle. hier. parte 3. Apud Euseb. hist. li. 6. c. 19.

Apoc. 10.

Lib. 5.

Euseb. 4. c. 17. in Synops. Orat. 2.

Cap. vlt.

Eu

Eusebius refert, Theophilum Antiochenũ Episcopum aduersus Hermogenis hæresim testimonio Apocalypseos vsum & Melitonem Sardiorum Episcopum de Apocalypsi Ioannis scripsisse Omitto Epiphanium qui ex Apocalypsi explicat illud, *Ego sum Alpha & Omega*: item B. Chrysostomum & Auctorem operis imperfecti in Matthęum, qui varijs locis Apocalypsin citant. Hi sufficiunt, ad te docẽdum tam Græcos, quàm Latinos, sine distractione & epistolam B. Pauli ad Hebræos, & Apocalypsin agnouisse & admisisse.

Lib. 4. hist. cap. 23.

Cap. 25. Hæres. 62. Apocal. 22. Homil. 1. in psal. 9. hom. 1. ex variis in Matth. locis. Oper. imperfect. homi. 13. 25.

HÆRETICVS.

De qua re audiatur Hieronymus: *Quòd si eam* epistolam ad Hebræos, *Latinorum consuetudo non recepit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalipsin Ioannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos vtraque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque vtrumque vtantur testimonijs, non vs interdum de apocryphis facere solent, quippè qui & Gentilium litterarum vtantur exemplis: sed quasi canonicis & Ecclesiasticis.*

Tom. 3. ep. ad Dardanum.

COSTERVS.

Notabis, hîc 1. Veteres tam Græcos, quàm Lati-

Latinos, vtriusque testimonijs quasi canonicis vsos fuisse. Vnde fit, quod recentiores non exempla Maiorum, sed arbitrium suũ secuti sint, & quasi incertam reddiderint Scripturam, vt meritò Carthaginense Concilium summi Pontificis authoritate certum numerum definire debuerit, ad libertatem hanc censendi Christianis adimendam. *Nota* 2. Fieri non posse, vt B. Hieronymus, dicens, Latinorum consuetudinem nõ recipere inter canonicas Scripturas Epistolam B. Pauli ad Hebræos, ex mente sua locutus sit: cum nemo fuerit sua tempestate Patrum, qui non eam inter diuinas literas habuerit: sicut prętęr alios superius allatos, ex D. Ambrosio patet: qui ex eadem aduersus Nouatianos disputat, & frequentissimè eius vtitur testimonio: sicut etiam S. Hilarius, S. Gaudentius, Alcimus Auitus Episcopus Viennensis in Gallia: & cæteri omnes, eam nõ tarò citarunt. Præterea non ignorabat B. Hieronymus, in Nicena Synodo canonem Scripturarum, non dubiarum, sed ab omnibus admissarum, esse decretum (vt ipsemet fatetur:) quem D. Athanasius, qui Concilio adfuit, in Synopsi refert, in quo canone cum sit epistola ad Hebręos, nemo Latinorũ tam impius esse poterat, vt de ea dubium mouere auderet. Itaque sicut illi familiare est, in multis ex sententia aliorum loqui: ita hic referre videtur Eusebij Cæsariensis verba, qui de Caio viro eloquentissimo Romæ sub Zepherino Pontifice agens, scribens, sic addit: *Epistolam ad Hebræos*

Lib. 2. de Pœnit. c. 2.

Hist. li. 6. c. 14.

reli

reliquis non annumerat, quæ etiam nunc apud Latinos putatur non esse Apostoli Pauli. Cum etiam Græci multi B. Ioannis Apocalypsin in canonem admiserint, sicut paulò ante docuimus, non de omnibus loqui potuit B. Hieronymus, sed de nonnullis, qui non tam eius fidem negarint, quàm in catalogis suis prætermiserint, nec dum Ecclesiæ authoritate coacti, vt Concilium Laodicenum, & D. Gregorius Nazianzenus, & plerique alij.

HÆRETICVS.

Deinde verò eum numerum librorum Sacrorum commendas, qui à Concilijs vestris, Florentino, ante annos centu & quinquaginta, & Tridentino, nostra ætate definiti sunt. Verùm cum ea Concilia nec antiquitate, nec forma, nec Episcoporum ratione, vllam apud Orthodoxos mereantur authoritatem: alijs opus est maioris momenti testimonijs, ad Conciliorum illorum sententiam confirmandam.

COSTERVS.

Tribus ex causis moueri Orthodoxos suos affirmat hæreticus, cur Conciliorum Florentini & Tridentini authoritas apud ipsos fidē non mereatur. Cacodoxos suos Caluinistas intelligit: nam apud veros orthodoxos Catholicos, summā authoritatem habent omnia concilia, sacrosanctis Euangelijs non inferiorē, iuxta B. [illegible] ij

receptam ab Ecclesia sententiam: quia neque antiquitate, neque forma, neque Episcoporum ratione valent, Singula discussionem merentur.

Nam 1. Ab antiquitate neque Concilia authoritatem accipiunt, neque Ecclesia, nisi ad conuincendos hæreticos: sed à Spiritu sancto & à præsentia Christi, quorum certissima assistentia vtrosque in fidei & morum doctrina, ab omni errore conseruat. Beatus Augustinus à celeberrimis Conciliis primis, Niceno, & Constantinopolitano, non abfuit centũ annis, vt neque B. Gregorius à Chalcedonensi, aut quinto Constantinopolitano, quod ipsius seculo cõuenit: illis tamen ille summam authoritatem defert, & istis iste parem cũ quatuor Euangeliis, sicut superiùs vidimus & latè tractauimus. Distamus nunc à Synodo Florentina annis cẽtum sexaginta quatuor, à Tridentina annis 40: cur igitur minùs fidei dabimus istis, quàm prædicti Patres suo tempore recentioribus? Sicut igitur verbum Dei, non ideo verius est, quia antiquius: ita Conciliorũ vel Ecclesiæ decreta, non ideo ex se maioris certitudinis sunt & momenti quia vetustiora, nisi ad hæreticorum nouitatem exturbandam, qui nuper exorta sua somnia atque mendacia, non vltra suos hæresiarchas ascendendo traducere possunt, cum nos 1500. annorum præscriptionem incorruptæ fidei nostræ inducamus. 2. In forma, quid defuit

Vtrum

Vtrumque Romani Pontificis iussu, more veterum Conciliorum, conuocatum est: neque Imperatorum defuit voluntas. Memini Apostolicæ Sedis Legatum, & Imperatoris Oratorem, non ad Episcopos modò, sed ad Principes etiam missos, denunciasse Œcumenici Concilij Tridentini ad certam diem celebrationem, atque ad id omnes, quanta poterãt instantia, cõuocasse. In Concilio, inuocata gratia Spiritus sancti: Patres suo quisque ordine cõsederunt: Sacra Biblia allata, tanquàm lex diuina & norma fidei nunquam à consessu abfuerint. In vtroque Concilio disputatum est acriter ex Scripturis, quæstiones omnes controuersæ diligenter agitatæ: & tametsi aduersariorum nemo prodierit, nõ defuerunt tamen ex Catholicis doctissimi viri, qui eorum omnes rationes ex Scripturis & Patribus in mediũ produxerunt, maioríque vi & efficacia eas, quàm Protestantium vllus posset, agitarunt & vrserũt. Auditis, expensis, examinatis, & ponderatis ad Dei verbum, omnium argumentorũ momentis: tandem subscriptione omnium Patrum, & magna cunctorum consensione, stabilita sunt decreta. Demum accessit Romani Pontificis confirmatio: sine qua nullum vnquam Concilium firmum fuit: & qua omnia Concilia Œcumenica certam & indubitatam fidem apud omnes Christianos obtinuerunt, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedo-

nense, & quotquot legitima hactenus in Ecclesia extiterunt: quemadmodum de singulis procliue est ad oculum demonstrare. Quid in ratione Episcoporum displiceat hæreticis? In Florentino adfuerunt Iosephus Constantinopolitanus Patriarcha, cum Imperatore Ioanne Palæologo, cæterorúmque Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani vicariis, multísque Episcopis, Græcis, Ægyptiis, Syris: Latinorum aderat magna multitudo: Præsedit Concilio Romanus Pontifex Eugenius IV. Accessêre demum Armenorum Legati, qui à Sacro Concilio de formula fidei probè instructi, cum cæteris omnibus in Catholicam doctrinam conuenerunt magnóque totius Ecclesiæ plausu, firmata est vnio Latinorum, Græcorũ, Armenorum, & reliquorum fidelium. Tridentinum celebrarunt 260. Episcopi, præter innumeros Abbates, Prælatos, Doctores, & omnium Principum Christianorum Oratores. Aberant, fateor, Græci, Ægyptij, & Syri schismatici: Attamen vocati, & vel suo vitio, vel metu Turcæ domi detenti: sed non defuit *Abdisu* Patriarcha Armenorum: cuius duo Clerici Iosephus diaconus, & eius Collega subdiaconus, cum sub idem tempus, de Patriarchæ sui licentia, Germaniam viserent, Coloniæ me conuenerunt: vsi meo ministerio, in peccatorum suorum sacramentali confessione, & sacra Eucharistiæ sub vna specie communione.

Iam

Iam enim aliquo modo Italicam linguam didicerant. Hi ab hæreticis id loci vocati, & de patriis ritibus interrogati, palàm omnibus falli sunt, vix vllum se hic deprehendere discrimen, præter cælibatum Sacerdotum: quos apud suos asserebant coniuges esse, sed ante Ordines susceptos ducta virgine, qua defuncta castitatem seruent: alia penè omnia: vt Sacrificium Missæ pro viuis & defunctis, septem sacramenta, inuocationem Sanctorum, imaginum venerationem, monastica instituta, &c. sibi esse communia nobiscum. Quod mihi Romæ, ante annos viginti, etiam alius confirmauit eiusdem ditionis Episcopus, & item Patriarcha Antiochenus: cuius rogatu Gregorius XIII. Collegium Maronitarum & Syrorum Romæ instituit. Sed (vt ad institutum reuertar) quid minus habuere duo ista postrema Œcumenica Concilia præ cæteris antecedentibus: nisi quod desiderati sint Protestantes Lutherani, & Calumnistæ? Vocati quidem fuere, & rogati, missâque fide publica ab vniuerso Concilio inuitati: sed metum prætexuerunt, ex Ioannis Hus exemplo: Concilium (inquiebant) dicet, hæreticis non seruandam fidem: ex suo ingenio, & praxi (qui fidem, etiam iuratam, nulli seruarunt, sicut alibi docui) æstimantes viros sanctissimos & integerrimos. Hic metus sanè non eos vrgebat: sciebant, (vt in superioribus

Apol. 1. cõtra Gaspar. pag. 161.

V 2 demon-

demonstraui) nullam à Constantiensi Cõcilio violatam fidem impio Hussio: sed timor lucis eos in suis tenebricosis latebris retinuit. Magnus ille tuus Lutherus, qui à Pontifice ad Concilium generale appellarat, audito Patrum conuentu (adhuc enim superererat, sequenti demum anno 1546 ad tartara detrusus) aliam præscripsit Concilij formam, omnibus inauditam seculis: vt in eo suffragium ferrent Christiani omnes. Sciebat enim versipellis homo, id neque factum vnquam esse, neque fieri vlla ratione posse. Interim ringebatur, & instar serpentis ex antro suo sibilabat, & coaxabat in Patrum sacrum conuentum: alij etiam eius exemplo grunniebant eminus: vt, Bucerus, Svvinglius, Caluinus, Petrus Martyr, & cætera turba Apostatarum, qui ad interturbãdam sacræ Synodi quietem, Principum excitabant motus, & bellorum timores spargebant. Non enim veritatis amore ducuntur hæretici: sed fastu, ambitione, odio, inuidia, peruicacia; sicut passim veteres de suis queruntur, & nos (proh dolor) plus æquò diuturna experientia docemur.

HÆRETICVS.

Ea autem est, libros illos, qui Apocryphi vulgo appellãtur, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Machabæorum libros duos, appendices Hesteræ & Danielis, in Græcis & Latinis exemplaribus adiectas, partem esse Sacræ Scripturæ,

&

& cum reliquis fidei canonem. Quam rationem meritò orthodoxi aduersantur?

COSTERVS.

Nemo orthodoxus aduersatur: verùm orthodoxi Caluinistæ, cum cætera colluuie hæreticorum. Sed rationes tuas expendamus.

HÆRETICVS.

Nam quibus obsecro rationibus, aut antiquæ Ecclesiæ testimoniis, causam defendes?

COSTERVS.

Sancti *a* Cyprianus, *b* Hilarius, *c* Clemes Alexandrinus, *d* Ambrosius, *e* Augustinus, &c. *Tobiæ* meminerunt. *Iudith*, *f* Clemens prædictus, *g* Ambrosius, *h* Augustinus. De *Sapientia Salomonis*, *i* D. Cyprianus, *k* Gregorius Nazianzenus, *l* Epiphanius, *m* Ambrosius, *n* Augustinus. De *Ecclesiastico*, vide D. Cyprianum, *lib. de exhortatione martyrum cap. 9 & libris ad Quirinum*: Clementem Alexandrinum, *lib. 7. stromatum*: B. Augustinum, *cap. 15. de cura pro mortuis agenda*: S. Hildephonsum, *lib. de Virginitate S. Mariæ*. De *Baruch*, Clementem Alexandrinum, *lib. 2 pædagogi. cap. 3*. Eusebium Cæsariensem, *De demonstratione euangel. cap. 14*. Epiphanium, *hæresi 8*. D. Cyprianum, *li. 2. ad Quirinum cap. 6*. Augustinum, *lib. 18. de Ciuitate Dei ca. 33*. Gregorium Nazianzenum, *Oratione 49*. Chrysostomum, *homil. de Trinitate*. De duobus postremis capitibus [illegible] me-

a Li. ad Quirinum.
b In Psa. 129.
c Lib. 1. stromatum.
d Lib. de Tobia.
e Lib. 2. de doct. Christ.
f Li. 4. stroma.
g Lib. de Viduis.
h Lib. 18. de Ciuit. cap. 26.
i Lib. de mortalitate.
k Oratione 49.
l De mensur. & ponder.
m De obitu fratris.
n De præfect. sanctorum, cap. 14.

lib. 3. vide S. Ignatium, *epistol. ad Magnesianos*, D. Cyprianum, *de bono pudicitiæ*: Athanasium, *Orat. 2. in Arianos.* Clementem Alexandrinum, *lib.* 4. *stromatum.* Nazianzenum, *Oratione 19. de obitu patris.* Basilium *homil. 8.* Eusebium Vercellensem, *epistol. ad presbyteros.* Denique libros *Machabæorum* agnouerunt D. Cyprianus, *lib. 3. ad Quirinum*: Athanasius, *in synopsi*: Clemens Romanus, *lib. 7. Apostolicarum Constit. cap. 39.* Nazianzenus, *Oratione 20. in Machabæos*: Ambrosius, *lib. 1. offic. ca. 41.* Augustinus, *lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36.* Et denique innumeri alij: quos tum apud Bellarminum, tum apud Nicolaum Serariũ nostrum, in commentariis, quos de libris Tobiæ, Iudith, Esther, & Machabæorum nuper doctissimè conscripsit, reperies.

HÆRETICVS.

Adducis priori loco, Concilij Carthaginensis canonem 47. sed, præterquàm quod Concilia errare posse ante demonstratum est, Concilium hoc non fuit Generale, sed particulare, Augustini & paucorum Episcoporum Africanorum: ac propterea ex communi Pontificiorum iudicio, errare potuit, & reuera in eo errauit, quòd inter Salomonis libros, Sapientiam & Ecclesiasticum recensuit.

COSTERVS.

Prouincialia Concilia errare posse, fatemur:

mur: errasse omnia, negamus: nulla enim errauerunt vnquam, ad quæ Romani Pontificis confirmatio accessit. Sanè Innocentius Papa eundem statuens librorum sacrorum catalogum, hunc canonem Concilij Carthaginensis cõfirmasse videtur: sicut post ipsum sanctus Gelasius. At, inquis, manifestus est error: Sapientiã & Ecclesiasticum attribuere Salomoni. De libro Sapientiæ non est error: nisi mentitum velis eius auctorem, qui sic in eo libro Deum alloquitur: *Tu autem elegisti me Regem populo tuo, & Iudicem filiorum tuorum & filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in Ciuitate habitationis tuæ altare*, &c. Hæc quis præter Salomonem dicere potuit? Hinc Patres vetustissimi hunc librum Salomoni asscribunt. De Ecclesiastico fortè maior esset ratio dubitandi: cuius auctor est, non Salomon, sed Iesus filius Sirach, quia tamen à Patribus *a* Cyprianо, *b* Damaso, *c* Clemente Alexandrino, *d* Hildephonso, *e* Innocentio I. & plerisque aliis, nomine Salomonis citari consueuit: nihil à Patribus Carthaginensis Concilij erratum est, qui consuetum eius libri citandi & nominandi modum sequuti fuerunt. Beatus Augustinus (qui Concilio adfuit, & subscripsit) causam huius nominis Salomonis huic libro dati existimat, eloquij similitudinem cum Prouerbiis Salomonis. Nã vt Salomon à Sapientiæ cõmendatione cœpit, ita Ecclesiasticus:

a Lib. de exhortat. martyrum cap. 9. Lib. 2. ad Quirin. ca 6. 11. 35. 51.

b Epistol. 6. apud Gratianum, 11. quæstion. 3. ca. 76. Eorum qui.

c lib. 7. Stromatum.

d Cap. 5. de Virginitate & Mariæ.

e Epistol. 3. lib. de cura pro mort. ca. 15.

& vt in Prouerbiis ferè sunt bimembres sententiæ: ita hîc. Alij arbitrantur, (& quidem meo iudicio rectiùs) harum Ecclesiastici sententiarum non esse authorem alium à Salomone: quas tamen Iesus Sirach, apud parentes suos inuētas, in vnum volumen collegerit. Sicut de septem postremis Prouerbiorum capitibus, ista legimus: *Hæ quoque sunt parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda.* Prouerb. 25. Constat Ezechiam à Salomone 220. annis abfuisse: à quo cum sparsim in variis schedulis inuentæ essent variæ Salomonis parabolę, iussit eas in vnum volumen parabolarum transferri. Idem vsu venit Iesu Sirach, qui ex Salomonis parabolis multa à Maioribus accepisse potuit, illáque in vnum volumen collegisse: ac prętera quædam alia à recentioribus ad finem libri de laudibus celebrium virorum adiecisse. 3. Reg. 4. Constat, Salomonem tria millia parabolarum locutum, & quinque millia carminum, aliáque quæ ad naturalem Philosophiam pertinent, conscripsisse: Poëtica, & Philosophica interciderunt: moralia per viros pios conseruata, variis temporibus collecta, & in vnum librum redacta fuerunt.

HÆRETICVS.

Nam quod id Concilium cum Caranza in Trullana Synodo generali confirmatum vulgò obiicitis, inane effugium est: quia canones illius Concilij dubiæ sunt fidei.

COSTE

COSTERVS.

Romana Ecclesia induci nunquam potuit, vt Trullanos canones admitteret, tametsi multis ab Imperatore Iustiniano rogata, pressa, & tantùm non coacta. Proinde si qui priuati horũ authoritate quippiam confirmare conãtur: hoc penes ipsos sit, & Ecclesię non præiudicet. Pluris apud nos est sanctorum Pontificum Damasi & Innocẽtij authoritas: qui dum Carthaginensis Concilij catalogum Ecclesiæ præscribunt, hunc Concilij canonem non obscurè confirmant.

HÆRETICVS.

Denique quamuis Concilij huius Carthaginensis valeret authoritas, causam tamen Pontificiam nequaquam stabiliret. Nos enim de sacro canone fidei disputamus, Concilium agit de sacro canone lectionis Ecclesiasticę ad vitæ ædificationẽ: subiicitur enim: *Hoc fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone innotescat, qui à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniuersarij dies eorum celebrantur.*

COSTERVS.

Prudenter, ne dicam vafre, prætermittis hoc canonis initium: *Placuit vt præter scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Fiunt autẽ*

V 4 *canoni*

Canonicæ Scripturæ, id est, Geneſis, Exodus, cum cæteris, à Florentina & Tridentina Synodo enumeratis. Tum ſub finem adiecta ſunt verba nunc à te recitata. Vbi clarè perſpicis, idem Concilio fuiſſe, *canonicas & diuinas* ſcripturas: ideoq; enumeratos libros canonicos, eſſe etiam omnes Concilio diuinos. Si enim omnes canonici libri in Eccleſia, ſub nomine diuinarum ſcripturarum legi permittuntur, habebunt vtique etiam diuinarum ſcripturarum nomen: & hoc non falſum aut mendax: ſunt igitur reuera canonici libri etiam diuini libri, & literę ſacræ, Deiąue verbum. Notandum porrò eſt quod adiungunt: *quia à Patribus iſte accepimus in Eccleſia legenda*: nimirum, ſub diuinarum ſcripturarum nomine: vt intelligas, hunc canonem ſacrorum librorum non eſſe iſtius Concilij figmentum, ſed antiquam Maiorum traditionem. Præter has canonicas ſeu diuinas ſcripturas, permittuntur in Eccleſiis hiſtoriarum ſacrarū lectiones de paſſionibus martyrum: quas vos Nouatores ex Eccleſiis veſtris, vt fabulas, exegiſtis. Et quid ni eas explodere tis, qui contra omnē antiquitatem, & Apoſtolicam traditionem, Sanctorum merita, preces, & inuocationes reiicitis, & inconditis cachinnis ridetis? Sed Beatum Auguſtinum audiamus, qui huic Carthaginenſi Concilio cū cæteris Epiſcopis adfuit, eiuſque mentem pro[illegible]gnouit: Hic ergo ex inſtituto

hanc

hanc quæstionem tractans, Sitne liber Sapientiæ in numerum diuinarum scripturarum referendus, sic tandem concludit: *Oportet vt librum istum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum antepofuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores: qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderunt.* De Ecclesiastico, sic alibi: *Clamant Scriptura diuina. Altiora te ne quæsieris:* quæ sententia non nisi in Ecclesiastico reperitur. Idem ex libris Machabæorum tanquàm ex literis sacris, comprobat sacrificium Missæ, quod in Ecclesia pro defunctis offertur: de quibus suo loco postea. Et alibi ait, hos libros à Iudæis non recipi inter canonicos, sed ab Ecclesia. Et ex his videas, Concilium Carthaginẽse omnes libros enumeratos, in numerum diuinorum retulisse.

Lib. 2. de prædest. sanct. ca. 14.

Lib. ad Orosium. contra Priscillianistas. Eccles. 3.

Lib. de cura pro mortuis cap. 1.

Libr. 18. de Ciuitat. cap. 36. & lib. 2. contra epist. Gaudenti. cap. 23.

Commentar. in Hester. 10. Ad Chromat. & Heliodorum.

HÆRETICVS.

Cardinalis Caietanus libros Iudith, Tobiæ, & Machabæorum, inter apocryphos numerat, B. Hieronymi authoritate: ad quam vult intelligi, quæ B. Augustinus, Concilium Florẽtinum, Carthaginense, Laodicense. Innocentius & Gelasius Pontifices, de hoc canone scripserunt.

COSTERVS.

B. Hieronymus eo sæculo vixit, quo Ecclesia, tametsi prędictos libros oẽs in sacrũ canonẽ recepisset, nullo tamẽ decreto fideles ad idem sẽtiendũ adegit. Ita [illegible]it B.

ieronymo cõtra receptã ſentẽtiã, inuiolata charitate, opinionem ſuam ſequi. Nihilominus quod ad Tobiam attinet, ſic de illo libro ſcripſit Chromatio & Heliodoro: *Exigitis, vt librum Chaldæo ſermone conſcriptũ ad Latinum ſtylum traham: librum vtique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo diuinarum ſcripturarum reſecantes, his, quæ hagiographa memorant, manciparunt. Feci ſatis deſiderio veſtro, non tamen meo ſtudio. Arguunt enim nos Hebræorum ſtudia, & imputant nobis contra ſuum canonem Latinis auribus iſta transferre: ſed melius eſſe iudicans Phariſæorum diſplicere iudicio, & Epiſcoporum iuſſionibus deſeruire, inſtiti, vt potui.* Indicat diſplicuiſſe Iudæis, quod in Chriſtianorum canonem transferrentur Scripturæ, quas ipſi de ſuo canone deleſſent. De libro verò Iudith iſta habet: *Apud Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur, cuius authoritas ad roborãda illa, quæ in contentioné veniunt, minus idonea iudicatur: Chaldæo tamẽ ſermone cõſcriptus inter hiſtorias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarũ ſcripturarũ legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ.* Si cum Nicæna Synodus recipit, quis reiiciet? Si qui recentiores ſcriptores hos libros extra canonem ſtatuunt: intelligendi ſunt partim, de canone Hebræorum loqui (qui præter tres ordines ſui canonis, Legem, Prophetas, & hagiographa, cæteros omnes Apocryphos appellant libros:) partim

Præfatione ad eoſdem.

tim de duplici canone Ecclesiastico: quorum prior est illorum librorum, de quibus nulla vnquam inter catholicos mota fuit quæstio: alter eorum de quibus nonnulli dubitarunt. Nunc de causis agendum, cur Nouatores Scripturam mutilarint.

HÆRETICVS.

Primum, plerisque eorum libris nonnulla continentur, quæ à rei & sacrarum literarum veritate discrepant: vnde & pars eorum fabulæ ab Hieronymo appellantur. Primum argumentum.

COSTERVS.

Falsum assumis: nihil enim vllis canonicis libris cõtinetur, quod vel ab alio discrepet, vel fabulosum sit, nisi hæreticis, quibus ea ridicula sunt, quæ Catholica Ecclesia pro maximè seriis veneratur. At Hieronymus fabulas appellat: Esto. Non legisti apud Eusebium, ex Clemente Alexandrino: Audi fabulam, non fabulam? hoc est, narrationem non fabulosam. Nã, teste Varrone, fabula à fando dicta, significat omnem narrationem, etiam veram. Historias Susannæ & Belis, quas nomine fabularum, iam dicto sensu appellat Diuus Hieronymus, citarunt ante ipsum, vt res verè gestas & sacras historias B. Ignatius ad Magnesianos, D. Cyprianus, D. Athanasius aduersus Arianos: qui [illegible] Sy- [illegible] opsi

Lib. 3. c. 23. ex versione Ruffini.

Lib. 5. de lingua latina, Daniel. 13. & 14.

a Epist. 3. de opere & eleemos.

b Oratione 2.

noſti, hiſtoriam Suſannę primo loco conſtituit. Beatus Epiphanius in Anchorato, Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 14. & 16. & Diuus *a* Gregorius in Dialogis. Beatus Chryſoſtomus de Suſanna habet homiliam. Origenes teſtatur Eccleſiam ab ortu ſuo hanc Suſannæ hiſtoriam in conuentibus fidelium, vt ſacram & diuinam ſcripturā recitare cōſueuiſſe: quod etiamnum ſeruatur in Miſſæ ſacrificio.

Lib. 2. cap. 2. piſtol. ad ul. Afric. & tract. 31. in Ezech.

HÆRETICVS.

Deinde non à Prophetis conſcripti, nec approbati ſunt, vt oportuit.

Secūdum argumentum.

COSTERVS.

Et vnde id noſti, Doctor Hæretice? niſi quia tibi, tuiſque incogniti ſunt Auctores? Hiſtoriam Tobiæ, teſte Sixto Senenſi, ſcripſerunt ipſimet pater & filius, iuſſu Angeli, qui peractis omnibus, dixit: *Narrate omnia*, ſeu, vt Græcis eſt, *ſcribite omnia, quæ conſummata ſunt in libro.* Quæ autem poſtremo capite, de morte Iunioris Tobiæ ponuntur, illa à quopiam eius temporis addita fuerunt, ad libri concluſionem: ſicut vltima verba libri Deuteronomij. Librum Iudith, ait idem Sixtus ex Philone, conſcriptum à Ioachim ſacerdote magno, Ieſu Sacerdotis magni filio. De libro Heſter refert idem Iſidori ſententiam, qui arbitratur ab Eſdra ſcriptum, alij faciunt auctorē Mardochæum. De Sapientia Salomonis, & Eccleſiaſtico, ſuperius dictum eſt, illam eſſe Salomonis, iſtum

Lib. 1. Bibliot. ſanct.

Tob. 12.

Ibidem. 2

istum Iesu Sirach, ex sententiis tamen Salomonis. Ecce Prophetas, & viros sanctos Scriptores: vtrumque Tobiam, Ioachim sacerdotem, Esdram Mardochæum. Duorum porrò Machabæorum auctor incertus est: Rabanus posteriorē asscribit Hierosolymitanis, alij Iudę Esseno: vt vtautem sit, hoc ex Beato Petro Apostolo constat, quod libros istos, sicut & reliquas scripturas, *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Quinam autem illi fuerint, nihil ad rem facit: cum ex incerto auctore liceret pariratione, de libris Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, & Iob idem ducere argumentum. Itaque & à Prophetis conscripti sunt, & ab vniuersa Ecclesia 15. sęculis approbati: tametsi à priuatis nonnullis in dubium vocati. Paucorum dubium, non infringit vniuersitatis consensum. 2. Petr.

HÆRETICVS.

Præterea, nec lingua Prophetica, & Ecclesiæ veteris Testamenti: sed Græcè plerique fuerunt conscripti: eoque nō ad canonem fidei in Ecclesia destinati sunt. Tertium argumentum.

COSTERVS.

Et quam appellas linguam Propheticā? solúmne Hebraicam? & cur non etiam Chaldaicam: cum multis annis inter Chaldæos vixerint Israelitę? Sacra scriptura nō est linguis alligata. Spiritus sanctus, qui variis linguis apparuit, & Apostolos donauit, nullam à scriptura sua linguam [illegible] luit.

[illegible] ęque

Quædam igitur Hebraicè, quædam Chaldaicè, quædam Græcè scribi voluit, & quædam Latinè. Nam aiunt B. Marcum Romanis latinè scripsisse euangelium: quod deinde pro Ægyptiis, ad quos mittebatur, in Græcam linguam veterit: & in nouo Testamento, multa diuersarũ linguarum vocabula sunt inserta: vt Persicum, *angariauerunt*, Syrum, *lamasabachani*: Latinum, *prætorium*. Vt omnis lingua confiteatur Dominum. Nihilominus ne omninò vera locutus videaris: Dico, Salomonis Sapientiã ab ipsomet auctore Hebraicè editam, & à septuaginta duobus interpretibus Græcè versam. Nec mirum, excidisse Hebræum volumen: nam idem vsu venit Euangelio Hebraico B. Matthæi. Ecclesiasticus Hebraicè scriptus est à Iesu filio Sirach, teste B. Epiphanio: & Beatus Hieronymus fatetur, se Hebræum exemplar vidisse. Idem fatetur, Tobiæ librum Chaldaicè scriptum, nimirum, in Chaldæa: eius tamen extat etiam Hebraica editio. Iudith librum Chaldæa lingua scriptum, agnoscit B. Hieronymus: Munsterus vester ait, Constantinopoli Hebræum exemplar à Iudæis asseruari, cum Hebraico Tobiæ. Liber Hester Hebraicè scriptus est. Machabæorum priorem librum fatetur se Beatus Hieronymus Hebræum inuenisse: Posterior Græcè scriptus est, non ideo tamen minus canonicus, cum illius tẽpore Græca lingua, tãquam communis, vbique ob-

Matth. 25. & 27. Philip. 1.

Lib. de mensur. & ponder.

Præfat. in Prouerb.

Præfat. in Iudith.

Præfat. in hebraicum Tobiam.

Præfat. in libros Regum.

HÆRE

HÆRETICVS.

Hisce accedit, quod Iudaica Ecclesia, cui diuina oracula concredita erant, nunquàm eos libros, tanquam Dei verbum accepit, aut agnouit. Quar. argum.

COSTERVS.

Nego: Nam eos tanquam sacros & diuinos, secum Hierosolymis attulerunt 72. Interpretes, & (vt nihil deesset bibliotechæ Ptolemæi Philadelphi) eos omnes in Græcam linguam transtulerunt. Quod de tota scriptura fatentur Irenæus, Iustinus, Epiphanius. Lib. 3. cap. 25. dial. cũ Tryph. Li. de mens. & ponderib. Quin. argum.

HÆRETICVS.

Nec Christus, aut Apostoli vllibi commendarunt.

COSTERVS.

Quàm multi sunt Veteris testamenti libri, quorum nulla facta est mentio, vel à Christo, vel à sanctis Apostolis eius? vt, Iudicum, Ruth, quarti Regũ, Esdræ, Nehemię, Threnorum, Canticorum, Sophoniæ, &c. an ideo minus authoritatis mereãtur? Quid si dicam B. Iacobum Apostolum ad librum Iudith respexisse, cum de Abraham diceret, *& amicus Dei appellatus est*: & B. Paulum cum Corinthijs scriberet, Israelitas periisse ab exterminatore? quorum vtrumque in eius libro clariùs, quàm alibi inuenies. Satis nobis sit Apostolorum commendatio, qui, cum reliqua doctrina à Christo Domino accepta, etiam hos libros, à vobis repudiatos, Ecclesiæ commendauerunt. Quid Iacob. 2. 1. Cor. 10. Iudith. 8.

effecere vis, de his libris doce, (quod de aliis Apostolicis traditionibus toties postulaui) quis eos primus induxerit? Sicut enim reliqua Ecclesiæ non scripta dogmata ad Apostolos referimus: ita hos libros ipsis acceptos ferimus.

HÆRETICVS.

Ext. argumē. Idq; postremò copiosis Patrum, & multorum Pontificiorum Doctorum testimonijs comprobari potest.

COSTERVS.

Quod adfers auctores Ruffinum, Hieronymum, Nazianzenum, &c. nõ hoc efficiũt, quod tu arbitraris, nimirum, prædictos libros, de quibus nunc agimus, de sacrorũ librorũ catalogo expungẽdos esse, vel illi ali quãdo inscriptos nõ fuisse: cùm pluriũ testimonijs superiùs à nobis, & alibi ab alijs, ad quos te remisi, demonstratum sit, eos semper ab Ecclesia pro canonicis agnitos esse. Sed ista duo horum Patrum, quos citas, auctoritate discces: Primũ, eorum seculis necdum palàm ab vniuersa Ecclesia statutum esse, quinam libri à sacro canone, tanquàm certò spurij & alieni, repudiandi essent, & quinã tantùm pro diuinis admittendi. Hæc enim res, magnâ, & multi temporis egebat deliberatione, propter varias multorum opiniones: quorum hi, Apocalypsi nihil tribuebant, illi, nihil epistolę ad Hebræos, alij nihil posteriori B. Petri, B. Iacobi, postremis duabus B. Ioannis, & Apostoli Iudæ, alij in solùm [illegible]rorũ Canonem admittebãt

ſij, de alijs dubitabant, & hi quidem non hæretici ſolùm ſed inter catholicos doctiſſimi. In Nicena Synodo primùm aliquis catalogus conſcriptus eſt eorum, quos certò conſtabat eſſe diuinos: in quem etiam liber Iudith relatus fuit, ſicut ex B. Hieronymo vidimus. Succeſſit Laodicena Synodus, quæ ferè eoſdem enumerat, excepta Apocalypſi. Voluerunt enim S. Patres in tãta ſententiarum varietate, eorum ſaltem catalogum texere, quos certę fidei apud omnes ferè eſſe conſtabat, quos autem apud pleroſq; dubiæ fidei ſciebant, illos intactos reliquerunt: de Dei bonitate confiſi, quod, qui Eccleſiam ſuam ſancto Spiritu veritatis donaſſet & ornaſſet, procedente tẽpore, etiam huius rei veritatẽ illuſtraret, quemadmodum plura alia fidei myſteria, primis tẽporibus apud multos dubia, obſcura & inuoluta, in lucem adduxit. Paulatim igitur cum tempore, nunc hi, nunc illi, ad veritatis notitiam acceſſerunt: & demum vniuerſa Eccleſia, tam per Orientem, quàm per Occidentem, Romanæ Eccleſię catalogum admiſit. Quod multis ſeculis confirmatum, ne quid in poſterum dubij in mente cuiuſquam reſideret: Florentinum Concilium, Latinorum & Græcorum conſenſu, eum omnibus ſeruandum decreuit, Armeniſq́ue Legatis deferendum ſuis comminiſit. Quòd igitur B. Gregorius Machabæorum libros dicat, *non canonicos, ſed ad ædificationem editos*: Non tanquam de eorum [illegible]bius loquitur, qui illi præſidebat Ec[illegible] cui

Præfat. in lib. Iudith.

Lib. 19. mor. 3. ca. 17.

Sancti

Sancti Apostoli Petrus & Paulus totam doctrinam suã (vt ait Tertullianus) cum sanguine profuderunt: sed ad tempora sua respexit, quibus necdum ab vniuersa Ecclesia fuerant in sacrum canonem relati, & pro Canonicis admissi.

De præscr.hær.

Alterum, quòd te excitatis Patribus discere velim, est, (id quod etiam superius monui) quàm ineptè & ridiculè multis verbis docere conatus sis, Scripturam sacram ex se, viáque sua cognosci. Hoc enim si verum est, cur, obsecro, tanta inter tot viros sanctissimos atque doctissimos olim, de libris canonicis, sententiarum varietas? Carebant spiritu, doctrina, prudentia, discretione, iudicio, Cyprianus, & Augustinus, cum suis Africanis: Innocentius, Gelasius, cum Latinis, Hieronymus cum Syris, Chrysostomus & Epiphanius cum Græcis? Manet igitur constans, fixáque Beati Augustini, ab omnibus recepta sententia: *Scripturæ non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret.*

Aug

Argumenta Hæreticorum.

TRIA supersunt hæreticorum argumẽta, à me soluta, quæ cõstabilire conatur Doctor hæreticus: cuius tela vbi retuderimus, finis, Dei gratia, huic libello imponetur.

Obiectio Prima.

Concilium Laodicenum eos libros Veteris testamenti omittit, qui non sunt in canone Hebræorum: Non igitur agnouit libros Machabęorum, Sapientiam, Tobiam, & Iudith.

Solutio.

Neganda est cõsequentia. Non enim eo loci Patres abiecerunt hos libros tanquam non sacros, nec decreuerũt non esse canonicos: sed non numerauerunt inter illos, qui in Ecclesia essent legendi, idque præsertim propter Iudæos ad fidem conuersos, & ferè Iudaizantes, quibus Phrygia ab Apostolorum temporibus abundabat. Hos nimirum sancti illi Episcopi irritare noluerunt, ijs libris Veteris testamẽti in Ecclesia legendis, quos illi in canone Hebræorum non habebant.

HÆRETICVS.

Quòd ais, Patres nõ abiecisse hos libros, tanquam nõ sacros: nec decreuisse, nõ esse canonicos, sed nõ numerasse inter illos, qui in Ecclesia essent legendi: id perspicuè Concilij verbis repugnat. Ita enim loqui-

tur:

tur: *Non oportet, ab idiotis psalmos compositos & vulgares, in Ecclesijs dici, neq; libros, qui sunt extrà canonem legere: nisi solos canonicos Veteris & Noui testamẽti. Quæ autẽ oporteat legi, & in authoritatem recipi, sunt hæc: Genesis, Exodus, &c.*

COSTERVS.

Clarè dicit Concilium, solos canonicos in Ecclesia legendos, non autẽ omnes: numerat præterea canonicos, & qui authoritatem habeant: at hic nihil addit, solos: non enim ignorabat, ab alijs Patribus atque in alijs Ecclesijs etiã alios canonicos legi solere, vt in Africa, & Romæ. Et nullam facit Apocalypseos mentionem, quam Patres scire debebant à Nicæno Cõcilio inter canonicas scripturas numeratam: sicut etiam librum Iudith, vt ex B. Hieronymo vidimus. Vituperant autem hæreticum in Ecclesia cantandi morem Arianorum & Caluinistarum: qui vulgò permittunt ab Idiotis compositos vulgares psalmos in suis Synagogis boare.

HÆRETICVS.

Deinde etiam ea, quam profers, ratio, cur libri apocryphi ab hoc Concilio omittantur, inane commentum est, & grauissima Concilij accusatio.

COSTERVS.

Apocryphos nominat hæreticus, qui Caluinistis suis Apocryphi sunt, Tobiam, Iudith, &c. nobis, & Catholicæ Ecclesiæ sunt canonici.

HÆRE

HÆRETICVS.

Nam cum totius sacræ Scripturæ lectionem Ecclesiæ præceperit Deus, quæ fronte huius rei conscium concilium secus statuisset?

COSTERVS.

Quia nusquam præcepit Deus, vniuersam Scripturam, eiusque libros omnes in Ecclesijs legi aut ab omnibus legi, vel audiri: alioqui profer mandatum.

HÆRETICVS.

An offensionis metu? Atqui eiusdem habenda est ratio, quando non offenditur Deus: hoc est, in rebus arbitrarijs, non autem in ijs, quæ à Deo præscripta sunt.

COSTERVS.

Vbi non est lex (ait Apostolus) *nec præuaricatio.* Cum ergò Deus nusquam legẽ tulerit, de legendis aut cantandis in templis populo diuinis libris, nihil præuaricantur Patres, sed rem arbitrariam decernunt: aut tu præceptum diuinum adfer. Rom. 4.

HÆRETICVS.

Deinde verò quod sanctos illos Patres, Iudæos iudaizantes irritare noluisse asseris, omninò alienum est: Nam cum offensio iniusta & pertinax, ne errores foueantur, cõtemnenda sit: quomodo Iudæorum offensionem, quę 364. annos à Christo nato, durarat, timuissent?

COSTERVS

Ab Ecclesia vniuersali necdũ definitũ erat, errorẽ esse, libros à Patribus prętermissos,

hoc

hoc est, qui extra Hebraicum canonẽ sunt, pro canonicis & diuinis non habere: cùm plerique viri doctissimi, sanctissimique ita sentirẽt, quos à se Concilium damnari noluit, re adhuc sub iudicio pendente. Voluerunt igitur sancti isti Patres eos Veteris instrumenti libros in Ecclesijs legi, de quibus nulla vnquàm dubitatio mota fuerat. Cæterùm quia Patres huius Cõcilij tantifacis, vt eos titulo Sanctorum honores, quæro, Cur eorum canones violatis? sic enim inter

Canon. 48. cætera docuerunt: *Oportet baptizatos, post baptismum, sacratissimum chrisma percipere,*

Canon. 50. *& cælestis regni participes fieri.* Item: *Non oportet in Quadragesimæ feria quinta vltimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam Quadragesimam inhonorari: sed per totos hos dies*

Canon. 52. *ieiunare, & escis abstinentiæ conuenientibus, id est aridioribus vesci.* Item: *Non oportet in Quadragesima aut nuptias, vel quælibet natalitia celebrare.* Quomodo sancti sunt Patres, qui de Chrismate, vobis abominando? & Quadragesima, à vobis abrogata, tam serio decernunt?

HÆRETICVS.

Denique vt ex ijs, quę vltro largiris, rem totã concludam: Cùm libri Machabęorum, Sapientia, cæteríque apocryphi, non fuerint in canone fidei Veteris testamenti: Primum

Rom. *quia Iudæis concredita sunt eloquia Dei:* quę adeo religiosè libris cõseruauerunt, vt propterea

ptereà *librarij Christianorum* à Patribus dicti sint. Deinde, quia non aliunde, quàm ex Iudæorum canone Christus: & Apostoli sua confirmarunt. Nec vnquam eo nomine Iudæi à Christo, Apostolis, aut antiquioribus Patribus, accusati sunt, quod Veteris testamenti canonem mutilassent.

COSTERVS.

Sicut Christus & Apostoli, Ecclesiæ plura commiserunt, quàm sacræ literæ contineant: nimirum, quæ Spiritus sanctus in cordibus fidelium descripsit: ita præter Iudæorum canonem nobis alios libros commendauerunt, quos paris auctoritatis esse voluerunt, vt ab eodem Spiritu sancto dictatos. Et parum refert, non fuisse vnquam à Christo vel Apostolis citatos: cum hoc idem aliis libris, à me superiùs nominatis vsu venerit. Iudæis, fateor, *credita eloquia Dei*, licet non omnia. Sunt Christianorum librarij: custodes, inquam, legis & Prophetarum: quorum testimonio, apud quos suis confirmatur Christiana religio. At præter libros ipsis commendatos, nobis Apostoli commendarunt alios. Si mentior, adfer primum horum apocryphorum tuorum commendatorem.

HÆRETICVS.

Denique idem orthodoxus Veterum consensus, quem modo adduxi, confirmat.

COSTERVS.

Quod tantopere Veterum [illegible]sum

commendas, probè quidem facis: sed ille tibi quoque in aliis fidei dogmatibus sequendus esset: in Sanctorum inuocatione, in sacrificio pro viuis atq; defunctis, aliisq; quæ, (nulla huius Veterum consensus ratione habita) velut superstitiosa, noxia, & idololatrica explodistis. Ad rem præsentem quod attinet. Superius à me demonstratum est, Non ab omnibus, neque à maiore Catholicorum Episcoporum numero, solum Iudęorum canonẽ, pro diuina Veteris instrumenti scriptura receptum fuisse: sed cum publico Ecclesię decreto, nihil de certo numero definitum esset, quilibet, quod suo iudicio videbatur citra fidei & charitatis detrimentum censebat. Et maximè B. Hieronymus: præ cæteris in scripturis Hebraicis, atque Chaldaicis magis versatus. Non pauci citabant librum tertium Esdræ, multi etiam librum Pastoris, & plerósque alios: neque certo constabat, an illos tanquàm canonicos, an tanquàm pios tantùm, adducerent. Non igitur mirum, si vẽterũ Patrum varia fuerint de his libris iudicia. Quæ res cum nõ parũ noxia esset Ecclesiæ Dei, nonne tibi mẽs dictat operępretium, summéque necessarium fuisse, certi aliquid disertis verbis decernere, & fidei ibus omnibus normam fidei præscribere? hoc est, eos libros proponere, quos omnes & solos, in posterum pro diuinis haberent? Si sensu & iudicio vales, affirmabis oportere, in re tanti momenti,

omnem

omnem dubitandi occasionem: si tamen auferri potest. Posse autem, fateri oportet: nisi Christum velis Ecclesiæ suæ sponsa, in his quæ fidem concernunt, minùs prospexisse. Quæstio iam est, Cuiusnam sit, de hac librorũ catalogo ferre censurã? Si tẽpora nostra spectes, Caluinistæ totũ nouũ Testamentum pro diuino verbo venerantur: Vetus Testamentum secũdùm Iudæorum canonem admittunt: Lutherani cum his in Veteri testamento conueniunt, sed plerosque Noui testamenti libros expungunt. Veteres variant: & ante Concilium Tridentinum, non defuerũt ex Catholicis dubij. Quid hîc agas? Singuli pro se adducunt Patres. Aliquorum paribus non olent diuinum spiritum, epistolæ quædam canonicæ, Apocalypsis, & quædam Veteris testamenti scripta. Si singulis libertas re inquitur, non tolletur confusio. Si Caluinistis deferatur iudicium; querentur Lutherani, & Anabaptistæ: qui aliter sapiunt. Si istis: eadem vobiscum, & cum aliis restabit difficultas. Tu hæc seriò cum animo tuo expende, & simul cõsidera, Recténe an sanctè, prudenterque fecerit Concilium Tridentinum: quod pro suo munere, hîce dubijs semel finem dedit, omnibúsque fidelibus in posterum dubitandi occasionem ademit. Cuius decretum tametsi hæreticis parum valeat, Catholicis tamen omnibus nefas est violare: tum quia non ignorãt, ab Œcumenicis Conciliis (quæ [illegible] tulerũt

vniuersalem Ecclesiam) nunquam Ecclesiæ sponsum Christum, vel assistentiam spiritus veritatis abesse: tum quia in id cõuenerunt ex omni Christiani Orbis parte viri doctissimi in literis diuinis, & Veterum scriptis instructissimi: tum quia illi oculis nulla erroris labe infectis, clariùs Ecclesiæ totius consensum peruiderunt. Siquidem perspexerunt his mille ducentis annis, à Concilio Carthaginẽsi tertio, sensim Patres vel omnes, vel pene omnes, in illius Concilij sententiam descendisse: & tandem annis ab hinc ducentis, ante Florentini Concilij tempora, ferè vniuersos Patres in eandem conuenisse, summóque consensu Florentiæ à Latinis & Græcis Patribus eundem catalogum Armeniis præscriptum esse. Post quod Concilium, si qui dubia mouerunt, errarunt illi quidem, sed sine schismate: quod non putarunt eo se decreto, Armeniis misso, ligari, eorúmque paucitas nihil præscribit generalitati, (vt loquitur Beatus Vincentius Lerinẽsis:) at post generale Cõcilium Tridentinum, quod seriò hunc diuinorum numerum decreuit, nemini Catholico fas est aliter cum pertinacia sentire. Vos hæretici, vobis semper authoritatem arrogatis, vt de aliis fidei dogmatibus, ita de hoc scripturarum canone, pro gustu vestro iudicandi. Apud prudentes tamen nullius momenti est hoc iudicium vestrum: tum quòd pauci estis: tum quòd hæretici: tum quòd nulli

li ad definitores, obseruatorésque Tridentini Concilij. Hoc enim definierunt sanctissimi, doctissimíque maximo numero Patres: obseruant autem, colunt, & amplectuntur longè plures: nimirum, Catholici per vniuersum Orbem omnes: atque citra vllam ambitionem, sanctè, ad finem vsque seculorum obseruabunt: sicut solent Generalium Conciliorum de fide decreta: de quibus nefas est, dubium mouere. Interim vos, hæreticorum omnium more, cum hæresibus vestris effundemini, instar aquæ: & sicut cera liquescetis, & sicut puluis tollemini à facie terræ: Ecclesia verò, supra petram Christum fundata, in æternum stabit.

HÆRETICVS.

De qua re, præter ea quæ diximus, eleganter ait Hieronymus: *Ad Hebræos reuertendum, vnde Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt.* Præfat in 1 Paralip.

COSTERVS.

Quid istud ad institutum tuum? B. Hieronymus queritur, corruptam 72. seniorũ Græcam interpretationem, atque plura ab Apostolis citata in ea nõ inueniri: vt tum. *Ex Ægypto vocaui filium meum*: *Quoniam Nazæraeus vocabitur*. *Videbunt, in quem compunxerunt*. Et, *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*: quæ tamen fatetur, in codicibus Hebræis [illegible] demum Matth. 2. Ioan. 9. 1. Cor. 2.

aduersus æmulos suos, qui eius studium Hebræa, tanquàm non necessaria, vertendi carpebant, addit: *Ad Hebræos igitur reuertendum est, vnde Dominus loquitur.* Hîc nihil de libris, quorum modò ventilamus authoritatem: sed de necessitate versionis suæ in Latinum ex Hebræo, post Græcam 72. Interpretum corruptam.

HÆRETICVS.

præfat. in Esdram. Et alibi: *Quæ non habentur apud illos* (Hebræos) *nec de viginti quatuor Sembus sunt procul abijcienda.* Sic enim legendum est. Quid autem per 24 senes sibi velit, prologo galeato in præfatione in libros Regum exponit.

COSTERVS.

Neque istud quicquã ad rem tuam. Loquitur enim de solis duobus posterioribus libris Esdræ apocryphis, quos ait procul abiiciendos: non velle autem B. Hieronymum eos omnes libros abiici, qui ab Ecclesia extra Hebræorum canonem retinentur, patet ex libro Iudith; quem propter Niceni Concilij decretum, in numero sacrarum Scripturarum computat.

HÆRETICVS.

Atque eadem est Gregorij Magni Põtificis Romani sententia.

COSTERVS.

Cur tibi modò Magnus, cui tu in omnibus aduersaris? An propter pauca verba, quæ de Machabæorum libris paulo post discu

discutiẽtur arbitraris eum esse Iudaici canonis propugnatorem, vt extra eum nullos pro diuina scriptura recipiat? At innumeris locis ex Sapientia & Ecclesiastico testimonia velut ex sacris scripturis adducit. Inter alia sic ait: *Sæpè in sacro eloquio Dominus Solis appellatione figuratur*: tum citat scripturam sapientiæ: *Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & sol non est ortus nobis.* Item alibi: *Scriptura testeque ait, Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Et alio loco, ait Ecclesiam dicere: *Noli altum sapere, sed time.* atque iterum: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Item Dei Sapientia dicit: *Gyrum cæli circuiui sola.* Ex Tobia etiam subinde, quæ ad rem suam faciunt, probat: nusquam ea vtens excusatione, de qua mox disseremus.

Lib. 18. moral. cap. 33. Sapient. 5.

Lib. 4. mor. cap. . Lib. 16. c. 3. Rom. 11.

Eccle. 3. Lib. 1 mor. cap. 12. Eccl. 24.

Obiectio Secunda.

B. Gregorius *lib. 19. moral. ca. 17.* de libris Machabæorum sic loquitur: *Non inordinatè agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonia proferamus.*

Solutio.

Sed nec ille negat esse libros sacros, aut in canonẽ Ecclesiæ relatos: cũ virum doctissimũ latere nõ potuit, quid ante annos ducentos, B. Innocent. Papa, & Concilium Carthaginense, de his Machabæorum libris scripserit. Loquitur igitur de canone

Hebræorum, in quem isti libri inscripti non fuerunt: & propterea non parem obtinebant apud omnes homines, præsertim Iudæos, authoritatem. Et B. Augustinus multò ante, ex iisdem libris, tanquam sacris, & apud Ecclesiam canonicis, sacrificium pro defunctis confirmare minimè reformidauit.

HÆRETICVS.

Gregorij sententia illustrior est, quàm vt hac responsione tua obfuscari queat. Opponit enim inter se, *canonicos*: hoc est, canonem fidei: & *eos, qui ad ædificationē Ecclesiæ editi sunt*: Hieronymum & Veteres hac in re, iudicio & loquendi modo sequutus.

COSTERVS.

B. Gregorius cum D. Augustino loquitur: qui de his ita scripsit: *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Causa autem, cur hanc excusationem prætexat, est duplex: *Vna*, quod mystico sensu non consueuerit Veteris testamenti scripturas interpretari: nisi quę, propter canonem Hebræorum apud omnes indubitatam fidem obtinebāt. Hic autem factum Eleazari, qui sibi ipsi mortem attulit, ab elephanto oppressus, dum eum aperto ventre prostrauit, ad moralem sensum transtulit: Eos, inquit, significat, qui vitia superant: & his ipsis, quæ subiiciunt, superbiendo succumbūt. Quasi.n. sub hoste, qué prosternit, moritur: qui de culpa, quam superat, elevatur. *Altera*, quod tametsi apud

Rom.

ib. 18. de Ci. i. c. 36.

2. Mach. 6.

Romanam Ecclesiam, Machabæorum libri in canone essent, atque à prædecessoribus eius Romanis Pontificibus, Innocentio, Gelasio, Leone, cæterisque canonici haberentur: quia tamen necdum ab omnibus Episcopis, pro diuinis recepti fuerant, noluit ipse certam de his Legem præscribere. B. Augustinum sequutus, qui in libris canonicis dicit: *Obseruandum, vt, qui recipiuntur ab omnibus Ecclesijs, præponantur illis, qui non recipiuntur ab omnibus, & maioris auctoritatis habeantur*: non propter Romanam Ecclesiam, quæ iamdudum omnes receperat: sed propter alias, à quibus necdum receptæ erant. Ex hoc porrò loco, colligi non ineptè videtur, D. Gregorij temporibus, iam passim apud omnes, aut pene omnes Ecclesias, reliquos libros, prius dubiæ fidei, authoritatem diuinam obtinuisse: quod eos (vt iam dixi) ad dogmata sua confirmanda, pari cum cæteris Scripturis modo citare consueuerit: tanquam non amplius dubias, sed palam receptas & notas. Quocirca, sicut illi tunc fidem obtinuerunt: ita hi Machabæorũ libri temporis progressu, ab vniuersa Ecclesia in canonem sacrum relati, parem fidē & authoritatem habent.

Serm. 10. de 9. Machab.

Lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 8.

HÆRETICVS.

Nam quis mortalium, vel ante, vel post Gregorium, hac periphrasi Canonem fidei distinxit: & non potius apocryphos designauit?

COSTERVS.

Præfat. in Iudith. B. Hieronymus: qui librũ Iudith, extra Iudæorum canonem, in canone Ecclesiæ constituit, authoritate Niceni Concilij motus.

HÆRETICVS.

Deinde si ex Concilij sententia, Machabæorum libri ad canonem fidei pertinebant, quid opus erat ista excusatione: *Non inordinatè agimus si ex libris non canonicis, &c?*

COSTERVS.

Quia apud omnes eorũ authoritas necdum valebat, quum ipse omnes vellet suis libris moralium instrui, qui iudicare poterant, summi præsulis dignitatem non decere, ex libris non canonicis doctrinam Catholicam confirmare.

HÆRETICVS.

Quare Concilij Carthaginensis & Innocentij sententiam eadem nobiscum ratione, aut intellexit, aut communi antiquorum Patrum iudicio postposuit.

COSTERVS.

Innocentius omnes canonis nostri libros appellat sacram scripturam, & Concilium, scripturas diuinas & canonicas. De quibus canonicis ita scripsit B. Augustinus, qui Cõcilio cum cæteris aderat: *Ego solus in*

Epistol. 19. *scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid erra[illegible]*

Lib. 11. cõtra Faust. Manich. cap. *me credam.* Et alibi: *Distincta est [illegible] posse*

posteriorū libris excellētia canonicæ authoritatis veteris & noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid vobis absurdum mouerit, non licet dicere, Auctor huius libri non tenuit veritatem. Itaque cū Machabęorū libri sint in canonicorum numero apud Innocentium & Concilium Carthaginense: sunt vtique etiam ipsi diuini, & infallibilis veritatis.

HÆRETICVS.

Non ignorabat enim Origenem, Athanasium, Melitonem, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Cyrillum Hierosolymitanum, Hilarium, Hieronymum, Rufinum, Concilium Laodicenum, Machabæorum libros à veteris Testamenti canone merito excluſisse.

COSTERVS.

Sequuti sint illi iudicium suum, atque eos tantum libros enumerarint, quos Hebræus canon habet: at non damnarunt alios innumeros aliter sentientes, vniuersam Africam, Italiam, Hispaniam. Igitur illos ipsi censuerunt canonicos & sacros, de quibus nulla poterat controuersia moueri: alios non excluserunt, sed præterierunt, qui tamen apud quamplurimos, & nominatim in Ecclesia Romana, diuinam authoritatē obtinuerāt, & post[illegible] apud Ores, Liranus, Occā, Richardus, C[illegible]q;

[illegible]iua

priuati scriptores, ante Cõcilij Tridentini definitionem sine schismate errarunt. Ideo à sacro illo Concilio sanctissimè adempta est omnibus catholicis errandi in posterum, & dubitandi libertas.

HÆRETICVS.

Nec illa, quam citas, Augustini sententia, causam tuam cõfirmat. Primùm, quia Machabæorum libros eo in loco appellat *scripturas*: non canonicas, sed *veteres*.

COSTERVS.

lib. de cura pro mortuis cap. 1. lib. 1. Machab. ca. 12.

B. Augustinus, agens de auxilio defunctis adferendo, & nominatim de sancto Missæ sacrificio, sic ait: *In Machabæorum libris legimus oblatũ pro mortuis sacrificiũ. Sed etsi nusquã in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est totius Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine elucet, authoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Vbi notabis, ex modo loquendi facilè intelligi, à B. Augustino Machabæorum libros pro diuino, & infallibili testimonio citari; præponiq́ue consuetudini totius Ecclesiæ, tanquam non minoris authoritatis. Nemo de libris non sacris, vel dubię fidei, sic loqueretur: Iosephus aut Philo (verbi gratia) tale quid scribũt: sed etsi nemo eorum scripsisset, satis nobis est vsus Ecclesiæ. Deinde hos libros appellat alibi scripturam sacram: disputans de fa[illegible]iæ, qui sibi ipsi mortem intulit.

Cum

Cũ enim impij Circumcelliones necem, quam sibi ipsis inferre solerent, hoc facto Raziæ, tanquam ex sacris literis, confirmarent, facilè hunc nodum soluisset, dicẽs nõ esse canonicos hos libros Machabæorum: at cũ eos ipse cum patribus Africanis pro diuinis agnosceret, multis demõstrat, Raziam aliis quidẽ nominibus à scriptura hac sacra commendari: sed hoc eius factum non probari. Lib. 1. cont. Gaudentij. cap. 31. 2. Machab. 14.

HÆRETICVS.

Et ad illustrationem opinionis suæ, non ad dogmatis Ecclesiastici authoritatem confirmandam, adducit.

COSTERVS.

Quæ est ista ineptia, Doctor Hæretice? nonne te pudet mendacij & calumniæ? B. Augustinus confirmat sacrificium pro defunctis, ex communi totius Ecclesiæ consuetudine, hoc est, Apostolicam traditionem omnium Ecclesiarum vsu docet: & tu vis ab eo tantùm opinionem suam illustrari, nõ dogma Ecclesiasticum confirmari? An erat Beati Augustini priuata opinio, sacrificandum esse pro mortuis? Audis hîc fuisse vniuersæ, & catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, non obscuram: sed claram: neque ex quorundam opinione, sed ex auctoritate vbique seruatam. *Non est*, inquis, *dogma Ecclesiasticum*. Quod per orbẽ vniuersum Ecclesia docet, atque obseruat, est Ecclesiasticum dogma, & Apostolica traditio. Audi Chrysostomum [illegible] Hom. 69. ad pop.

ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.

HÆRETICVS.

Deinde alibi sobrie Machabæorum libros vt non inutiles legendos monet.

ntra Gaudentij epistolam lib. 2. p. 23.

COSTERVS.

Monet sobrie legendos: non, vt nō inutiles, sed vt sacros ac diuinos: qui tamen nonnulla contineant, quæ imprudentes offendere possint: sicut de Razia sene (de quo tractabat) qui sibi mortem consciuit: quem Donatistarum Circumcelliones, (vt iam dictum est) variis mortibus se conficientes, imitari studebāt. Hoc modo multi diuini libri sobrie legendi erunt, vnde indocti & rudes homines (quibus tu passim scripturas obtrudis) peccandi occasionem accipiant: vt Cantica canticorum, (quorum lectio Iudæis ante 30. ætatis annum non permittebatur) ebrietas Noe, Incæstus Loth, polygamia Sanctorum, occultus ingressus Ruth Moabitidis ad cubile Boos, lectio in 12 partes vxoris Leuitæ, de qua nuper & id genus alia.

Genes. 9. Genes. 19. Ruth 3. Iudicum. 19.

HÆRETICVS.

Præterea, quamuis Augustinus id, quod ei asscribis, sensisset: merito tamen priuato illius, & paucorum sine iusta ratione iudicio, communis plurimorū Patrum sententia præferri deberet, quemadmodū hāc [illegible] scriptis suis diiudicādis libertatē nō [illegible]ctit, sed etiā præscribit.

COST

COSTERVS.

Contra ergo contendo, plures Ecclesias hos libros in canonem, non sine iusta ratione, admisisse, quàm ab ea excluisse: Africam dico, Italiam, Hispaniam, & quæcunque Romanæ Ecclesiæ ritum in diuinis officiis sequebantur. In quibus officiis constat ex B. Leone, hos libros in Ecclesia legi solere: tam in canonicis precibus, quæ nobis toto mense Octob. lectiones ex iis proponunt: quàm in sacrificio Missæ: vbi Sabbatho post Dominicam primam Quadragesimæ, prophetia 3. ex 2. Machabæorum libro desumpta est. Constat porrò in Missæ officio, nullas vnquam præter diuinas scripturas legi permissas. Hic autem ritus est antiquissimus multarum Ecclesiarum. Quam adfers libertatem ab Augustino in suis libris diiudicandis præscriptam, eam sequi potes in iis quæ Augustini sunt, non quæ Ecclesiæ. Non. n. fas est, Ecclesię doctrinā repudiare: quia eā Augustinus scripsit, & secutus est. Serm. 8. 2. Machab. 2

HÆRETICVS.

Et sanè plurimæ à nostris adferuntur rationes, quibus Machabæorum libros non diuino, sed humano spiritu conscriptas esse demonstrant.

COSTERVS.

Vt sunt rationes friuolæ, ita nihil demōstrāt: & à Nostris nullo negocio soluuntur.

HÆRETICVS.

Nam præterquam quod nec [illegible] Prophetis conscripti nec Ecclesiæ De[illegible] canonici traditi sunt.

COSTE

COSTERVS.

Vtrumque falsum. Affirmo, scriptos à Prophetis, tu docè contrarium: assero, Ecclesiæ ab Apostolis, tanquam canonicos commendatos, impugna. Sicut enim, præter canonem suum, Hebræi alios libros pro hagiographis asseruabant: (vt de Tobia, & Iudith testatur B. Hieronymus) ita Apostoli diuino spiritu censuerunt, non solùm Iudæorum canonicos, esse diuinos: sed alios præterea, hoc est, eos omnes, quos Ecclesia in suum canonem reposuit.

HÆRETICVS.

Tam perspicua est eorũ librorum, partim inter se, partim cũ reliquo veteris Testamẽti canone discrepantia: vt nulla probabili specie excusari possit.

COSTERVS.

Porphyrij & Iuliani Apostatæ viam ingredi videris, aduersus Euangelistas similia obiectantium: in quibus conciliandis, Sanctorum Patrum ingenia laborarunt: neque tamen de concordia desperarunt: Hebetudo ingenij tui discrepantiam videt: docti, omnia probè cõuenire demonstrant. Si quam attulisses irreconciliabilem discrepantiam: ego eam conarus essem in concordiam reuocare: at quia tibi nulla fortassis occurrit, remitto te ad Nicolaum Serrarium nostrum: qui doctissima hac de re scripsit. Machabæos recon-

cilia tua tibi

HÆRE-

HÆRETICVS.

Huc accedit, quod liber secundus nihil aliud esse dicitur, quàm epitome librorum Iasonis Cyrenæi. In quare declaranda non diuinum spiritum, sed humanam sapientiam copiosè & apertè ostendit. Atque huic initio finis consentit: in quo humano more auctor, si minùs dignè historiam scripserit, veniam poscit.

COSTERVS.

Quis prohibeat Spiritũ sanctum, ex Iasone viro sancto & historico veraci, per alium virum sanctum, aut per pium Senatũ hierosolymitanum, diuinam veritatem loqui? Túne Deo leges præscribes? *At*, inquis, *non diuinum Spiritum, sed humanam diligentiam ostendit.* Falsum: diuinum spiritum non prætermisit, & humanam diligentiam ostendit. Scriptor enim quod in se erat, fecit. Spiritus sanctus eius diligentia est vlus, & verba ei sua suggessit. An quia Isaias suo more & stylo politè scripsit, destitutus fuit Spiritu sancto? *Humano more veniam petit.* Cuius rei? an quia errauit, an quia falsò scripsit? nõ: sed quia fortè minùs dignè, minùs eleganter, minùs eloquenter. Quid hîc mali? Spiritus sanctus hac Scriptoris modestia & humilitate, eum de eorum numero esse declarat, de quibus B. Petrus: *Spiritu sancto in[illegible] 2. Pet. 1. spirati, loquuti sunt sancti Dei homines.*

Obiectio tertia.

Olim à plerisq; dubitatum fu[illegible]en-

[illegible]llis

nullis scripturæ libris: de Epistola ad Hebræos, de altera epistola B. Petri, de posterioribus capitibus Danielis, &c. Non sunt igitur hæreseos crimine condemnandi, qui eosdem nunc vel reijciunt, vel in dubium vocant.

Solutio.

Consequentia negãda est. Quia pari ratione efficeretur, hodie à nobis dubitari posse, An sint de integro baptizandi, quos hæretici abluerunt? Quod existimauit D. Cyprianus, cum Cõcilijs aliquot Africanis: Et, An Christianis obseruanda sit lex Mosaica: etiam iis, qui ex Gentilibus crediderunt? quod ante Hierosolymitanum Concilium, citra hęresim à plerisq; agitatum fuit: Deniq;, Vtrum ad gentes quoque pertineat gratia Euangelij, an verò ad solos Iudæos? sicut nonnulli in actis Apostolicis arbitrabantur. Tametsi namq; Ecclesia vnam eandemq; fidem quouis tãpore retineat, quędam tamen fiunt nonnunquàm explicatiora temporis progressu, quã fuerint in principio. Sicut enim numero creuit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione: & perspicacior in illis cognoscendis, quæ ex primis articulis fidei manifestò notis, tanquam ex principijs, necessariò colliguntur. Ecclesia igitur nullo vnquã tempore pro fidei dogmate recepit, quod prius reiecerat, vel non esse credendum docuerat: (hoc enim est hęreticorum, qui fidem mutant) sed aliquando explicatiùs, quod prius credide-

Actor. 15.

Actor. 11.

rat

rat in genere, atq; obscuriùs: Proinde quãuis nihil fidei contrarium sentiãt, qui de re nõdum explicata diuersam ab aliis opinionem tuentur: nulli tamen licet, citra notam hæreseos, in dubium reuocare rem, semel ab vniuersa Ecclesia manifestè declaratam atque receptam. Itaque, postquã ab Ecclesia explicatũ est, etiã illos libros in sacris esse habendos, qui apud nonnullos in dubium venerant, nulli est fas amplius dubitare: cũ pari veneratione habẽdi sint, atq; si nulla de his vnquam dubitatio fuisset: quandoquidem ab eadem Ecclesia fidem, authoritatemque accipiunt, quæ reliquos libros in sacris numerauit. Causa autem, cur à plerisque Catholicis non fuerint sacris literis adnumerati, non illa est, quia tunc non fuerint sacri, sed quia nondum omnibus à tota Ecclesia pro sacris propositi: Ergò simul atque publicè proponuntur, sine vlla recusatione in diuinorum librorum numero, ab omnibus colendi sunt, ac venerandi. Quemadmodum nummus aureus, quibusdam initio suspectus velut adulterinus, si postea artificis periti statera examinatus, & à Magistratu approbatus, ab omni populo recipiatur: non minoris est pretij, quàm cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquam tulerunt.

HÆRETICVS.

Danielis posteriora capita nõ esse Danielis Prophetæ, non solùm Eccle[illegible] teris

Testamenti, quæ illa nunquam à Deo acce pit, aut probauit, & sermo Græcus ostendunt: sed etiam temporis & reliquarum circumstantiarum ratio id euincit.

COSTERVS.

Et vnde nosti, à Deo nõ esse accepta illa capita? an quia non sunt in Iudæorũ canone? At Deus non fuit vnquã illi canoni alligatus. Dico igitur, 1. extra canonẽ fuisse, atque nihilominus à multis Hebræis pro diuinis verbis agnita, & ab Apostolis Ecclesię, cum reliquis veteris Testamenti scripturis, tradita. 2. ex sermone Græco nihil aliud colligi, quàm Interpretem Græcis verbis eam allusionem exprimere voluisse, qui scriptor vsus fuit Hebraicè, vel Chaldaicè, σκίσεν ad σκίνον, & πρίσεν ad πρίνον. Sicut Latinè ad ilicem arborem alludẽdo, dicere possemus, Ilicò pereas: & ad lentiscum, nõ lentè pereas: vt ait B. Hieronymus. 3. Neq; temporis rationem, neque reliquas circũstantias aliud euincere Nã Susannæ historiam ante cętera, quæ Danielis libro continentur, gestam esse, tum ex Danielis ætate (quem Seuerus Sulpitius tunc fuisse duodecim annorum scribit,) tum ex B. Athanasio liquet, qui eam ad libri initiũ ponit. 4. Hæc capita cum puerorum Cantico, (quod propter ratione Iudæi ex suo canone excluserunt) multis seculis ab Ecclesijs in diuinis officijs decantata & lecta fuisse, vt etiamnum legũtur, & decantantur. Canticum quidem

Præf. in Dan.

Hist. sacr. li. 2. in Synopsi.

puerorum in quotidianis precibus laudum & Sabbathinis diebus ieiunij quatuor temporũ: historias verò Susannæ & Draconis, etiam in Missæ sacrificio. Hæc testatur Origenes, qui sic de historia Susannę loquitur: *Assumimus vti in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes, quoniam in Hebræo positum non est, sed quoniam in Ecclesijs tenetur.* Citat deinde sub finem verba Cantici puerorum. Ruffinus affirmat, Hymnum illum etiam ab Ecclesiæ exordio in Ecclesijs cani solere. Proinde Toletanum Conciliũ 4. anno Domini 633. à 62. Episcopis celebratũ, decreuit, vt antiqua huius hymni decantandi in Ecclesia consuetudo ab omnibus obseruetur. De eadem Susannæ historia extat catechesis apud Cyrillum Hierosolymitanum: & conciones B. Chrysostomi, Ambrosij & Augustini, B. Grogorius Magnus, sic ex capite 14. Danielis ait: *Certè scriptura teste nouimus, quod propheta ex Iudæa subleuatus, repentè est cum prandio in Chaldæa depositus, quo videlicet prandio Prophetam refecit, seq; repentè in Iudæa iterum inuenit.* Scripturæ nomine, non cõsueuit nisi sacram Scripturam appellare.

Sabb. post. Dom. 3. in 40. fer. 3. post Dom. in pass. Tract. 31. in Matth.

Li 2. inuect. in Hier. tom. 9 Hier. Can. 13.

Cateches. 16. tom. 1. ad finẽ. Amb. 49. & 50 August. 118. & 342. 2. Dial. 12.

5. Ad veteres & Neotericos, quos aliter sensisse refers, non aliud respondendum, quàm quod superius de reliquis libris dixi. Fateor enim plerosq; ista capita pro sacris non admisisse, sed longe plures ea tanquã diuinam scripturam agnouisse: quorum nonnullos ex multis superius addu[illegible] agna-

[illegible]

tium Cyprianum, Athanasium, Clementem Alexandrinũ, Nazianzenum, Basilium, &c. quibus addi potest Chrysostomus, qui in citata homilia Susannæ historiam nominat diuinam lectionem, & sancta oracula Dei.

HÆRETICVS.

Qua in re obseruanda est insignis Pontificiorum contradictio. Nam cum veteres plerique, vt fateri cogeris, aliter senserint de sacræ scripturæ libris quàm Romana Ecclesia hodierno die: sequitur, Ecclesiam errare posse, & iudicium illis non esse regulam fidei. Nec Romanam Ecclesiam de perpetuo suo cum Patribus consensu posse gloriari.

COSTERVS.

Quænam est ista consequentia? Plerique veteres aliter senserunt de Sacræ Scripturæ libris, quàm Romana Ecclesia hodierno die: ERGO Ecclesia potest errare. Rursus sophisticatis familiari tibi fallacia consequentis: vt, si dicatur: Quædam mulieres Leydenses adulterantur: ergo omnes, etiam tua. Errarint quidam, at non omnes. Ecclesiæ Catholicæ doctrina est fidei regula: non opinio priuatorũ. Neque Romana Ecclesia se cum omnibus Patribus gloriatur in omnibus conuenire: quippe quæ in multis varios errores improbauit, vt, in Cypriano, Papia, Irenæo, &c. sed se fatetur cum omnium præcedentium sæculorum Ecclesijs per omnia conuenire: quem consensum non vnus

atque

atque alter, sed concors vniuersitas testatur. Si quæ porrò sint quæstiones, in quibus veterum sententiæ variant, consueuit traditionis in Romana Ecclesia conseruatæ antiquitatem intueri, eamque pro veritate sequi, neminemque interea erroris damnare vel accusare dum Generali Concilio, vel vniuersali Ecclesiæ consensu, certi quid definitum fuerit.

HÆRETICVS.

Sed vna (inquis) *manente fide, quædam fieri possunt explicatiora.* fateor sanè, sed non contraria: cuiusmodi sunt, veteris Ecclesiæ & Pontificiæ de apocryphis libris iudicia.

COSTERVS.

Non tota vetus Ecclesia à Romana dissensit: sed quidã priuati, re nondum ab Ecclesia definita: semper enim, (vt demonstratum est) potior Ecclesiæ pars Romanum canonem admisit. Alij hos admittentes non damnarunt, neque ab ipsis damnati fuerũt, quamdiu liberè opinari licebat.

HÆRETICVS.

Deinde verò quod subijcis: *Sicut enim numero creuit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione, & perspicacior in illis cognoscẽdis, quæ ex primis articulis fidei manifestè notis tanquã ex principijs necessariò colliguntur*: Id vt vestram infirmat, sic nostram confirmat sententiam. Nos enim veteres Patres sequuti, ex articulis fidei & ex certis Prophetarum & Apostolorum libris, tanquàm ex principijs, de apocryphis aut incertis iudicam

COSTERVS.

Quàm splendidè mentiris, Doctor Hæretice! Hactenus neque à te, neque ab vllo Symmista tuo, allatũ est vllum vel Propheticum, vel Apostolicum testimonium, quod libros, de quibus nunc agimus, apocryphos nominet, vel extra canonem diuini verbi ponat. Adfer scripturam, si potes, & vicceris.

HÆRETICVS.

Vestra verò de eo argumento doctrina, nulla ratione colligitur: sed sola paucorum hominum, in Concilio Florentino & Tridentio, authoritate constat, ac propterea paruiæstimanda est.

COSTERVS.

Audi rationem: Quicquid à Generali Concilio decretum est, hoc instar diuini verbi est credendum & obseruandum: At legitimè celebrata Concilia, Florentinum & Tridentium, sacrorun librorum catalogum definierunt. Est igitur ille ab omnibus retinendus. Propositio est Beati Gregorij Magni, vniuersæ Ecclesiæ consensu confirmata, aut doce, quis reclamauerit: Assumptio, ad oculum patet: Conclusio est Syllogismi. At, inquis, pauci fuerunt illi homines. Respondeo, pauci fuerunt, si spectes personas: non pauci, si officium. *Primùm* enim, vniuersam repræsentabant Ecclesiam: tanquam Christianorum Præpositi & Doctores. Hinc Bahanes in [illegible] modo, ita ad Photium. *Loquere Photi. Totus mundus hic est.* Aderant tantum

tantum Episcopi 383. *Deinde*, Ecclesiarum quique suarum vsum & consuetudinẽ referebant: & quod per Orbem vniuersum iamdudum ab omnibus receptum erat, consensu cõmuni decernebant. Nisi enim ab omnibus tum Græcis, tum Latinis Ecclesiis hunc canonem Ecclesiæ Romanæ admissum esse, & obseruari nouissent: nũquàm ab vniuerso Concilio hic catalogus librorum sacrorum, tanquàm diuinus fuisset decretus. Aderat (iuxta Christi promissionem) Spiritus sanctus veritatis, qui Cõcilium ab errore conseruabat, & diuinam veritatem docebat.

HÆRETICVS.

Similitudo, quam de nummo adfers, orthodoxam nostrarum Ecclesiarum sententiãm plurimum illustrat. Nos enim libros Apocryphos, aut dubios, non ad fallacem humani ingenij opinionem, sed ad articulos fidei & certos sacræ scripturæ libros, tanquàm ad lydium lapidem, & rectam fidei stateram perpendendos, & probandos affirmamus.

COSTERVS.

Sed hos articulos fidei quare præteris? Cur sacrorum illorum librorum loca non adfers? Perpetuò ad Scripturam prouocas, & nihil minùs, quàm ex Scriptura probas. Conuince nos verbo Dei, & coge sacris literis, (si potes) Ecclesiam Catholicam, quæ tuos apocryphos in suum diuinũ catalogũ admisit, iudicij sui errorem [illegible]: si

non potes, obmutesce: & pertinacem hæreticámq; tuam ignorantiam confitere.

HÆRETICVS.

Quam etiam rationem Pontificij Doctores præstantissimi, vi veritatis adacti, secuti sunt.

COSTERVS.

Non vi veritatis adacti, sed iudicio suo falsi. Si tanti sunt apud te, pauci illi priuati, qui liberè censebant, quando libertas permissa fuit: cur nihili est apud te Ecclesiæ totius authoritas, cuius illi decretis se, suáque iudicia, promptis animis submittebant?

HÆRETICVS.

Ex quibus omnibus testimoniis apparet, Costerum, qui consensum Romanæ Ecclesiæ tantoperè iactat, nec cum veteri Ecclesia, nec cum præcipuis suis doctoribus conuenire: sed apertis eorum sententiis confutari.

COSTERVS.

Non ego meam sententiam propugno, sed vniuersæ Ecclesiæ doctrinam propono: quam tu mendacij & erroris conaris arguere: dum in me perùlanter, instar Apocalypticæ locustæ insilis. Nomina multorum congeris: at hi ad vniuersam Ecclesiam pauci sunt. Catholici omnes hodie Concilium Tridentinum suscipiũt, vene

Apocal. 9.

venerantur, & humili mente admittunt: idem præstitissent à te nominati, si quod eiusmodi decretum Generalis Concilij extitisset, eísque innotuisset. At, inquis, in Bibliis Regijs, à Louanienſibus approbatis scripsit Arias Montanus: *Ecclesia Orthodoxa Hebræorum canonem secuta, inter apocryphos recenset.* At libris Machabæorum præmittit hunc prologum: *Machabæorum libri licet non habeantur in canone Hebræorum, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum annotantur Historiæ.* Loquitur igitur de Apocryphis, non Catholicis, sed Iudæis: Nemo enim hodie Christianus libros sacros inter Apocryphos numerat. Cæterùm verba à te recitata, in Bibliis Regiis reperire non potui. Fortassis Hispanicę Inquisitionis, (quæ cũ ipso egit) authoritate sublata sunt: cum hos libros constet in Hispania ad tempus suppressos fuisse, ipsumq; Ariam ab Inquisitione relegatũ in Vrbem, vt coram Apostolica Sede causam diceret. Fateor enim Catholicis aurib. hæreticam vocem videri, post Sacri Œcumenici Concilij definitionem, *libros Tobiæ, Iudith, &c. ab orthodoxa Ecclesia inter Apocryphos recenseri:* aut sane hominis *confessi* (Hispanica phrasi vtor) plus æquò Iudaizantis errorem: Louanienses porrò approbarunt versionem bibliorum, & apparatum Lexicorum vt typis mandarentur, ex deputatorum relatu (quorum vnus fuit Ioannes H[illegible]ius

Societatis noſtræ Theologus, & Hebrææ linguę in Academia Profeſſor) non autem quæcunque de ſuo adiecit Arias Montanus.

HÆRETICVS.

Nicolaus Lyranus ita loquitur: *Sicut in ſcripturis philoſophicis, veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia, per ſe nota: ſic in ſcripturis à Catholicis Doctoribus traditis, veritas cognoſcitur quantùm ad ea, quæ ſunt fide tenenda, per reductionem ad ſcripturas Sacræ ſcripturæ canonicas: quæ ſunt habitæ reuelatione diuina, cui nullo modo falſum poteſt ſubeſſe.*

Præfat. in Tobiam.

COSTERVS.

Quid his verbis tibi vis? Redige in argumenti formam, vt ratiocinationis vis videatur: *Humanorum omnium librorum veritas ad ſacras literas examinanda eſt, & cognoſcenda: Ergò libri Tobiæ, Iudith, Heſter, &c. non ſunt canonici.* Nego conſequentiam: Nihil enim pugnans habent cum reliqua Scriptura: eodémque Spiritu ſancto dictati ſunt, (teſte Catholica Eccleſia) vt norma fidei & veritatis.

HÆRETICVS.

Cum Baſilio concludam: *Itaque diuinitus inſpirata ſcriptura, arbiter noſter eſto, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis eloquiis conſona, his omninò veritatis accedet ſuffragium.*

COSTE

COSTERVS.

Accipio conditionem: Itaque tu Catholicam fidem, & Christianam doctrinam impugna scripturis: & si vel minimũ quid in ea, repugnans diuinis literis, demonstraueris: ego (teste Deo, ijsque omnibus, qui ista lecturi sunt) ad vos confugiã. Et ista quidem de secunda Anticosteri parte: in qua (vt in priore) dissimulatum est ad 5. quæstiones meas. 1. Quo loco ante Lutherum aut Caluinum religio Caluinistica in vsu publico fuerit? 2. Quis, vbi, quãdo, Apostolicam doctrinam primus corruperit? 3. Cur vestra scripturarum interpretatio anteferenda sit explicationi Catholicæ Ecclesiæ? 4. Qua Scriptura caueatur, nihil extra sacras literas credendum esse? 5. Quis post ortum Caluini, in vestra secta mortuus Infernum euaserit? Ad ista hactenus apud te, tuósque antecessores summum silentium. Responde dilucidè, si potes: vt labor tuus (sicut precaris) Ecclesiæ sit vtilis, & Costero, eiúsque Asseclis salutaris.

PERORATIO AD CHRIstum Dei Verbum.

* * *

IEsv Christe, Deus, æterna sapientia Dei, verbum Patris Omnipotentis, Splendor gloriæ, & Figura substantiæ eius, tuæ bonitati dedico, consecro, & quanta possũ animi demissione offero, hunc libellum, à me tuo auxilio & fauore pro Sponsæ tuæ, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ dogmatibus & fide orthodoxa, de diuino tuo verbo conscriptũ. Prodijt enim nuper homuncio quidam, simulatus amicus, reipsa hostis tuus, & Ecclesiæ sanctæ tuæ: qui velo pietatis, & zeli gloriæ diuinæ, lupum tegens, ouesq; tuas miserè discerpens, non in Ecclesiam tuam solùm, sed in te quoque iniurius est, & contumelioſus: verbumque tuum, quod ex ore tuo diuino processit, varijs modis lacerat, detruncat, deprauat, violat atque prophanat. Repellit ab illo scripturam, à te in cordæ Ecclesiæ exaratam, olim per Prophetas prænunciatam, & his verbis promissam: *Dabo leges meas in mentem eorum, & in cordibus eorum superscribam eas*. Quam promissionem tu pridie mortis tuæ disertè confirmasti: *Rogabo Patrem meum & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vos docebit omnem veritatem, & suggeret vobis quæcunque dixero vobis, qui in vobis erit, & vobiscum manebit in æternum.*

Hanc

Hanc Spiritus ſancti diuinam Scripturam, hoſtis iſte tuus delere conatur, & oblitera-re, ſimulq; tuam, & Sancti Spiritus preſen-tiam Eccleſiæ adimere: verba tua, Apoſtolis toto triennio commiſſa, exiguo concludit libello, & ampliſſima illa diuina myſteria, iam 1600. annis per vniuerſum Orbem, ſumma veneratione ſeruata prorſus ſata-git abolere, téque mendacem facere. Ad-hæc etiam ſcripta in Veteri inſtrumen-to diuina verba miſerè detruncat, & velut Iudaizans, nihil extra Iudaicum canonem agnoſcendum eſſe contendit: Eccleſiam tuam ad Iudæorum libros alligans, cui ta-men, præter illos, etiam alios plures per ſanctos Apoſtolos commendaſti. Pręterea, quas nobis ſacras literas dediſti, eas nouis ſomnijs, & hactenus inauditis comm entis, deprauat, ſuóſque errores miſerę plebi, pro tuo diuino verbo obtrudit. Verbum tuum ipſi eſt, non Scripturæ textus, cum Ortho-doxæ Eccleſiæ ſenſu, ſed hęretica interpre-tatio, ad ipſius mentem electa. Ipſi eſt Scri-ptura, In Euchariſtia merum eſſe piſtorium panem, non corpus & ſanguinem tuum, Sacerdotibus, & religionem Profeſſis, poſt nuncupata tibi caſtitatis vota, ducendas v-xores, Sanctos non inuocandos, adeoque ſanctiſſimam Matrem tuam nihil nobis ſubſidij adferre poſſe, Sacrificium Miſſæ abominandam eſſe idololatriam, aliaque ſexcenta id genus blaſphema dogmata: quæ dum per vim ex diuino verbo exprimere ſtudet, non tuum verbum, ſed blaſphemias

blaſphemias, pro diuinis ſcripturis inſtillat. Inſuper his non contentus, ad verbũ Scripturæ aliud verbum, Eccleſiæ inauditum, affingit, & aſſuit: nimirum, ſacris Biblijs, *Omnia quæ credenda ſunt, comprehendi, nihilq; quod illis non contineatur, fide tenẽdum.* Hunc nouum articulum nouæ fidei ſuæ adiecit, atque à ſuis pro diuino verbo haberi contendit: non aduertens miſer, hunc ipſum articulum à ſeipſo euerti. Si enim extra ſcripturam nihil eſt admittendum: nec ipſe ſanè admittendus erit, qui nulla ſcriptura probatur. Denique, ne quid ad ſacrilegium ex ſcripturarum violatione deſit, permittit rudi & indoctæ plebi, pro cuiuſque modulo, ſacrarum literarum interpretationẽ: atque ex ea, de dogmatibus Eccleſiæ, doctrináque ab Apoſtolis per manus Maiorum accepta, & tot ſęculis inuiolabiliter obſeruata, examen, & iudicium. Vnde factum eſt, & fit etiamnum quotidie, vt quiſque pro ſuo modulo, (quod non minoris æſtimat, quàm doctorum ſuorum arbitrium) nouos meditetur ex ſcripturis, ſuo ſenſu intellectis, errores. Sic Eccleſia ſcinditur hæreſibus, multíque à veritate deuiantes (proh dolor) in gehẽnam ruunt. His malis vt, pro tenuitate mea, ego obuiam item, hoc libello Catholicam Eccleſiæ veritatem docui: & quæ ſophiſticis rationibus aduerſus eam, ab heretico proiecta fuerant, diuinis ſcriptis repuli. Tu quæſo, hoc munuſculum cum præcedente

te Apologia, ceu duo æra minuta, ex inopia mea clementer ſuſcipe: eíſque cæleſtem benedictionem impertire: vt quiſquis hos libellos perlegerit, perfundatur gratia tua, errores ſuos agnoſcat, & deponat: in viam veritatis redeat, & qui à veritate non exorbitarunt, in orthodoxa fide, & doctrina Catholica & Apoſtolica firmentur: omníque ſapientia & intellectu ſpiritali augeantur, boníſque operibus & virtutibus abundent. *Amen.*

LIBELLI B. VIRGINI, Matri Verbi, commendatio.

VIRGO puriſſima, Cælorum & Orbis Regina, diuini Verbi inuiolata Mater: hoſtis quidam tuus, & Eccleſiæ Catholicæ, Sponſæ filij tui, peſtiferis libellis ſuis ſacrarum literarum puritatem violare, & integritatem conſtringere ſudet: ex iíſque, perperam intellectis, tibi, Sanctíſque omnibus, gloriam adimere, defunctos ſuffragiis priuare, & viuentes variis diſſenſionibus, belliſ, ſeditionibus, tumultibus concutere: orbémque vniuerſum commouere conatur: Omnibus iſtis nequitiis ex verbis filij tui ſubſidium quærens. Ego his malis cõmotus, hoc exiguo libello, honorem verbi Dei, tuámque

que gloriam & diuorum honorem tutatus ſum. Eum tu ſanctiſſimis meritis tuis, omni labe purgatum, filio chariſſimo defer, eique gratiam, quæ legentium corda permoueat illuſtret atque emolliat, tuis precibus impetra: mihique cælitus tuam demitte largam benedictionem, quæ me aduerſus Eccleſiæ hoſtes confirmet, quibus à Deo precor lumen cordis, deſiderium veritatis, profundam humilitatem, metum gehennæ, & timorem Domini.

AMEN.

***

APPROBATIO.

EGO infrascriptus, Visitator Societatis IESV per inferiorem Germaniam: vtramque Apologiam Doctoris Francisci Costeri, Societatis nostræ Sacerdotis, aduersus Franciscum Gomarum Caluinistam, pro duabus patribus sui Enchiridij conscriptam, à tribus eiusdem Societatis nostræ Theologis lectam & probatam, typis excudi concedo.

Ita est OLIVERIVS MANAREVS. 23. Ianuarij 1604.